

MAGISTRI
ALFONSI SANCTIJ
DE
Rebus Hispaniæ anace
phaleosis. Lib. 7.
A Condita Hispania ad
Annum. 1633.
Ad Clariss. V. D. Ioannem
Gonsalium Vzguetam et
Valdesium ex Ordine
Iacobeo Clariss
Heroen
COMPLVTI.
Apud Antonium
duplastre.
S. IVS
TO.
S. PAS
TOR.

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII HISPANI,

DE

REBUS HISPANIÆ ANACEPHALÆOSIS LIBRI SEPTEM.

A condita Hiſpania ad annum 1633.

AD CLARISSIMUM VIRUM D. Ioannem Gonſalium Uzquetam, & Valdeſium, ex ordine Iacobæo inclytum Heroem.

CUM PRIVILEGIO.

COMPLUTI,

Typis ANTONII DUPLASTRE.

Anno M. DC. XXXIIII.

DOMINO

D. IOANNI GONSALIO VZQVETÆ, ET VALDESIO D. Iosephi Gonsalij potentissimi Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici, & noui orbis Imperatoris inuictissimi Secretioris Consiliarij filio, Iuueni magnæ spei.

M. ALFONSVS SANCTIVS S.

CVM superiori bruma apud Doctorem Ioannem Gonsalium Martinium, virum in omni disciplinarum genere excellentem, diuertisses, (eruditissime iuuenis, & nobilissime Heros:) & ego conuenissem ambos de more; cepit me paulatim studiorum tuorum ratio, morum suauitas, ingenij facilitas, & humanitas singularis. Admiratus inprimis, te supra ætatem,

ad senilem iam accessisse prudentiam, & aliorum adolescentium æqualium, qui (vt mos) facile ad voluptates prolabuntur, exuisse mores, & studia, adeo, vt diebus festis, quibus datum omnibus, animum ab omni opere feriari, tu solus maiori cura, omnem solicitudinem in Iurisprudentiam cõtuleris, & domi tanquam in præscripto carcere, inclusus, cæteris valere iussis, operi semel suscepto vehementer incubueris. Sed quid mirum? Paternas virtutes imitaris, in cuius Herculeos humeros Athlas Oliuarius graue rerum pondus inclinat, & quiescit. Sustinet ille, & ò vtinam diu reipubl. bono; te ex asse hærede? Ergo ingenij tui virtutibus delectatus, his meis vigilijs te præfeci excubitorem, cuius maiores pro republ. semper excubuerunt. Tuam decet nobilitatem hæc Xenia non temnere, cùm à viro rempublicam amante proficiscantur. Viue diu sospite vtroque parente, arrideatque tibi felicitas ipsa facilis, semperque de te fama diuulget maiora, quàm accipimus quotidie, quibus vehementer lætor, applaudoque. Nam hæc grandia præsagire videntur. Crescas occulto velut arbor æuo.

CENSVRA D. IOANNIS GONSALII
Martinij Primarij Theologi Complutensis.

HAnc de Rebus Hispaniç Anacephalęôsim à Magistro Alphonso Sanctio, Sanctę Magistralis Ecclesię Complutensis Portionario, & sacrę linguę in hac alma vniuersitate Complutensi publico Interprete, concinnatam, ex Domini Ferdinandi Vallesteros de Saauedra, in hac Complutensi Curia generalis Vicarij, in quę eâdẽ Magistrali Ecclesia Scholastici meritissimi decreto legi. Censeoque, è Republica fore, vt in communem vtilitatem excudatur: cùm propter summam Latini sermonis elegantiam, & pulchritudinem; tum propter excellentem doctrinam, & in indaganda veritate diligẽtiam: & quòd in summa breuitate difficultatem carminis Horatiani vicerit, *Dum breuis esse laboro, obscurus fio.* In tanta enim breuitate tam perspicuè dixisse omnia, Oratoremque Laconem factum Athenienſem, paucis immensa volumina comprehendisse, exquisiti ingenij, immo, felicissimi, virtus egregia est. *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.* Hoc censeo, saluo, &c. Compluti, 19. Augusti, anni 1632.

Doctor Ioannes Gonsalius Martinius.

NOs el Licenciado don Fernando de Vallesteros y Saabedra Maestre escuela de la santa Iglesia desta villa de Alcala de Henares, y Vicario General de la Audiencia y Corte Arçobispal della y de todo el Arçobispado de Toledo por su Alteza, &c. Por la presente damos licencia por lo que a nos toca, para que se pueda imprimir este libro, compuesto por el Maestro Alonso Sanchez Racionero de la dicha S. Iglesia y Catredatico de Hebreo en la Vniuersidad della, intitulado *de rebus Hispaniæ*, atẽto a sido examinado por nuestra comisiõ, y no ay en el cosa cõtra nuestra S. Fè Catolica y buenas costumbres. Dada en Alcala à 19. Agosto de 632. años.

Lic. D. Fernando de Vallesteros, y Saauedra.

Por su mandado.

Pedro Fernandez, Notario.

IVDICIVM D. THOMÆ TAMAIO DE Vargas Historiographi, & in supremo Ordinum Consilio Ministri Regij.

HÆc *de rebus Hispaniæ* Ἀνακεφαλαιώσις, quam Regij supremi Senatus iussu, prӕterquàm quòd nihil Fidei nostræ dogmatibus, SS. Patrum scitis, aut probis moribus non conueniens contineat; dignissima, quę in communem vtilitatem edatur, proculdubio est. Clarissimus illius scriptor, *morem calculonum, qui ingentes summas æris breuioribus exprimunt*; siue eorum qui vnius prospectu tabellæ

Et terras, tractusque maris, Cœlumque profundum, studioso breuitatis compendio, nullo veritatis dispendio, non euagarûri coarctant; tam artificiose secutus est, vt latissima Hispanici nominis gloria, & peruagata per omnium hominum ætates notitia vno quasi conspectu omnibus pateat ad exemplum: præsertim cum ipsa orationis argutia non breuitatem solùm commendet, sed lectorem ad se se etiàm occupatissimum alliciat *Equidem ita sentio peculiarem in studijs eorum causam esse, qui difficultatibus victis vtilitatē iuuandi prætulerunt gratiæ placendi*. Placeat ergò omnibus, qui omnium studuit commodis. Hęc mei iudicij summa esto. Mantuæ in Carpetanis Kal. Februar. Anni Christiani 1633.

D. Thomas Tamaio de Vargas Historiographus Regius.

SVMMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Priuilegio, por diez años el Maestro Alonso Sanchez para poder imprimir este libro intitulado, De Rebus Hispaniæ Ancephalæosis, como consta por su Priuilegio original, cuya fecha es à 15. de Iulio de 1633. años.

ERRATA

ERRATA SIC CORRIGE.

Columna 3. lin 23. sosola, l. sola.
col. 16. lin. 12. incontinenti l. in continenti.
col. 20. lin. vlt. Hispansios legatos remit, l. Hispanos legatos remisit.
col. 25. lin. 15. ommitunt, l. omittunt.
col. 23. lin. 9. concilibat, l. conciliabat.
col. 36. lin. vltima. Exercicus, l. exercitus.
col. 45. lin. 17. Maistate, l. maiestate.
col. 47. lin 16. Quindecium, l. quindecim.
col. 89. lin. 27. Pacha, l. Pascha.
col. 110. lin. 27. ergou, l. ergo.
col. 120. lin. 29. Attulesset l. attulisset.
col. 160. lin. 3. probibere, l. prohibere.
col. 169. lin. 30. Callelæ, l. Castellæ.
col. 178. lin. 19. alianere, l. alienare.
col. 215. lin. 9. proporauit, l. properauit.
col. 241. lin. 15. Iacobumquem, l. Iacobumque.
col. 248. lin. 1. præteritæ, l. preterire.
col. 263. lin. 15. superstitosa, l. superstitiosa.
Ibidem lin. vltima, peitate, l. pietate.
col. 274. lin. 4 ante vltim. Neapotilani, l. Neapolitani.
col. 278. lin. 16. penetrauarant, l. penetrauerant.
col. 298. lin. 16. antepen. Retuierunt, l. retulerunt.
col. 322. lin. 30. hæscrunt, l. heserunt.

Cetera suo Chyrographo respondent.

M. Alfonsus Sanctius

TASSA.

ESTE libro intitulado *Magistri Alfonsi Sancti, Hispani, de rebus Hispaniæ, &c.* Està tassado por los señores de el Consejo, à quatro marauedis cada pliego en papel, como consta de su tassa original fecha ante D. Fernardo Vallejo Secretario de la Camara de su Magestad en ocho de Março de 1634. años.

M A.

MAGISTER ALFONSVS SANCTIVS Hispanus Lectoris. S.

O Tu, quisquis es? Curis distineris, & distraheris? En tibi ad Hispanię Historiam breuis via. Defesso enim compendiosior monstranda est: Bibe si placet. Sudanti frigida, grata semper. Aliter, ede. Infirmo, & omnia fastidienti, cibus, etiam ingratus, prodest, hoc sinapi.

MAGISTRI ALFONSI SANCTII Hispani vita.

IN Regno Murciæ Patria Moratalla est. Complutum, sedes. Publica in Schola Professio, Græca, Hebræa, Chaldęaque literatura. Institutum, Diuinę, Humanæque disciplinæ. Vitæ ratio, in Sancta, Magistralique Ecclesia eiusdem Oppidi, Portionarius, adiuncta animarum cura. Cætera nihil ad te.

AVTOR IN LIBRVM.

I Liber in vulgus scombros, vel fama sequatur,
Quid curas? Scombros vendit Aristoteles.

AD AVTOREM TYPOGRAPHVS.

Pauca loquens multis, latè mendacia fundit.
Plurima qui paucis, dicere vera solet.

MAGISTRI

ALFONSI

SANCTII

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ

Anacephalæosis.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

Rervm Hispanicarvm Historiam aggredior: breuem, nudam, veram. Hæc enim tria Historiæ necessaria; cætera suspecta sunt. Communis querela est, plerosque Historiæ Scriptores, vel priuato affectu in patriam, vel odio in exteros: tenebras luci, veritati menda-

cia, magno antiquitatis detrimento, affinxisse: incerta pro certis, literis commendasse. Nam eum, qui ad scribendum animum appulerit, priuatum omnem affectum exuere oportet; ni fidei periculum subire malit. Verborum præterea lenocinia, rerum gestarum eximias laudes, conciones, descriptiones, digresiones, & (siquę alia sunt, apud Scriptores) diuerticula nimia, vitanda omnia contendo: cùm Historiæ terminos, cancellosque transiliant, nudæque veritati pretiosas vestes conquirant: vt si tecta, compositaque, imposita potiùs esse videatur. Quapropter, pretium operæ facturus videbor, si priùs Historiæ terminos definiero.

QVID SIT HISTORIA.

CAPVT PRIMVM.

Historiæ definitio.

EST igitur Historia, *Vera, breuis, & nuda rerum gestarum expositio, cum exacta temporum ratione.* Cùm *Veram* dico, omnem priuatum affectum excludo. Cùm *Breuem*, fastidium adimo. Cùm *Nudam*, omnem exquisitum, & curiosum ornatum detraho. Exornatio enim eadem in Historia, quæ in corpore, & facie, ornatus, fucusque. Sic deformia pulchra, turpia quoqué honesta videntur. ¶ Exemplum à Sacris (nam apud Profanos vix vnum, aut alterum inuenitur.) Ibi tam honesta, quàm turpia; nuda omnia, & sine velamine. Ideò quanquam ad vtilitatem, honestatem, exemplumque, nobis à diuinis oraculis non fuissent effusa, ipsa simplex, & sine colore narratio, vera prorsus, & absque dolo composita, videretur. Qua de re pauci rectam in Historia viam tenuerunt; quanuis de temporum ratione, luculenter à multis elaboratum. Amputabo ergo, quæ Trogus reprehendit; &, amotâ omni paleâ, grana tantùm inferam in horrea nostra.

THVBAL

THVBAL, HISPANIÆ Conditor.

CAPVT II.

THVBALEM Noachi nepotem, Hiſpanicam gentem condidiſſe; Regnum, & ſedes ſibi, poſteriſque delegiſſe, conſtans fama, & gentis traditio eſt. Argumenta: venerandæ antiquitatis veſtigia, oppidum Sethubal in Luſitania; & apud Vaſcones, alia. Sic Iopem, Vlyſsiponem, Aſcalonem, Gades; exteras alias gentes, poſterioribus ſæculis, Hiſpaniæ appulſas, condidiſſe, patriiſque vocibus nominaſſe, creditur. Multis tamen incerta prorſus, & obſcura hæc: & à nominum ſimilitudine, coniectura leuis eſſe videtur. Hoc tamen, tanquam certum, ſtatuendum eſt: Hiſpaniam auro, argentoque ditiſsimam, cœli clementiâ, multiſque alijs, ad vitam inſtituendam, naturæ opibus, Phœnices, Babylonios, Græcoſque pellexiſſe; vt patriam, pro ditiori, & benigniori ſolo, commutarent; conditiſque nouis vrbibus patria nomina darent; redeundique libertati, auri, & argenti inſana libido compedes inijceret: à quibus abſolui, nemo, qui in hac regione ſedes fixerit, patitur. Nam ſo ſola obeſt plerumque Hiſpaniæ opportunis temporibus, è cœlo ſalutaris pluuiæ penuria: cętera ad delicias vſque longè ſuperat alias, rerum copia, & bonitate. Quapropter, communis exterarum gentium patria eſt habita; ex quarum colluuione creuit. Alijs, poſterioribus ſæculis, prouincijs, & regnis, diuitias, gentiſque nomina dedit; præſertim æuo ſuperiori. Cur igitur negabimus priſcis, quod auorum ętate, noſtraque ſumus experti?

Gentes, quæ ad Hiſpaniam confluxerunt.

Fertilitas.

HISPANIÆ DIVISIO.

CAPVT III.

HISPANIAM diuisere Romani in parteis tres: Tarraconensem, Bethicam, Lusitanam. Tarraconensis, ab vrbe Tarracona dicta: ad Orientem, & magna ex parte ad Septentrionem, & interiora Regni protensa, Mediterraneo, & Occeano Cantabrico, seu Gallobritannico, terminatur. Inter hæc duo maria, Pyrinæi montes assurgunt; qui, Hispaniæ, Galliæque fines à natura dati, prouinciam peninsulam faciunt. Bethica, à fluuio Bethi nominata: ad Meridiem Mediterraneo, ad Occidentem immenso Occeano definita, angusto Gaditano freto, Hispaniam ab Africa dirimit. Lusitana, tota septentrionalis, & occidentalis, nobilissimam in hac diuisione partem occupat. Turbauerunt posteriora sæcula limites à Romanis præscriptos: & vtraque Castella, vetus, & noua, in recuperata prouincia, & à barbaro iugo in libertatem vindicata, terminis perturbatis, medium, potentissimumque Regnum constituit; quod, ætate nostrâ, cætera membra distracta, sub vno imperio, in corpus vnum, contraxit. Ergo postrema diuisio est: in vtramque Castellam, sub qua Bethica continetur; Tarraconensem, & Lusitanam. Latitudo, & longitudo ferè æqualis, cùm sit instar bouinę pellis: ad cêtum & octoginta Hispanicas leucas patet. Hispanica leuca quatuor Italica milliaria côtinet.

Hispania peninsula.

DE LINGVA HISPANICA.

CAPVT IIII.

PRISCA lingua penitus ignoratur. Explodimus enim eos, qui eam esse contendunt, quam nunc vtuntur Cantabri (ea est Hispaniæ pars septen-

septentrionalis.) Argumentum: Nullum apud cæteram gentem idiomatis antiqui remansisse vestigium Cantabricæ linguæ simile; & quasdam esse nunc voces antiquas, quas Romani fecere Latinas, vt autor est Varro. Hoc constat: Hispanias, Galliasque à Romanis debellatas, oblitis patrijs, in Romani Imperij linguam, leges, & iura transijsse; necessitateque compulsas Latinam linguam populariter accepisse. Nullos enim Romani, nisi Latinè loquentes, siue in iudicijs, siue in conuentibus, aut Senatu, audire voluerunt. Imperio labente, Gottos, Hunnos, Alanos, innumerasque alias gentes, vel abundante multititudine, relictis sedibus patrijs, nouas quærere coactas, aut expulsas intestino bello (vtrumque enim traditur) Italiam, Gallias, Hispaniasque obrutas insuperabili multitudine, superatis Romanis, bellorum euentu vario occupasse, Latinamque linguam corrupisse. ¶ Vtitur ergo Hispania linguâ Latinâ, corruptâ. Nonnulli Grammatici periodos, Latino, Hispanoque sermone, condunt: quod modò neque ipsi Romæ conceditur. Arabes deinde, Gottorum Regno, clade miserabili euerso, multas Hispanicæ linguæ voces Arabicas intulere, cui anteà Phœnices, Græci, & Hebræi, suas quoque miscuerant; ex quibus vniuersa coaluit. Vulgò tamen Latina corrupta regnat, & Castellana appellatur.

Latina lingua Hispaniæ communis.

DE MORIBVS HISPANORVM.

CAPVT V.

SIMPLEX, inculta, pastoritia, & pecuaria; constans verò, & ad labores dura Hispana gens, ad Romana, & Punica tempora. Et quia Hispania his potentissimis ciuitatibus, & belli sedes, & imperij alea fuit; tunc præcipuè Hispanorum virtus, & bellica fortitudo, & in pace fides Romanis, & Pœnis innotuit. Sic Annibali in Italia, Romanis in Africa,

Hispanorum fides.

Africa, & Asia, præcipua victoriarum pars fuit Hispanus miles. Hæc in libera Republica. Amissa libertate, Romanorum Imperatorum latera, sępiùs Hispanæ fidei commissa, nullam gentem, & in tuendo Principe, & in seruando secreto, fideliorem inueniri, monstrarunt. Olim ista; nunc hi mores, & studia. In Religionis cultu, & pietate, nulla gens illi par. Tam alta Fidei Christianę, tres pręcipui Apostoli, Petrus. Paulus, Iacobus, fundamenta iecerunt! Hos enim tres, Hispanias peragrasse, Christianisque documentis imbuisse, proditur. Tam accurata seruandæ Religionis studia, præcipuè penes Reges, & Principes, à quibus iudicia, & tribunalia vindicandæ fidei seuerissima sunt constituta: in quibus horrenda supplicia proposita sunt ijs, quos à vera Religione, & patriâ, ad peregrinas superstitiones, desciuisse constiterit. Sic rebus nouandis omnis aditus interclusus. Hac via, sicut Romanis (vt Autor est Valerius) ita Hispanis imperium, & opes auctæ. Iuris, & æqui, in iudicijs magistratibus, summa cura. Domo, forisque gens ad imperium nata: in bello, laboris, & inediæ patientissima. In periculis ferox: & vbi laudis, honoris, & præmij spes affulserit, in omnia præceps. Pauci Hispani milites, sæpe magnos exercitus fuderunt. Sæpius victoriæ, ad miraculum, partæ. Inde remotissimis gentibus Christiana Religio Hispanorum armis, incredibili sumptu, immēso labore, inuecta est. Apud exteros, magnos, & generosos spiritus præseferunt Hispani; & tanquam in suo regno. Inde illis, ab omnibus odij, & inuidiæ origo. ¶ Cum magnis tamē virtutibus vitia quoq; creuerunt. In exteros, diuitiarum prodiga gens. (Sunt, qui liberalitatem interpretentur.) Ludis, & otio, plus ęquo dedita. Hominum inde, stipem emendicantium ostiatim, turba molesta; summâ Magistratuum negligentiâ, misericordiæ velamento. Ergo ab otiosa turba multa sequuta mala, in communem Reipublicæ luem. Furandi, expilandi, & grassandi data occasio perni-

Petrus, Paulus, Iacobus, Hispanis prædicant.

Virtus Hispanorum.

Vitia Hispanorū.

perniciosis hominibus. In sumptus denique, pretiosas vestes, equos, canes, & in conuiuia, nimis effusa Hispania: in publicis præcipuè ludis, & barbara taurorum agitatione, in quibus bona pars nobilitatis bona quoque decoxit. Cæterùm, nobilissimis ingenijs, tam ad literarum studia, quàm ad militarem disciplinam, semper; sed præcipuè auorum ætate, nostrâque præcipuè floret: florebitque indies, si Regum, & Principum gratia sordescere non patiatur.

DE ANTIQVIS HISPANIÆ Regibus.

CAPVT VI.

POst Thubalem Hispaniæ Parentem, incerta sunt omnia, obscuraque. Brigum, Tagum, Bethum, Iberum nostri computant. Ego nec assero, neque nego: cùm Iberiæ nomen dederit gens Ibera, quæ ad Pontum, & Colchidem est, & Ibero fluuio alluitur: quam in Hispaniam commigrasse, patrium nomen (vt mos est) fluuio dedisse, & prouinciam Iberiam nominasse; matrimoniaq; posteà cum Celtis, & fœdera iuncta, compositum Celtiberiæ nomen illi reliquisse, multi, & graues Autores tradidere. Incertum prætereà mihi videtur, Brigum Hispaniæ Regem, colonias in Asiam, à qua & illi patria fuerat origo, deduxisse; & Brigiam (cui, mediâ in aspiratam mutatâ, Phrygiæ nomen est factum) appellasse regionem: & ex his Troianum Imperium conditum. Hæc fortè somniauit ambitiosa patriæ laus; vt olim Græcia, in suis laudibus verbosa. Non sumus tam proterui, vt pertinaciter contendamus, hoc neque fuisse, neque esse potuisse. Nam multis probari potest

poteſt, Hiſpanos Phrygiam condidiſſe. Diſputamus tamen, cùm multa Hiſpaniæ oppida per multa ſæcula nomen *Briga* retinuerint: an tam à magno principio ducta, vel à communi lingua fuerint impoſita; & tunc oppida, ciuitateſque *Brigas*, vt nunc *Burgos* Germanis fuiſſe nominatas. Cuilibet ergo in re tam antiqua, libera diuinandi poteſtas eſto.

Briga quid.

DE GERYONIBVS.

CAPVT VII.

VENIAMVS nunc ad proximiora veris. Conſtat, Hiſpaniæ Regem fuiſſe Geryonem, tam à Græcis, quàm Latinis decantatiſsimum. Nam fortè ante illum Reges, Scriptorum inopia fecit, aut dubios, aut fabuloſos. Ergo Geryonem in Hiſpaniam veniſſe (vnde tamen, incertum) auri, quo tunc prouincia abundabat, extrahendi, & excoquendi, exercuiſſe artem: indeque ſupra mortales ditiſsimum fuiſſe, Chryſeumque propterea nominatum, Græci, & Latini Autores prodiderunt. Opulentiæ iuncta potentia in tyrannidem euaſit. Gentem rudem, & ſine duce vagam, imperio primùm, violentiâ mox oppreſsit. Addita luxuries flagitijs, & in parere recuſantes crudelitas. At, *vt Reges diſcant, magis clementia, & æquitate, quàm ſeueritate, & vi, maieſtatem Regni conſeruari*, non diù paſſa eſt vltio diuina, nouam tyrannidem in innocentes impunè graſſari. Hoc enim Hiſpaniæ fatum, à priſcis ſæculis, vt gentis afflictæ non ſit à Deo animaduerſio diuturna. Oſiris, qui Dionyſius, aut Bacchus eſt, eo tempore imperabat Ægyptijs. Hic ſuſcepta longinqua peregrinatione, magna ex parte prouincias orbis peragrauit. Vini vſum, arare, triticum, ſeminaque alia docuit mortales. Ob ea, in Deorum numero habitus. Hunc fertur, Hiſpanias quoque adijſſe, ad eumque ſęuæ tyrannidis Gerionis

Geſta Bacchi.

nis

is querelas delatas. Suscepit Osiris, & de tyrannide deponenda ceptum agi; frustra tamen. Ventum ad vim, : arma expedita Geryone profligato, penes Osirin victoria stetit. Mortuum Osiris ad Gades sepeliuit. De tribus liberis posteâ consultum. Vicit ętas tenera eueritatem vindicis: ætatiq; datum, & innocentiæ, ne victoris vltor gladius parentis scelera puniret in filijs. Primoribus ergo gentis ætas illa commendata paterno exemplo deterreri potuisset, si modus esset regnandî cupiditati. Rebus ergo in Hispania compositis, Osiris Regna sua repetijt. Interim tribus fratribus, cum ętate spes recuperandi Regni creuit. Osirim illis impedimento futurum de medio tollere parant. Cum Typhone fratre Osiris, qui & ipse Ægyptiorum opibus inhiabat, agunt: vt isto fœdere, communibus inter se armis, ille, oppresso fratre, Ægyptiorũ occupet Regnum; & ipsi in paternum Hispanię imperium restituantur. Acta, vt composita, res est. Ingratissimi ergo adolescentes, & fratricida Typhon, incautũ Osirin opprimunt: & per summum flagitium, pro vno, tres experta est Hispania tyrannos. Tres ergo Geryones communi concordiâ regnant. Inde datus fabulę locus, de tricorpore Geryone ab Hercule occiso. Sed neq; fratricidæ Typhoni, neq; sceleratis Geryonibus diuturnum stetit Regnum. In Ægypto, nece Osiris (vt assolet) domesticę natæ discordię Horum filium Scythis tunc imperitantem, cum magno cõparato exercitu in paternę necis vindictam, exciuere. Nec mora, ad eum exercitus Typhonis defecit, & incruenta victoria supplicium de illo sumptum, & in socios facinoris anquisitum. Reperti Geryones authores præcipui. Armatur itaque Horus, accensus gemina face: & vindicta, & æmulatione paternâ. Comparata classe in Hispaniam appulit, exercitum expositum explicat. Accurrunt Geryones, vndique accitis auxilijs; cum suis, odio gentis, non satis fiderent. Prodijt in medium Horus armatus, & tres fratres ad singulare certamen prouocat, si tot innocentum sanguini

Victoria Osiris.

Geryonũ ingratitudo.

Osiris nex.

Typhonis nex.

Hori, & Geryonũ certamẽ. parcere maluissent. Alacres illi(ne, ad vim conuersi, causa belli cadere viderentur) accepta conditione pugnam sortiuntur. Pugnatum fortiter: sed quamuis ad scelera pares; Hori tamen viribus impares, proprio sanguine Osiris manibus parentarunt. Sic vindicatum flagitium, & sic Hispania à tyrannide liberata. Hic est Horus ille, cui nomen *Hercules Lybicus*.

DE HISPALO REGE.

CAPVT VIII.

PARTA victoria, & Geryonibus prope Gades sepultis, eam Hispaniæ partem Hercules *Erythream* nominat, à gente Erithrea, quæ ad mare Rubrum est, (vnde & nomen,) in illa expeditione abducta, & in ea Hispaniæ parte relicta. *Eritbrea vnde.* Ingentibus aiunt, in monumentum æternũ, iactis ruderibus, & saxis vtrinque moles excitatas, quę postea in montes creuerint; quarum, quæ in Hispania, *Calpe* quæ in Africa, *Abila* Columnasque Herculis appellatas; *Calpe, & Abila.* quas tam longinquæ peregrinationis terminos esse voluit, immenso occeano vltra progredi vetante. Hispalo ergo, fidissmo suæ expeditionis socio, genti præfecto, & prouinciâ pacatâ, ipse in Italiam trajicit. Ab Hispalo dictam *Hispaniam*, siue ab eius filio Hispano, volunt authores graues; & *Hispalim*, celeberrimam ad occidẽtem ciuitatem, ab illo conditam, postea à Iulio Cæsare *Hispalis vnde.* instauratam, *Iuliamque Romuleam* dictam affirmant. Herculem, relicto in Italia Athlante, altero fortissimo militiæ socio, Hispanias postea repetijsse, quòd Hispalum, diem obijsse, post aliquot Regni annos, audierat. Regnum summâ iustitiâ, & æquitate tenuisse diu, in eoque mortuũ, sepulturã que (vt creditur) ad Gades, *Templũ Herculis in Hispania.* templum, diuinosque honores adsequutum. Extitit per multa sęcula, ad Gaditanum fretum, celebre Hercu-

lis

lis fanum, religione gentis, & aliarum nationum donarijs, ad Romanorum tempora nobile.

HESPERVS, ATHLAS, Hispaniæ Reges.

CAPVT IX.

MORTI proximus Horus, Hispaniæ Regem Hesperum Athlantis fratrem, dixit. Quem Hispani, propter summas, Regiasque virtutes, ita ex animo coluerunt, vt Hispaniam tunc primum Hesperiam de suo nomine appellatam voluerint. Ab Hespero, id est, Veneris stellâ, Isidorus, & Macrobius, dictam malunt. Iniquo tulit Athlas animo, fratrem sibi ab Horo prælatum in Regno. Rupit fraternam charitatem ambitio regnandi. Clam primo, cum primoribus Hispanorum, insidias fratri parat: deinde aperta vi Regno priuat. Regnauit ergo Athlas aliquot annos imperio moderato. Mox accipiens, expulsum fratrem, Tuscorum gentem in Italia, spoliati Regni commiseratione, commouisse; illique Coryti Regis, adhuc pueri, tutelam fuisse delatam; veritus, ne ibi Hesperus res nouas moliretur, fratrem præoccupare statuit. Delectis igitur Hispanorum proceribus, premij spe, & honoris allectis, magna comparata classe in Italiam transmittit. Quem iam portum tenentem, magna vis oborte tempestatis in Siciliam eiecit. Ibi Hispanorum plurimi, vel nauigationis, vel injusti belli tædio, vel Siciliæ feracitate delectati, fixere sedes. Athlas inde Italiam appulsus, fratrem Hesperum iam vita functum reperit. Sic facilè, & puerum Corytum Regem, Regnumque in potestatem, redegit. Coryto deinde filiam Electram matrimonio locat. Ibi etiam ad Tyberim filiam Romam, cum quibusdam Hispanorum proceribus, à quibus Romana funda-

Vnde Hesperia.

Hesperus regno priuatus.

Hispani Siciliam incolũt.

Roma origo ab Hispanis

fundamenta iacta reliquisse: sed cui data in matrimonium non proditur. Vereor tamen, ne in Hispanorum gratiam hęc inuenta, aut cõficta fuerint. Veriora puto: gentem, siue in Sicilia, siue in Italia, priùs (parum enim refert) Murgântium, Murgantinos, & Morgetes, ab Hispanis, qui Athlantis expeditioni nomina dederũt, & ea Hispaniç tenuere loca *Murgis* dicta, traxisse originem.

Murgãtini vnde.

DE REGE SICVLO.

CAPVT X.

SICVLVS deinde Athlantis filius regnat: à quo *Trinacria* Siciliæ nomen inditum, propter res in Sicilia gestas. Quę & *Sicania*, à populis Hispaniæ Sicanis, nominata dicitur. Causa ibi rerũ gestarum discordia filiorum Regis Coryti fuit. Dardanũ, & Iasium, ex Electra Athlantis filia, Corytus susceperat: quibus, cum ætate simul, regnandi cupiditas adoleuit. Mortuo patre, Dardanus potẽtior armis, *in quibus iura sæpe regnandi*, Iasium Regno deturbat. Qui in Hispaniam, ad patruum Siculũ, petitum auxilia profectus, ingentem Hispanorum exercitum cum ipso Rege attraxit. Dardanus viribus impar, abiectis armis, se, suósque patruo Regi permittit. Siculus, rebus inter fratres cõpositis, Lestrigonum in Italia immanissima gente, Cyclopibus in Sicilia mortalium crudelissimis, bello domitis. Roma sorore Hispanorum auxilijs fultâ, securâque ab omni iniuria relictâ, Hispaniam repetijt. Dardanus Regis metu liberatus fratrem Iasium fœdere securum, & nihil minùs, quam dolos metuẽtem, opprimit, enecatque. Famâ ad Regẽ Siculum perlatâ, iterum in fratricidam armauit. Cõmisso prælio victor Siculus Dardanũ vniuersâ Italiâ (parum illi videbatur è Regno) expulit. Qui collectis exercitus reliquijs, in Phrygiam traijciens, primus Imperij Troiani proditur author. Hęc de antiquis Hispaniç Regibus magis explorata

Siculi gesta.

Dardani perfidia.

Troiæ cõditor.

plorata habemus, Cetera, quę de Idubeda, Testa, Romo, Tago, Palatuo, Hispani fabulantur, tanquã incerta reijcimus. Nomina montiũ, ciuitatumq; ad Reges, antiqui sępisimè retulerunt, & speciosa principia sic inuenta, confictaque. Ego nõ nego, in re tam obscura: dubito tamen. Annos verò, quos prędicti Reges regnauerint, quauè mundi ætate vixerint, per tempora non digessimus; quòd nihil certi possimus affirmare. At existimo, Siculum, Troiani Imperij excidium ducentos ferè annos, præcessisse. Capta est Troia anno à diluuio millesimo ducentesimo sexto, Tautane regnante apud Assirios, anno nono, quarta mundi ætate. Ergo tertia ætate illos regnasse dicemus? Athlas enim anno à diluuio octingentesimo quarto decimo natus est (sic inueni in tabulis veríoribus.) Postea verò Dionysium alterum Hispanias peragrasse; & à Socio Luso, Lusitaniam dictam. Herculem alterum Thebanum, etiam Hispaniam adijsse. Et ab excidio Troiano, Græcorũ multos vi tempestatis actos, Vlyssem, à quo Vlyssipon; Diomedem, à quo Tyde; Zacynthos, à quibus Saguntum; diuersis temporibus appulisse.

Anni mũdi.

Qui Heroes in Hispania.

DE HABIDE REGE, ET aeris siccitate.

CAPVT XI.

PROPTER Iustini authoritatem, ex Trogo, non patiar historiam esse ieiunam. Ex adultera filia nepotem suscepit Hispaniæ Rex Gargoris, quem adulterij odio feris auus exposuit: mox vario ferarũ lacte nutritum, ieiunis canibus dilaniandum obiecit; canum tamen, ferarumque pietas Gargoris crudelitatem vicit. Angusto tramite, quà transitus stabulantum iumentorum, proculcandus expositus: in mare tandem pręcipitatus, leni salo ad litus ciectus; & à cerua

Gargoris crudelitas.

à ceruа pastus, nutricis celeritatem cum lacte simul exuxit. Adolescens agilitate membrorum, & pedum, pernicitate confisus, cùm victus necessitas incitabat, ad alieni gregis rapinas inuolare; tamdem à pastoribus laqueo captus, & Regi dono datus. Ex tempore, corporisque lineamentis, agnitus nepos est. Stupefactus Rex, & ex tot fortunæ casibus seruatum admiratus, ratus aliquid subesse diuini consilij, Regni successorem designat. Accepto Regno, non frustra Dei ope è tot periculis ereptum monstrauit. Gentem rudem, & pastoritiâ vitâ contentam, in ciuitates compulit, legibus, magistratibusq; parere, semina sulco serere docuit, optimisque disciplinis instruxit. Mortuo Habide, Hispaniam tam inauditam aeris siccitatem, plusquam viginti annos, vexasse, nostri Historiographi tradiderunt; vt fame, & siti, cùm fontes & flumina aruissent, vniuersa prope gens periret, proximasque prouincias agmina Hispanorum opplerent; vnde postea cum Celtis, & varijs alijs nationibus, ad nouas allectis sedes, remigrare. Deinde Phœnices cũ magna classe venere, eo tempore, quo siue de cœlo tacti, siue à pastoribus igne subiecto, Pyrinæi montes conflagrarunt. E quorum incendio, ingens auri, & argenti eliquati copia, crescente famâ diuitiarum, mortalium plurimos conciuit. Phœnicũ præcipuus dux Sicheus Didonis maritus, ab Hispania Tyrum magnarum diuitiarum thesauros auexit; quibus Pygmalion frater inhians, Sicheum per insidias obtruncat. Dido astu se, diuitiasque crudelitati fratricidæ, subduxit; nauibus silenti nocte soluens è portu, mari se credens, nauigatura quocumque cursum fortuna dedisset. Pygmalion verò Hispanicam nauigationem frequentare. Indeq; diuitiarum fama Tyrios, Rhodios, Græcosque pellexit, vt ex Africa, Europa, Asia, frequentes mercatores conuenerint: oppida, ciuitates, castella condiderint; prouinciamque, iuxta cuiusque ritum, varijs Deorũ superstitionibus imbuerint. Dianæ, multis in locis; Herculi, ad Gaditanũ fretum; Baccho, in Lusitania, templa

Habidis mira.

Regnum.

Hispaniæ siccitas.

Pyrinæorum conflagratio

Nationes variæ in Hispania.

tẽpla magnifica sunt cõstructa, varijsq; ceremonijs culta. Quæ omnia, ad tẽpora côditę Carthaginis, quæ septuaginta duobus annis vrbẽ Romam pręcessit, referũtur.

DE REGE ARGANTONIO.

CAPVT XII.

ANNO ab Vrbe condita centesimo trigesimo secundo, Argantonius in Hispania regnat. Hic omnium mortalium viuacissimus proditur. Tria sæcula vixisse fertur. Alij, centum quinquaginta tantùm annos, malunt. In tam magno annorum curriculo, magna rerum experientia parta, Hispaniæ Regnum illi peperit. Eligitur ergo communi suffragio gentis: & aduersùs Phœnices, qui, occupatis Gadibus, vniuersę prouinciæ regnum animo concipiebant, bellum gessit. Quibus domitis, patriam libertatem Hispani retinuerunt. Per hęc tempora Babylonię Rex Nabuchodonosor, expugnatis Hierosolymis, Hebræis in seruitutem abductis, Tyrum obsidione premebat. Tyrij, Carthaginienses, & Phęnices, qui in Hispania sedes fixerant, crebris literis, & legationibus ad auxilia, & communis patriæ suppetias permouerunt. Phęnices habito delectu Hispanorum, magna classe Tyrum quatuor annos, suo aduentu sustentarunt. Tandẽ Nabucchus, Tyro captâ, domitâ magna ex parte Asia, & Africa in Hispaniã, quòd auxilia Tyro tulisset, belli irã effudit. Cuius potentię, cùm resistere nõ posset, vniuersa prouincia cessit. Tunc multi Iudęorum ab illo relicti, Phœnicibus permisti, multis Hispanię partibus, oppidisque, aut habitatis, aut côditis, patria nomina dederunt. Hæc nostri scriptores. Ego verò existimo, olim Salomonis tẽpore, Hebręos annuis nauigationibus Hispaniã, propter diuitias frequentasse; & non minus Hispanicis, quàm Indicis, Ophiranisque diuitijs fœlicissimũ illum Regẽ floruisse. Moritur deinde Argantonius anno fere ducẽtisimo ab vrbe Roma. Et Hispania, nullo pręctereà Rege, varijs bellorum tempestatibus agitatur.

Argãtonij viuacitas.

Tyrus à Babylonio Rege capta.

Nabucchus in Hispania.

Mors Argantonij.

CAR-

CARTHAGINIENSES IN Hiſpania.

CAPVT XIII.

CARTHAGINIS,& Hiſpanię bella prolixa contraham:prius tamen bellorum cauſas expo- nam. *Auaritia ſine fine malum*, Phęnicibus Gaditanis,ſicut occupandæ Hiſpaniæ, ita ruinæ fuit origo. Cùm ergo de inuadendo Regno ſecreta conſilia inirent, nullaque ſententia placeret, quòd ſe impares tam magnis conatibus iudicarent;tandẽ fraudibus adhibita religio placuit. Aream, conſtruendo Herculi templo, incontinenti precibus à finitimis ob- *Templũ Herculis* tinuerunt. Quod breui magnificum,ſumptuoſumq́; votis;religione vtriuſque gentis,& donarijs creuit. Confluentibus ergo vndique mortalium plurimis, ædificijs prope paulatim excitatis,ciuitas eſt conſtructa:cui ordinandæ Phænicius magiſtratus eſt creatus, qui creſcentem rempublicam tueretur. Inde inuadendi Regni *Phœnicia fraus* Phęnicibus occaſio. Primùm cędibus in vicinos, rapiniſque graſſatum,&quędam oppida Hiſpanis adempta. In interiora prouinciæ malum ſerpere: & quia ſine Rege erat,indies augeri. Inter proceres ciuitatum, de vindicanda iniuria, conſultum. Baucio Turdetano principe,& duce, Hiſpani,collectis viribus, Phęnices *Hiſpanorum Victoria.* magna ſtrage vicerunt: & ardentibus animis, ædificia quoque nouæ ciuitatis arſerunt: nullaque templi religio vlciſcendę inuidiæ rabiem cohibere potuit,vt non in ipſum Herculem def[illegible]. Phænicum reliquię in Gades compulſæ, Carthag[illegible]iẽſes,qui tunc opibus,terrâ,mariq́ue florebant,iniectâ violati Herculis religione,& gẽtis cognatę memoria,& ſpe potiundæ ditiſsimę Hiſpaniæ,ad arma ſocianda perpulerunt. Carthaginienſes ergo Maharbalem cum claſſe mittunt: qui

primùm

primùm, transmisso freto, Thartesios, finitimosque populos, omni belli iniuria lacessijt. Portum classibus Punicis opportunum, vnde finitimos populos crebris excursionibus fatigabat, occupauit. Hispani, eodem Baucio duce, noctu, facta impressione, Pœnos, plurimis occisis, fugant, funduntque; & in maritima, quæ occupauerant, loca compellunt. Victi; cum aperta vi non possent, ad artes Punicas conuersi, affirmant, se nunquam ex animo bellum Hispanis intulisse, sed studio vindicandæ violatæ Religionis permotos, in authores tanti sceleris, quòd Hercules apud eos præcipuis cæremonijs coleretur: Qui si dederentur, omnia fore quieta, orareque, vt, depositis armis, datis dextris, mutuâ se amicitiâ, commercijs, matrimonijsque deuincirent. Ad ea Hispani, cædem Gaditanorum communi consilio factam responderunt; cæterum, se neque externam amicitiam expetere, neque oblatam respuere, neque bella formidare. Actum inde de pace, qua Hispanorum simplicitas Punicis fraudibus dedit locum. Sic nostrorum negligentia, Carthaginiensium dolis opportuna, Ianuam imperij amplificandi aperuit. Non enim multo pòst Pœni ad ingenium redierunt: & maritimis locis occupatis, Hispaniam prædis, ferro, igneque vexarunt. Quæ omnia, eadem fraude, non publico consilio, sed militum insolentia facta prætendere, quoties Hispani, sumptis armis, amissa, bellò repetere voluerunt. Hac arte, *neglecta causa communi, (vt mos est)* Hispania decepta Carthaginiensium opibus accessit. Primi ipsi Gaditani, qui Pœnorum auxilia exciuerant, & prouinciæ Regnum ambierant, Punicum iugum subierunt. *Hæc est enim conditio dominandi, vt inter cognatos, Regnum etiam sit exors.* Ergo Saphone duce, Pœni, compositis Hispaniæ rebus, habito trium milliũ Hispanorum delectu, Mauritanis bellum, quod aduersus Carthaginem moliebantur, intulere. Victi Mauritani Hispanorum virtute, conditiones pacis à Carthaginiensibus acceperunt; & Saphon, ingentibus diuitijs in

Pœnorũ strages.

Punica fraus.

Gaditanorum pœna.

Suphetes dignitas Punica. 283. Saphoni affectata diuinitas.

Hispania comparatis, in suspicionem veniens, honoris titulo, quòd Suphetes fuisset creatus, (is est suprema Carthagini dignitas) è prouincia reuocatur. Habuit successores Himilconem, Hannonem, & Gisgonem, ad annum cond. Vrb. 283. Hic ille Saphon est, qui potentia, & Hispanicis diuitijs superbus, diuinos honores affectans, aues enuntiare docuit vulgare illud, *Magnus Deus Saphon.* Quod homines admirati, adhuc viuum Saphonem in Deorum numero habuerunt.

ANNIBAL PRIMVS, IN Hispania.

CAPVT XIX.

Gisgonis naufragium. 315. Lusitanorum, & Bethicorum atrox pugna.

CVm Hannon, & Himilcon nauigationibus immensi occeani claruerunt; Gisgon Hispaniæ partem, quæ Carthagini parebat, gubernabat. Qui cum opibus, & potentia creuisset, liberæ ciuitati, cui odio libertatis opprimendę occasio semper fuit, suspectus esse cœpit. Reuocatus in patriam, facto naufragio, cum diuitijs vitam simul amisit. Mittitur in Hispaniam Annibal senior, anno ab Vrbe 315 eo tempore, quo inter Bethicos, & Lusitanos bellum opinione maius exarserat. Causa leuis, rixa inter vtriusque gentis pastores fuit. Inde ad iustum prælium ventum. Carthaginienses Lusitanis auxilia tulerunt. Ea Bethicis irritatio maior. Tam acriter vtrinque pugnatum, vt octoginta hominum millia cæsa, prodatur. Cadente Annibale nox diremit pugnam dubia victoria. Sequentibus annis, nihil prætereà in Hispania memoria dignum est gestum; cùm Carthaginienses Agrigentino bello occupati nihil de Hispania cogitarent.

sent. Fessi, fractique Agrigentini, seniorem Dionysium contra Carthaginem solicitantes, Carthaginienses ad Hispanorum auxilia recurrere compulerunt. Qui, vt Hispanos in officio continerent, cum illis fœdus in hunc modum percussere. *Gades in antiqua libertate sunto: Ablata bello Pœni restituunto; compensatis damnis: cætera in pristinum splendorem reuocantor. Hispani cum decem armatorum miltibus Carthaginiensium rempublicam adiuvanto.* His auxilijs dux Pœnus Dionysium, Siculos, & auxilia, quæ fortissima contraxerat, superare. Vniuersa tamen Sicilia iam potiturus, pestilentiâ repentè grassante, omnem fere amisit exercitum; qui Carthaginem rediens, inter lamenta, lacrymasque ciuitatis, doloris impatientiâ victus, mortem sibi conciuit. Ex Hispanis, qui remanserant in Sicilia, plurimos à Dionysio missos auxilio Archidamo Lacedæmonio, Epaminondam Thebanum, memorabili ad Mantineam pugna, vicisse, proditur. Post aliquot deinde annos, Hispania, peste, fame, siccitateque afflicta, coacta, vt tot mala vitaret, iterum libenter militari sacramento sese Pœnis obligauit. Qui viginti millium Hispanorum delectu habito, magna belli mole Siciliam iterum inuaserunt. Erat tunc Dionysius in Italia Crothoniaco bello districtus, cuius classis à Pœnis fusa, dissipataque est, & regiâ suppellectile capta, victor exercitus in insulam expositus. ¶ Eo tempore à Siculis, pro libertate, variâ fortunâ pugnatum. Tandem in pacis conditiones itum: vt Pœni quædam loca maritima tenerent; & sic bellum finitum, morte Dionysio à coniuratis illata. Quæ omnia ad annum conditæ Vrbis trecentesimum octuagesimum sextum contigerunt.

Pacta Carthagin. cum Hispan.

Pœnorũ strages.

Himilconis mors.

Hispani cum Epaminonda pugnant.

386.

HANNON IN HISPANIA.

CAPVT XV.

398. ANno ab Vrbe condita 398. missus in Hispaniam Hannon Bethicam varijs rapinis fatigauit. Qui cùm, tam in communia, quàm priuata bona, diuitiarum incredibili siti grassaretur, Hispanos ad vltionem armauit, qui multis in locis Pœnos vlti, ad noua compulerunt auxilia comparanda, quibus Bethicam diu vexauerunt. Acta hæc priuato consilio; Publico Pœni, misso successore, qui Hispanos blanditijs, & promissis à vindicta reuocaret, & damna resarciret, Hannonem accersierunt. Intereà Hispania, fluminum inundationibus, pecorum pernicie, ædificiorum ruina, & terræmotibus concussa, ingentia mala passa est. Hannon, qui eam expilauerat, prouincia excedere coactus: iratus in patriam, diuitiarum copia fretus, cum amicis, de opprimenda libertate, secreta consilia inire. Primò, vniuersum Senatum ad filiæ nuptias inuitatum veneno aggreditur; sed indicio coniuratio detecta est. Conuersus ad apertam vim, seruos, quorum ingens copia erat, amicosque, ad viginti hominum millia, armare; sed quamuis occupato munitissimo loco, multaque cæde, patriam, in discrimē adductam libertatis, diu terruisset: tandem victus, captusque, fractis cruribus, & brachijs, cum sceleris socijs actus in crucem est, memorabili posteris exemplo. His temporibus, ad annum. 430. celebris fuit Hispanorum legatio ad Magnum Alexandrum, qui tunc Babylone, omnium fere gentium legationes audierat. Princeps legationis fuit Murinus, vt autor est Orosius. Qui tam periculosæ, & longinquæ peregrinationis causas exponens, omnia luculenter contra Carthaginienses perorauit. Alexander, cum donis, & promissis, Hispanos legatos remit, ab vltima

Hispaniæ calamitas.

Hannonis coniuratio.

Hannonis nex.

430.

vltima mundi parte legatione delectatus. Mors tamen promissam Hispanis libertatem præoccupauit; cum de occidentali imperio iam diu cogitare cœpisset. Carthaginiensibus deinde, & in Africa, & in Sicilia, cum Agathocle, & Pyrrho Epirotarum Rege, varia fortuna pugnantibus, Hispania queuit, ad annum fere 500. & primum bellum Punicum. *Hispanorum legatio, ad Alexandrum.* 500.

HAMILCAR IN HISPANIA.

CAPVT XVI.

ANNO ab Vrbe cond. 516. primo Punico bello finito, Hamilcar, afflictis Carthaginiensium rebus, cladibus à Romanis acceptis, tanquam noua lux inter tempestates affulsit. In Hispaniam ergo dux designatus, solam illam prouinciam exhaustę Carthagini superiori bello, suffecturam diuitijs, quibus abundabat, ratus: in illam soluturus, priùs dijs patrijs vota persoluit. Ad aram sacrificaturus, filium Annibalem, adhuc nouennem, sistens, iuramento, conceptis verbis, adegit, nunquam se cum Romanis pacem habiturum. Tam alta mente, odium in Romanos à superioribus cladibus implacabile retinebat, vt nihil magis hęreditarium filio relinquere, quam hostilem cum Romanis animum, existimaret. Peractis ergo sacrificijs, in prouinciam profectus; filium Annibalem, &, vt, gēti commendaret, &, vt à teneris, pręceptis militaribus institueret, in Hispaniam abduxit; vt tantus Romanorum futurus hostis, odio simul, & armis, in illa ætate consuesceret. Inde meruit inter vniuersos mundi duces, primum obtinere locum, si tanti patrię amorem, quanti delitias æstimaret Italiæ. *At multis Imperium militare quæstuaria res est: ne finiatur, protrahi, quàm finiri bella malunt.* Huic ergo magno duci Hamilcar pater; at mater, Hispana mulier proditur. Hamilcari prouinciam ingresso primæ Bethicæ gentes, 516. *Iuramentum Annibalis.*

genres, cum donis, & gratulatione, occurrere. Ille animo occupandę Hispaniæ pacem, amicitiam que simulare. Maritima loca, & interiora Regni lustrare; ad orientalem plagam, ex nomine familiæ, ciuitatem condere *Barchinonem*. Saguntum, opibus, & potentia florentem, ad amicitiam allicere; aliaque in prouincia moliri, suspecta Hispanis. Primi Saguntini sensere dolos. Astutum Pœnum astutia deludunt: & ne intra ciuitatem potentissimam occultum hostem ad mitterent, varias excusationes prætendunt. Pœnus inter Saguntinos, Bethicosque serere discordias; vt inde belli ansam arriperet. Bethicis persuadet, ad Saguntinorum fines ciuitatem conderent, quę vtriusque gentis terminus esset. Saguntini rati Hamilcarem belli causam quærere, communes querelas ommitunt; & ad omnem occasionem attenti, ducis artes explorant. Gentes ille Gallorum, donis, & auro, deuincire, qua transitus in Italiam, ne iter impedirent: quòd Hispania subactâ, de bello Romanis inferendo, cogitaret. *Superbi profectò animi est postrema tractare, cùm prima resistunt.* Igitur Hamilcar ad Pyrinæos profectus, orientalem Hispanię partem vastare, ciuitates diripere, armenta, gregesque abigere, obuia quæque hostiliter incendere. Quæ omnia vbi Hispanis nota, conclamatū ad arma. Bethica primùm vicinos Carthaginienses inuadit. Accurrit Hamilcar cum quadraginta millibus militum, cùm iam maior Hispanię pars erat in armis. Prælio commisso, Carthaginiensium ingens fuit strages, cęso Hamilcare. Qui superfuere, fugati, dissipatiq;, in loca munitissima conuenientes, de belli summa consultare. Placuit Carthaginem auxilia petitum mitti. Mortuus est Hamilcar anno nono, postquam in prouinciam venerat.

Amilcaris artes

Hispanorum victoria.

Hamilcaris nex.

ASDRV-

ASDRVBAL IN HISPANIA

CAPVT. XVII.

ANNO ab Vrbe cond. 524. mortuo Hamilcari succesſit Aſdrubal in Hiſpania, vir impiger, & ad prouinciā domandam animo hęreditario. 524.
Sed ad capeſſendā rempub. cum factione ſuorum, opibuſq; quas ex Hiſpania corraſerat, potentiaq; valeret, multo paratior. Igitur prouinciā iniens, nactus opportunum locum, ciuitatē condit, quam nouam Carthaginem appellauit, quę *Spartaria*, à ſparti copiâ dicta eſt. Romanis interea Carthaginienſiū opes, potētiamq; in Hiſpania ſuſpectam eſſe, nolle tamen ictum cum illis, fœdus violare. Noua tamen cum Maſsilienſibus pacta noui belli excitauerunt incendium. Hiſpanię ciuitates Pœnorum odio, cum Maſsilienſibus percuſſere fœdus: atque ita in Romanorum amicitiam conceſſerunt. Inter omnes Saguntus nobiliſsima ciuitas Romanā ſocietatem amplexa, Carthaginiēſium animos vehementer exulcerauit: quòd tam facilè in fœdus Romanorum conſenſerit, quam ipſi neque armis, neq; promiſsis in partes trahere potuiſſent. Hinc nobiliſsimę ciuitatis excidiū: & hinc Secūdi belli Punici origo fuit, quo nullū in orbe maius. Ad Aſdrubalē interea Romani venere legati, qui iuberent, Carthaginienſes à ſocijs Pop. Rom. ciuitatibus abſtinerent. Hiſpaniamq; cis Iberum (id enim erat in pactis) cum Sagunto deſinerent bello, ſicut antea, la ceſſere. Paruit Aſdrubal, quòd nondū ad bellum parata omnia. Mittit Carthaginem legatum, qui Senatū exoraret, vt Annibalē in Hiſpaniam mitteret, magnæ ſpei iuuenem, quocū Aſdrubal conſilia belli cōferret. Venientem Annibalē maior Hiſpaniæ procerum pars obuiam effuſa tantâ excepit alacritate, tantaq; fuit militū acclamatio, quantā vnquam erga ſuū ducem, & Imperatorem ſummus affectus oſtēdit. Adeò tā magna indoles in adoleſcentia eos, quibuſcū aſſueuerat, vrbanitate, induſtriaque deuinxerat. Et profectò Hiſpani tanquam Hiſpaū amabantū,

Noua Carthago in Hiſpania.

Origo ſecūdi belli Punici.

amabant, & Pœni tanquam summam reipublicæ spem habebant. Interim tamen, dum Annibal, tam Hispanorum, quàm exercitus gratia, & fauore, magnas res animo iureiurando adstricto aduersus Romanos voluit, Asdrubal, Hispani serui gladio confossus, ad aras occubuit. Causa vindicta domini sui (is Tagus vir erat nobilissimus) per iniuriam ab Asdrubale occisi. Seruus à satellitibus comprehensus, membratimque dissectus, & laceratus; nullum, aut voce, aut signo doloris, indicium dedit. Tantâ eum vitæ domini patientiâ mortis alacritas armauerat, vt exquisitissimis tormentis arrideret, tortoribusque illuderet. Indignus profectò supplicio, cuius fortitudo hostibus admirationi debuit esse. Contigit mors Asdrubalis anno. 532.

Asdrub. nex.

Hispani serui patientia mira.

532.

ANNIBAL IN HISPANIA.

CAPVT XVIII.

HIc est magnus ille dux Pœnus: orbis terror, militaris disciplinæ gloria celeberrimus; Imperatorum exemplar; qui solus omnes perpetuâ fœlicitate militandi superauit, & solus obedientia militum omnes duces, & Imperatores excelluit. Magnus Alexander, Iulius Cæsar, & cæteri magni duces, quæ non audaciæ militaris, insolentiæque incommoda pertulerunt? Quot pericula capitis euaserunt? Quot coniurationes euitarunt? Quot insidias non cauerunt? Solus Annibal nationibus, legibus, moribus, & institutis longe distantibus, didicit imperare: solus per inaccesla, fabulosaque Alpium iuga, perpetuâ niue rigentia, exercitum ab omni secessione securus trasmisit. Qui cùm inuia saxa, rupesque penetrasset aceto; non contra homines tantùm; sed contra naturam, insuperabili, incredibilique labore, pugnasset, frigore, fameque bonam exercitus partem amisisset: neque

Magni ducis laus præcipua.

que dolos vnquam, aut insidias; & quod mirere magis, neque militum, aut murmur; aut tristes vultus sensit. Tam grata omnibus Annibalis militia fuit. Annibali ergo, mortuo patruo Asdrubale, belli summa delata. Qui ad omnes belli occasiones contra Romanos attentus. Primò patris exemplo, nobilissimam fœminam Hispanam, Regia stirpe, Castullone ortam, Himilcem nomine, cum dote amplissima, matrimonio sibi copulat (hac via Hispanorum sibi animos concilibat.) Hispani tanquam ciui suo, omnem Hispaniæ partem vltra Iberum amnem (vt in fœdere Romanorum erat cautum) subdidere. Solertia deinde, industriâque summâ, fodinas auri, argentique diligenter inuestigauit; ex quarum vna tercentum libræ argenti puri puti singulis diebus extractæ. Quid ergo non auderet animus gloriæ cupidissimus, tanta diuitiarum copia fultus? Cum ergo Hispaniam omnẽ vltra Iberum amnem, partim armis, partim metu, partim vltrò se dedentẽ, subegisset; de expugnanda Sagunto, Pop. Rom. socia, cogitare cœpit. Timuit verò, ne prior ipse fœdus violasse videretur. Sed en pro votis domesticæ inter Sagũtinos discordiæ quærenti belli causas, opportunas obtulerunt. A Legato Romano sopitæ; ab Annibale excitatæ, magnum belli excitauerunt incendium. Discordiarum semina inter Turdetanos, Saguntinosque ab Annibale iacta, ducis astuti animum aperuere. Questum de iniurijs, Romam Saguntini misere legatos. Annibalem res nouas moliri, discordias inter ciuitates assiduè serere, nihilque non tentaturum, vt Romanos ad bellum pertraheret; immensas diuitias, iuuenilem arderem, gloriæ cupiditatem, paratos exercitus, quid aliud, quàm periculosissimi belli tempestatem minitar.? Decreta ergo ad Annibalem legatio; sed irrita. Respondit Pœnus, iniustè Romanos velle delicta impunita manere. Amicos â Saguntinis occisos vlcisci oportere, & Turditanos socios ab omni iniuria tueri. *Id enim optimi ducis, & Imperatoris officium, socios, & amicos defendere.* Quapro-

Grata Annibalis omnibus militia.

Annib. matrimonium.

Annibalis diuitia.

Annibalis astus.

pter si fœderis icti iura salua mallent, noxij dedantur, illata cōpensentur damna, seruentur sarta tectáque omnia.

Saguntinorū clades.

Dimissis legatis, Annibal centū quinquaginta millibus armatorum Saguntinos agros, & vicos igne, ferróque vastare, & ad extrema compellere nobilissimam vrbem. E muro vibrata tragula fœmore trāsuerberato ad expugnationem ciuitatis vehementer accensum, graue vulnus, altumque retardauit parumper. Mox vt conualuit, incredibile dictu, quanta rabies vindictę vulneris accepti! Machinis ingentibus muros ciuitatis aggreditur. Crebris ictibus tres turres æquatę solo, hostibus ad ciuitatem viam aperuerunt: sed repulsi magna strage; & intra vallum compulsi. Legati Romani (heu auxilia tarda quid?) iterum ad Annibalem missi, non auditi Carthaginem adnauigarunt. Res acta in Senatu, & in duas sententias itum, (duæ enim factiones erant.) Hannon contrarię princeps iudicauit, Annibalem fœderis violatorem dedi. Potentior Barchina factio, maiorque Senatus pars, auro ab Annibale corrupta, vicit. *Vides ducum imperiū auro, ne bellum finiretur, & ambitione retentum.* Legatis responsum. Saguntinos iusta pati. Annibalem nihil, cur dederetur, commisisse videri. Nascitur interea filius Annibali, cui nomen Aspar, ex Himilce. Natiuitas militari pompa celebrata breue spatium reparandis muris, viribusque Saguntinis dedit. Lignea turris excitata ingens, quæ muros supereminerет, multitudine missilium, Saguntinos in tutiora loca, deserta statione, compulsos, sine muro, fossáue, Carthaginiensium impetum aperto campo sustinere coegit. Hostes vincebant numero; Sagūtini animo superabant. Ergo repulsi Pœni strage magna. Qui terrore commoti, parum abfuit, quin ab expugnanda ciuitate deterrerentur, animos faciente spe Romani auxilij, quam tandiu ægram Saguntini traxerunt, quandiu Annibal ad Carpentanorum, Oretanorúmque motus componendos, propter delectus acerbitatem excitatos, profectus, à castris abfuit. Interim Maharbal relictus

Annibalis vulnus.

Aspar Annibalis filius.

Saguntinorum virtus.

lictus dux, crebris, aut assiduis inuasionibus partem ciuitatis cepit. Reuerso Annibale, spes in rabiem, & desperationem versa est. Nullus consilij locus erat Saguntinis desperatis. Ab Alorco milite Hispano Saguntinorum hospite, & nobilissimę ciuitatis cladem miserante, conditiones pacis oblatæ, reiectę. Halcon Saguntinus alias proponere: vterque cum indignatione repulsus. Tandem vltima desperatio placuit. Ergo cum filijs, vxoribus, bonis omnibus; subiecto igne, cum vniuersa ciuitate in cineres resolui maluerunt, quam in hostium potestatem venire. Sic fidissimi Romanorum amici, sic ciuitas Hispaniæ nobilissima, lamentabili ruina perijt, exemplo singulari. Victor Annibal nihil pręter famam tulit: cùm neque captiuos in triumphum; neque prædam in milites, quam opulentissimam promiserat, vltima desperatio reseruarat. Simul ergo Romam, & Saguntina clades, & legatorum Carthagine aduentus nuntiatus, vrbem timore pariter, & dolore compleuit. Terrori Annibalis potentia erat. Fidissimæ ciuitatis inultæ dolor omnes defixerat. Quid in tanta perturbatione? Bellum ergo Punicum decernitur, quòd quia ad Hispaniam pertinet, breuiter sparsum libet colligere.

Saguntinorum lamentabilis ruina.

DE SECVNDO BELLO Punico.

CAPVT XIX.

CARTHAGINEM legatio missa, quia variè delusa, Carthaginiensibus bellum indixit Consulibus prouincias sortientibus, Cornelio Hispania; Sicilia, & Africa Sempronio, venit. Vtrinque igitur, & acerbus delectus, & armorum rumor, & dijs vota nuncupata, & omnis militaris ętas

descripta. Cornelius prouinciam iniens, Hispanos omnes, præter Bargusios, Saguntina clade perculsosâ Populo Romano alienos reperit. Perrexit ad Gallias, qua transitus Annibali (cuius fama percrebuerat,) in Italiam erat: vt Populi Romani nomine, gentes illas contra Pœnos solicitaret. Sed, obiecta Saguntinorum clade, irrisus Romam rediјt. Annibal interim votis Herculi factis ad Gades, appetente vere, habito delectu tredecim Hispanorum millium cetratorum, octingentorum ex Balearibus, mille quingentis equitibus, tanquam obsidibus, Carthaginem ablegatis, & in eadem classe, quæ illos vexerat, vndecim Africanorum millibus receptis, & fratri Asdrubali cum Hispania cõmendatis: ciuitatum preterea obsidibus Bostari datis in custodiam, ne Hispani res nouas tentarent, cum magnis copijs Italicam expeditionẽ adornare. In somnijs fuerat admonitus priùs, vt in Italiã transiret. (Fortè Deûm ira in eius perniciem, iuramẽto prius obligatum, ad tantam expeditionem adegit.) Ad Rhodanum, cum quingentis equitibus Numidarum trecenti Romanorum, ad exploranda hostium consilia missi, pugnauerunt. Victores Romani, receptique in castra, Pub. Cornelium belli omine letum, ad hostium sequenda vestigia permouere. Interim Annibal auxilio Gallorũ, quos donis, & auro corruperat, trãsmisso Rhodano, magnis itineribus ad Alpium ima consedit. Pub Corn. abiecta insequendi spe, fratre Gn Scipione cum robore copiarum in Hispaniam contra Asdrubalem dimisso, ipse cõtra Annibalẽ, cum reliquis, in Italiam proficiscitur. Annibali pugna maior cum Alpibus, quâm cum hostibus. Cum perpetua hyeme, cum rigentibus montium verticibus gelu, niueque. Cum scopulis, & saxis, igne, ferroque, & aceto, incredibili labore pugnatum. Inaccessa, fabulosaque fastigia superata. Sex millia equitum, peditũ triginta sex millia in eo transitu amisisse proditur, præter ingentem equorum, iumentorumque numerũ. In Italiam digresso Consul Rom. ad Ticinum amnẽ occurrit. Cõmisso tamen

Annibal. apparatus.

Annibal. labor in Alpibus.

Annibalis victoria.

men prælio grauiter vulneratus, tanquã victus in castra se recepit, & sequentis noctis silentio, Placentiã ingressus, muros, portasque armatorũ præsidio munijt. Trepidatum Romę: & alter Consul Sẽpronius, qui ad Siciliã duas Carthaginiensium classes fuderat, venire iussus, ad Trebiã cum Pub. Cornel. copias iunxit. Ambo consules ibi, cum ingenti Romanorum strage, fusi, fugatique. Annibal in Hyberna exercitũ interim dimittere. Postea cum Sempronio pugnatum, iterũ dubia victoria; magna tamen vtrinque cęde. Annibal in Liguriam, ad supplemẽta profectus est, cum magna pars exercitus superioribus pugnis, Alpiũ, & Apennini frigoribus fuisset amissa. Dum hęc in Italia geruntur, in Hispania. Gn. Scipio omnem fere prouinciam vltra Iberũ, sine sanguine, quòd Carthaginiensiũ odio, vltrò ad Romanos defecisset, recepit. Postea cum Hannone, commisso prælio, victor Pœnis cœpit esse terrori. Asdrubal auxilio Hannoni veniens, auditã Romani ducis victoriã, per mediterranea, pedestri itinere, regressus in partes, quæ pro se steterant, naualem turbam cum aliquibus Romanorum incautã oppressit. Interim terrã, mari, cœloque visa horrenda prodigia, futuras belli clades prænuntiare. Romę ad auerruncãdam iram Deûm, maioribus hostijs omnia ritè procurata. Carthagine humano sanguine, placando Saturno, barbarã consuetudinem repetitam. A Phęnicibus id piaculi genus, nam illis (vt est in sacris) mos vetus filios deuouendi. Quæsitus Aspar, Annibalis filius, tanti parentis merito (ô magna in patriam beneficia, ingratam semper) sacrificio exemptus, proditur. Annibal, postquàm nouis supplementis exercitum in Liguria reparauerat, Apeninnum transcendit: non sine iactura, tam militum, quàm iumentorum. Ipse quoque vnum amisit oculum, quo formidabilior, terribiliorque facies hostibus apparuit. Ad lacum Trasimenum, in Tuscia, iuxta Perusium castrametatus, omnem circa regionem depopulatur, ad eliciendos, prouocandosque Romanos,

Res in Hispania gestæ.

Gn. Scipion. victoria.

Aspar Annibalis deuotus.

Annibal oculum amisit.

&

& Flaminium Consulem, qui cum exercitu in manifestam perniciem aduolarat. Dispositis insidijs Annibal aciem in campo explicat. Conseritur pugna, licèt paribus animis; non tamen prudentia, aut fortuna pari. Romani circumuenti, quamuis desperatio faceret animos, à tergo, & à fronte trucidantur. Quindecim millia cæsa, totidem eo pręlio capta. Consulis ipsius mors luctuosam, & ominosam Romanis diem attulit. Quatuor millia equitum, quæ subsidio venerant, eisdem insidijs intercepta, & ad vnum occisa, victorię famam auxerunt. Tunc primùm experta Roma Imperiũ Italiæ, quod tot sæculis quæsierat, cum ipsa vrbe amitti, & extingui, & quidquid æternum fundasse putabat, temporis momento corrui posse. Romani tanta strage perculsi, ad religionem conuersi, Sybillinos libros explicant, & consulunt, dum Annibal Picenos, Marsos, & alios Italiæ populos victoriæ cursu deuastat. Dictator Quintus Fabius Maximus creatur, qui magistrum equitum Quintum Rufum dixit. Dictator ergò Fabius, cùm Annibalis fœlicitatem, nisi cunctando, frangi non posse reputasset animo, in Apuliam profectus, integrum seruans exercitum, cunctando res afflictas tot cladibus, aut restituit, aut recreauit. Et heu tanta prudentia male audiuit: & quòd Annibal pugnandi copiam sæpius fecisset, timori datum, recusasse pugnare. *Cùm integro milite rempublicam tueri potiùs, quàm vnius pugnæ fortunæ aleam committere, prudentissimi ducis esse videatur, ni pauidis militum animis recuperandæ amissæ gloriæ opportunior occasio sese ostenderit.* Minuit acceptæ cladis dolorem, Romanorum in Hispania victoria ¶ Gneius Scipio comparatâ triginta nauium classe viginti Carthaginienses militibus vacuas cepit: alijs quatuordecim, quòd contrario vento, reliquis se coniungere nequiuerant, eodem tempore oppressis. Qua victoria imperium maris obtinuit, vidente Asdrubale, & itinere fatigato. Multa Hispanię oppida Romani ducis fortunam

Annibal. victoria.

Fabij Dictatoris prudētia.

Romanorum victoria in Hispan.

tunam ſequuta. Italię ciuitatum direptionem, aut an iſſionem abundè compenſarunt: præſertim cùm eodem tempore Celtiberi à Romanis ſolicitati, quindecim Carthaginienſium millia trucidaſſent. Quę omnia ad annum 538 ſunt geſta. 538.

SCIPIONES, IN Hiſpania.

CAPVT XX.

GNEIVS Scipio, miſsis ad Senatum de rebus ab ſe geſtis literis, & ſupplementum exercitus & fratrem P. Scipionem, cui Patres, poſt Conſulatum, Imperium prorogarant, belli ſocium cum ęquali poteſtate accepit. Triginta naues, in quibus militum octo millia, & cætera ad bellum neceſſaria erant, appulerunt. Eo tempore Acedux nobilis Saguntinus ingenio Punico, aduerſus Pœnos, Boſtari ſuadet, ciuitatibus obſides reſtituat, fideque magis, quàm obſidibus Hiſpanam gentem in officio continere mallet. Boſtar homo ſimplex nullum ſubeſſe dolum ratus, obſides Aceduci, bona fide, tanquàm amico, tradit, vt quemque ſuæ ciuitati redderet: malle ſe amore, beneficijſque cum Hiſpanis, quam armis, & vi, certare, dictitans. Acedux transfuga (vt tā ingenti beneficio pręcipuum apud Romanos gratiæ locum pręoccuparet) Romanis ducibus obſides prodit, qui eos, tanquam ab ſe donatos, ciuitatibus liberaliter remiſerunt. Hac arte, Boſtaris facilitas deluſa, & illius beneficium pro Romanis habitum, ad Romanorum partes ciuitates, quarum obſides erant, traxit. Hęc tamen proſpera Romanis in Hiſpania, Canenſi in Italia clade perturbata. Creati Conſules Æmilius è nobilitate, Marcus Terentius è plebe, diſcordibus animis, exercitum ad Ianienam *Aceducis aſtus.*

nienam potiùs, quàm ad pugnam duxerunt. Prudens Æmilius, exemplo Fabij, cunctando tueri Remp. Varro animo præcipite, & ardenti, collatis signis pugnare destinauerat. Discordiæ alterno imperio finitæ, finem Imperij Romani, temeritate Varronis, attulisse potuerunt, si bellum Annibal eâdem pugnâ finitum voluisset. *Sed est quibusdam ducibus bellum, quæstus: trahere, quàm absoluere malunt: & imperandi libidini magis, quàm gloriæ, patriæque student.* Ergo Varro, vt Plebeius Consultatus ab se aliquo præclaro facinore nobilitaretur, die suo destinato Imperio, quòd Annibal pugnæ copiam fecisset, exercitum educit, & explicat, inuito, & reclamante altero Consule, & se in manifestam perniciem præcipitare, tueréque clamitante. Pugnatum acriter summa virtute, victoria penes Annibalem stetit. Plusquam duo, & quadraginta millia peditum Romanorum, equitum tria millia cęsa, cum ipso Consule Æmilio: qui cùm potuisset, pugnę tamen superesse noluit, patriæ excidium perhorrescens. Capta prętereà duodecim millia. Tanta nobilitas interempta, vt annuli è nobilium digitis tres modios implerent; quos Magon Annibalis frater victoriæ nuntius Senatu Carthaginiensi coram effudit, vt tam insignis argumento stragis, Romanæ potentię interitum demonstraret. Alter Consul Varro, cũ reliquis, qui superfuerant, fuga se Romã proripuit, tantę temeritatis pœnas daturus, si calamitosa reipublicę tempora non obstarent. Tam inaudita clades accepta, Italiæ, Hispaniæque ciuitates tanto stupore defixerat, vt pręter paucas Italię, quæ metu ad Annibalem defecerant, omnes, & admiratione & expectatione, dubia se fide continerent. In Hispania Scipionum industriâ nihil nouatum. Missus tamen Mago, cum supplemento copiarum, datis ad Asdrubalem literis quibus iubebatur, in Italiam iter maturare, copiasque cum fratre coniungere. Ægrè tulit Asdrubal imperata Senatus. Tradita verò Himilconi prouincia, magno cum Hispanorum delectu, & Afrorum

Cæsorũ numerus.

sup-

supplementis profectionem adornauit. Subijt Scipionibus impediendę tam periculosę expeditionis ingens cura. Nam quid ageret Italia, quæ vnum Annibalem sustinere non potuit, si victoris fortunę fratris Asdrubalis vires accessissent? Igitur Iberiam ciuitatem, Pœnorum sociam, arctá cingunt obsidione; vt Asdrubalis iter, noua occasione belli, vel impedirent, vel retardarent. Asdrubal eadem arte, ciuitates Romæ socias adortus, Scipiones ab obsidione auocatos ad iustam pugnam elicuit. Pugnatum accerrime diù; sed Hispanorum fugâ, Carthaginiensium odio, quòd eos ad Italię bellum acerbè compulissent, penes Romanos, ingenti Pænorum strage, vistoria stetit. Asdrubal fuga elapsus, nouam Chartaginem petere. Scipiones, missis literis rei benegestæ, Romam superioribus cladibus mœstam recreare: & parta victoria, & expeditione Asdrubalis impedita, quę nouo terrore, non solum Vrbem, sed vniuersam Italiam perculerat. Hæc ad annum. 539. ¶ Mittitur illico Magon Annibalis frater in Hispaniã, cum sexaginta triremium classe, qui cum Himilcone, & Asdrubale, bellum repararet. Igitur iunctis viribus, sumpto de quibusdam ciuitatibus supplicio, quòd Romanas partes fouissent, oppidum Iliturgum expugnare aggrediuntur. Scipiones laturi suppetias cum sexdecim millibus, & magna in subsidium frumenti copia opportunè accurrere. Magno cõmisso prę lio, Carthaginiensium cædes maior fuit, quãm pro numero Romanorum. Tria equitum, peditum sexdecim millia cæsa. Pœni castris exuti: reparatis viribus, fortunam iterum tentare ausi, amissis tribus millibus, cadenteque Himilcone, terga vetere. Quo tempore altum Carthago vulnus accepit: classe à Tito Manlio Torquato superata, & ab Annibale pręcipuâ Hispanæ militię parte ad Romanos deficiente. Cum Annibale iam Romani magis astu, & arte pugnare: cùm aperto campo signa conferre non auderent. Per primores ergo Hispanorum egerunt, vt Hispani milites, deserto

Scipionũ victoria.

539.

Scipionũ victoria.

Romanorum ars.

Annibale, ad Romanos ſigna transferrent. Cùm victoriæ momenta eò inclinare animaduertiſſent, quò Hiſpani ſemper incubuerunt.

CARTHAGINIENSIVM, ET Romanorum, in Hiſpania, euentus varij.

CAPVT XXI.

MAGON, & Aſdrubal fratres vlteriorem, duo Scipiones citeriorem Hiſpaniam: licèt non pari fortuna, pari tamen odio, in armis habebant, anno ſequenti. 540. In hoc tamen
640 Romæ, Carthaginiq́ue æmulatio præcipuè oſtenditur, quòd vtraque ciuitas paria fratrum, quos opponeret, eodem tempore habuit. Triplici pugna hoc anno dimicatum eadem fortuna, victi Carthaginienſes in fugam vertuntur. Duodecim millia cæſa, capta ſex millia. Sic Pœnorũ res vehementer acciſę: præcipuè cùm Hiſpanæ gentis odio laborarent. Sequenti anno Magon profectus in Gallias, Menicatum, & Ciuiſmarum principes gentis, antiquo cum Annibale fœdere renouato, cum nouem millibus Gallorum ad Hiſpaniæ bellum exciuit. Aucti Carthaginienſes Gallorum copijs, appetente vere, cum ſpe victoriæ maiori dimicare. Maior hoſtium ſtrages fuit. Galli omnes cum ducibus trucidati, (*& eſt in Hiſpania Gallis ominoſa militia*) octoq́ue Carthanienſium millia cecidere. Tam illuſtri victoria parta, Romani in Saguntinorum ſolatium, Turdetum excidij Saguntini cauſam, excindunt. Saguntinis campi attributi, iuſſiq́ue patriam reficere. Turdetani omnes ſub haſta veniere.

Ingens Romanorum victoria.

DE

DE NOVO BELLO Africano.

CAPVT XXII.

PVLCRITVDO *fœminarum solita bella misce-re*, periculosissimis reipublicæ temporibus Carthaginienses, & Afros bello nouo implicuit. Sophonisbam Asdrubalis Gisgonis filiam pulcherrimam adolescentulam Siphax Numidarum Rex vehementer deperire. Patre absente, solenni legatione, à Carthaginiensium Senatu poposcit, sibi in matrimonium Sophonisbam dari. Negauit Senatus, inconsulto patre fore matrimonium ratũ. Rex babarus responsum in iniuriam vertit: & opportunam ratus occasionem, externa bella, tentat armis, quòd precibus nequiuerat obtinere. Ea res non latuit Scipiones, ad omnes belli occasiones attentos: qui missis tribus legationibus, contra Pœnos cum Rege fœdus, & amicitiam sanxerunt; consilio, opeque gerendo bello, tanquam Pop. Romano gratissimo, affuerunt. Opponunt Carthaginienses alterum Mauritaniæ Regem Gallam; quanuis non æquè potentem, amicum tamen, & socium. Habebat Galla filium Masinissam, adolescentem indolis Regię, magnæ spei iuuenem. Huic datę copiæ, & belli summa commissa. Commisso prælio, victor Masinissa triginta millia vna pugna cęcidit. Regem fugâ elapsum, ad Maurusios, & vltimos Regni sui terminos compulit. Inde, cùm reparatis viribus in Hispaniam nauigare, & fortunam iterum tentare destinasset; victus, & pene captus, bellî consilia abiecit. Hac victoriâ Romanis luctuosâ, visa fortuna est in Hispania satis illis fauisse; & Carthaginienses, tot cladibus afflictos, expugnata in Italia Tarento, solari voluisse. Hęc ad annum 542.

Sophonisbæ pulcritudo.

Siphacis bellum, contra Carthaginienses

Masinissæ victoria.

542.

pœnæ militiæ gloriam tam barbara perfidia fœdari. Nulla tamen gens sine crimine; præsertim cùm non publico, sed priuato consilio peccatur. Vnus inuentus est Lucius Martius Romanus eques, qui Rem Romanam superiori clade vehementer accisam, collectis reliquijs, in spem recuperandæ salutis erexit. Vix tamen se, suosque collegerat, intraque vallum munierat, cùm à victoribus Pœnis vndique circumfusis premitur. Romanis fecerat animos desperatio. Non solùm hostes, qui ad prædam sine ordine irruerant, intra vallum eminùs propulsare; sed tanquam leones, patefactis castrorum portis, veluti furijs agitati, in incautos insilierunt. Magna strages victores modò terga dare coegit. Romanos tanta rabies egerat in hostes, vt, ni timerentur insidię, vna dies, vnaque pugna, victos pariter, & victores ęquasset. A victoria profecta fiducia Pœnos perdidit. *Hostium contemptus sæpissimè luctuosam victoriam fecit.* Romani superiori fortuna edocti, intra vallum se recipiunt; & tanta victoria lęti, Martium Imperatorem salutant. Imperium à Martio recusatum; quòd non publica datum authoritate. Authoritas tamen belli gerendi retenta, à militibus oblata. Carthaginienses rati, metu Romanos cecinisse receptui; in patente planitie, sine vallo, eâdem securitate, se vino, somnoque dederunt. Martius occasionem nactus, aduocatâ concione, hostes, vino, somnoque sepultos, opprimendos dixit. Milites, flamma è suadentis Martij capite micante, confirmati; & alacres, quarta vigilia educti, & proxima silua, qua Carthaginiensibus iter erat, insessa, hostes adoriuntur. Maior cædes, quâm pręterita; & ingens sine pugna victoria. Cæcos, fugientesque excipiunt insidiæ, trucidantque. Eodem impetu, castra Magonis, quæ à castris Asdrubalis sex tantùm aberant milliaria, antequam quicquam fama vulgasset, inuaserunt. Romanorum contemptu, eâdem negligentiâ securos, intra vallum, ęqua strages oppressit. Plusquam triginta millia hostium his duobus pręlijs cęsa.

Insperata Romanis victoria.

L. Martij victoria illustris.

cęſa. Carthaginienſium clades, Romanorum cladem æquaſſet; ni Pœni duces elapſi, in Bethicam ſe recepiſſent. Hæc ad annum 543. geſta. ¶ Romę, literis à Martio de rebus geſtis ad Senatum ſcriptis, certiores facti, lætique Patres: ægrè tamen tulere, ſe Martium ſine authoritate Senatus Proprętorem nominaſſe, ſcripſiſſeque. (Heu ingrata patria, quâm graue peccatum.) Miſſus Claudius Nero in Hiſpaniam, cum vndecim millibus armatorum; milleque, & centum equitibus, iunctis Martij; Fonteijque copijs, contra Aſdrubalē mouit. Qui in locorum anguſtias compulſus, cùm vi non poſſet, arte Punica euaſit. Se velle ait, cum duce Romano, de fœdere agere. Pœnos bello feſſos amare pacem. Dum ergo vltrò, citroque conditiones pacis trahuntur, Pœnus, locorum anguſtijs ſuperatis, Romani ducis ſimplicitatem eluſit, & ſeſe in tutiora recepit.

Alia Pœnorum cades. 543.

P. SCIPIO, IN HISPANIA.

CAPVT XXV.

HIc eſt ille P. Scipio, penes quem tam periculoſi belli perfecti gloria, à quo illi *Africani* cognomen, & ampliſſima deuicti Annibalis laus ſtetit. Iuſtus ſemper, & ęqui amantiſſimus, tēpla Deûm, ſuſceptis pro patria votis, aſsiduè frequentare ſolebat. Poſt Cānenſem cladem, cùm è nobilitate plurimi adoleſcentes coeuntes, de patria deſerenda ſecreta conſilia inirent: vnus tantùm Pub. Scipio, ſtricto gladio in concionem irruens, omnem illam iuuentutem à tam periculoſa Reip. ſententia, iuramento conceptis verbis deterruit; mortem illi minitans, qui iurare in ſtricti gladij cuſpide recuſaſſet. Maius neſcio quid, & homine auguſtius, in Scipionis vultu conſpexere Romani, cur eam illi authoritatem conciliaret: vt diuinâ potiùs intùs animante virtute, quâm intentato mortis

Scipionis laus.

supplementis profectionem adornauit. Subijt Scipionibus impediendę tam periculosę expeditionis ingens cura. Nam quid ageret Italia, quæ vnum Annibalem sustinere non potuit, si victoris fortunę fratris Asdrubalis vires accessissent? Igitur Iberiam ciuitatem, Pœnorum sociam, arctâ cingunt obsidione; vt Asdrubalis iter, noua occasione belli, vel impedirent, vel retardarent. Asdrubal eadem arte, ciuitates Romæ socias adortus, Scipiones ab obsidione auocatos ad iustam pugnam elicuit. Pugnatum accerrime diù; sed Hispanorum fugâ, Carthaginiensium odio, quòd eos ad Italię bellum acerbè compulissent, penes Romanos, ingenti Pænorum strage, victoria stetit. Asdrubal fuga elapsus, nouam Chartaginem petere. Scipiones, missis literis rei benegestæ, Romam superioribus cladibus mœstam recreare: & parta victoria, & expeditione Asdrubalis impedita, quę nouo terrore, non solum Vrbem, sed vniuersam Italiam perculerat. Hæc ad annum. 539. ¶ Mittitur illico Magon Annibalis frater in Hispaniã, cum sexaginta triremium classe, qui cum Himilcone, & Asdrubale, bellum repararet. Igitur iunctis viribus, sumpto de quibusdam ciuitatibus supplicio, quòd Romanas partes fouissent, oppidum Iliturgum expugnare aggrediuntur. Scipiones laturi suppetias cum sexdecim millibus, & magna in subsidium frumenti copia opportunè accurrere. Magno cõmisso prę lio, Carthaginiensium cædes maior fuit, quâm pro numero Romanorum. Tria equitum, peditum sexdecim millia cæsa. Pœni castris exuti: reparatis viribus, fortunam iterum tentare ausi, amissis tribus millibus, cadenteq; ue Himilcone, terga vetere. Quo tempore altum Carthago vulnus accepit: classe à Tito Manlio Torquato superata, & ab Annibale pręcipuâ Hispanæ militię parte ad Romanos deficiente. Cum Annibale iam Romani magis astu, & arte pugnare: cùm aperto campo signa conferre non auderent. Per primores ergo Hispanorum egerunt, vt Hispani milites, deserto

Scipionū victoria,

539.

Scipionū victoria.

Romanorum ars.

Annibale, ad Romanos signa transferrent. Cùm victoriæ momenta eò inclinare animaduertissent, quò Hispani semper incubuerunt.

CARTHAGINIENSIVM, ET Romanorum, in Hispania, euentus varij.

CAPVT XXI.

640 MAGON, & Asdrubal fratres vlteriorem, duo Scipiones citeriorem Hispaniam: licèt non pari fortuna, pari tamen odio, in armis habebant, anno sequenti. 540. In hoc tamen Romæ, Carthaginique æmulatio præcipuè ostenditur, quòd vtraque ciuitas paria fratrum, quos opponeret, eodem tempore habuit. Triplici pugna hoc anno dimicatum eadem fortuna, victi Carthaginienses in fugam vertuntur. Duodecim millia cæsa, capta sex millia. Sic Pœnorũ res vehementer accisę: præcipuè cùm Hispanæ gentis odio laborarent. Sequenti anno Magon profectus in Gallias, Menicatum, & Ciuismarum principes gentis, antiquo cum Annibale fœdere renouato, cum nouem millibus Gallorum ad Hispaniæ bellum exciuit. Aucti Carthaginienses Gallorum copijs, appetente vere, cum spe victoriæ maiori dimicare. Maior hostium strages fuit. Galli omnes cum ducibus trucidati, (*& est in Hispania Gallis ominosa militia*) octoque Carthaniensium millia cecidere. Tam illustri victoria parta, Romani in Saguntinorum solatium, Turdetum excidij Saguntini causam, excindunt. Saguntinis campi attributi, iussique patriam reficere. Turdetani omnes sub hasta veniere.

Ingens Romanorum victoria.

DE NOVO BELLO Africano.

CAPVT XXII.

PVLCRITVDO *fœminarum solita bella miscere*, periculosisimis reipublicæ temporibus Carthaginienses, & Afros bello nouo implicuit. Sophonisbam Asdrubalis Gisgonis filiam pulcherrimam adolescentulam Siphax Numidarum Rex vehementer deperire. Patre absente, solenni legatione, à Carthaginiensium Senatu poposcit, sibi in matrimonium Sophonisbam dari. Negauit Senatus, inconsulto patre fore matrimonium ratũ. Rex babarus responsum in iniuriam vertit: & opportunam ratus occasionem, externa bella, tentat armis, quòd precibus nequiuerat obtinere. Ea res non latuit Scipiones, ad omnes belli occasiones attentos: qui missis tribus legationibus, contra Pœnos cum Rege fœdus, & amicitiam sanxerunt; consilio, opeque gerendo bello, tanquam Pop. Romano gratissimo, affuerunt. Opponunt Carthaginienses alterum Mauritaniæ Regem Gallam; quanuis non æquè potentem, amicum tamen, & socium. Habebat Galla filium Masinissam, adolescentem indolis Regię, magne spei iuuenem. Huic datę copiæ, & belli summa commissa. Commisso prælio, victor Masinissa triginta millia vna pugna cęcidit. Regem fugâ elapsum, ad Maurusios, & vltimos Regni sui terminos compulit. Inde, cùm reparatis viribus in Hispaniam nauigare, & fortunam iterum tentare destinasset; victus, & pene captus, belli consilia abiecit. Hac victoriâ Romanis luctuosâ, visa fortuna est in Hispania satis illis fauisse; & Carthaginienses, tot cladibus afflictos, expugnata in Italia Tarento, solari voluisse. Hęc ad annum 542.

Sophonisbæ pulcritudo.

Siphacis bellum, contra Carthaginienses

Masinissæ victoria.

542.

cęſa. Carthaginienſium clades, Romanorum cladem æquaſſet; ni Pœni duces elapſi, in Bethicam ſe recepiſſent. Hæc ad annum 543. geſta. ¶ Romę, literis à Martio de rebus geſtis ad Senatum ſcriptis, certiores facti, lætique Patres: ægrè tamen tulere, ſe Martium ſine authoritate Senatus Proprętorem nominaſſe, ſcripſiſſeque. (Heu ingrata patria, quàm graue peccatum.) Miſſus Claudius Nero in Hiſpaniam, cum vndecim millibus armatorum; milleque, & centum equitibus, iunctis Martij; Fonteijque copijs, contra Aſdrubalē mouit. Qui in locorum anguſtias compulſus, cùm vi non poſſet, arte Punica euaſit. Se velle ait, cum duce Romano, de fœdere agere. Pœnos bello feſſos amare pacem. Dum ergo vltrò, citroque conditiones pacis trahuntur, Pœnus, locorum anguſtijs ſuperatis, Romani ducis ſimplicitatem eluſit, & ſeſe in tutiora recepit. *Alia Pœnorum cædes.* 543.

P. SCIPIO, IN HISPANIA.

CAPVT XXV.

HIc eſt ille P. Scipio, penęs quem tam periculoſi belli perfecti gloria, à quo illi *Africani* cognomen, & ampliſſima deuicti Annibalis laus ſtetit. Iuſtus ſemper, & ęqui amantiſſimus, tēpla Deûm, ſuſceptis pro patria votis, aſsiduè frequentare ſolebat. Poſt Cānenſem cladem, cùm è nobilitate plurimi adoleſcentes coeuntes, de patria deſerenda ſecreta conſilia inirent: vnus tantùm Pub. Scipio, ſtricto gladio in concionem irruens, omnem illam iuuentutem ā tam periculoſa Reip. ſententia, iuramento conceptis verbis deterruit; mortem illi minitans, qui iurare in ſtricti gladij cuſpide recuſaſſet. Maius neſcio quid, & homine auguſtius, in Scipionis vultu conſpexere Romani, cur eam illi authoritatem conciliaret: vt diuinā potiùs intùs animante virtute, quàm intentato mortis *Scipionis laus.*

tis periculo, sententiam mutasse viderentur. Ergo Pub. Scipioni, præter ætatem, cæteris bellum detrectantibus, Hispania decreta. *Ætati prælata Religio, quam summè coluit, attulit honores præter ætatem. Iusto, fortique viro leges seruiunt; non imperant.* Vt ventum in prouinciam, aduocata concione, Lucio Martio, militibusque collaudatis, quòd labentem, collapsamque Rem Romanam restituissent. Lucio Scipione fratre, & Caio Lælio prudentissimo viro, cuius consilia bello, paceque plurimùm Scipioni profuerunt ad gloriam, gerendo bello legatis, militibus commendatis: ad expugnandam Carthaginem Spartariam, præcipuam Pœnorum arcem, portumque, quò Carthaginienses obsides ciuitatum, & cætera ad bellum necessaria contulerant, animum adiecit. Qua expugnata, Pœnos retinendi in Hispania imperij spem abiecturos omnem, reputabat. Tradita Lælio classe, & vestigia sequi iusso, ipse terrestribus copijs expeditionem adornat. Erat tunc Asdrubal ad fluuium Anam, Magon ad Gades, alter Asdrubal in Carpentania. Sic distractis Pœnorum ducibus, cùm auxilio præsto esse non possent, capi Carthaginem facilè posse. Octauo ergo die, terrâ, mariqúe Carthago expugnari cœpta. Præerat ciuitati Magon alter, dux impiger; qui ducis, militisque officio egregiè functus, aliquot dies non solùm restitit fortiter; sed patefactâ portâ, factâ irruptione cum hostili cæde, repulit Romanos. Erat Carthago loci naturâ inexpugnabilis. Mari vndique ferè cincta; qua parte à terra, viâ, & asperitate locorum, & validissimo Hispanorum præsidio, cùm Pœnorum selectissimis firmabatur. Bis repulsi Romani, à piscatoribus admoniti, per maris decrescentis æstuaria posse pedites ad muros ciuitatis euadere. Iubet Scipio terrestri pugna, duobus diuersis locis muros aggredi; vt, Carthaginiensibus ad periculum duplex diuulsis; confluentibusque, Lælius per æstuaria, qua nihil timebatur, in ciuitatem irrumperet. Actum, vt compositum, oppor-

Carthaginis expugnatio.

opportunè. Lęlius, vt animaduertit Pœnos locum, vtpote satis munitum præsidio nudasse, & ad pugnantes aduolasse; dato signo, resistente nemine, transcensis muris in ciuitatem euasit. Cędes obuia, & rumor à tergo pugnantes auertit; qui desertis stationibus, & spe defendendę ciuitatis abiecta, in arcem confugere. Diues pręda, ciuitas direpta. Scipionis liberalitas, milites alacres, promptosque ad cętera reddidit. Honestis conditionibus dux Pœnus, arce tradita, liber dimissus. Obsides viatico adiutos, præsidioque securos, sine vllis conditionibus, suis ciuitatibus liberaliter restituti. Beneficia, quibus Hispani vehementer capiuntur, ad domandos feroces populos, certa, vnicaque inuenta Scipioni via, & ars. Sed ne temeritas videretur, quàm liberalitas, Mandonij vxor, & Indibilis fratres retenti, quod ad res nouas potentissimi haberentur. Auxit inter Hispanos Scipionis admirationem; & liberalitatem res in militię rara, & prodigio similis. Inter captiuam prædam, pulcherrimam à militibus puellam oblatam, laudatamque, videre noluit; *ratus iuuentutem suam, gloria militari florentem, pulchritudine captam posse marcescere.* Aurum pro redemptione fœminæ oblatum pro dote, postquam Luceio Hispano nobili desponsam resciuit, puellamque intactã, cum pręsidio militari, remisit. (*O discant duces, ab vno Scipione, Magnos esse!*) Quid mirum, si ea res, iuuenem sponsum, amicos, cum equitibus mille, ad omne bellum fidissimos traxerit? Inter milites, qui primi muros ascenderant, ortam seditionem, de murali corona, vtrique pro tribunali laudato data, sedauit, & magnificentia iustitiam dubiam diremit. Sententia militibus gratissima; & dux, acclamatione militari, affectuque singulari celebratus. Lælio aureâ coronâ donato, triginta boues ad sacrificium dati; & cum literis ad Senatum decreta legatio. Quâ auditâ, *gratiæ primùm actæ Ioui:* & supplementa, cęteraque ad bellum necessaria, liberaliter suppeditata. ¶ Diuersa in Italia fortuna Romanos nouo

Scipionis liberalitas, & continẽtia.

F terrore

Annibalis victoria.

terrore perculerat; Gneio Fuluio, cum vndecim tribunis, & vniuerso exercitu, trucidato. Masinissa, cum quinque Numidarum millibus equitum, & exercitu magno, bellum in Hispania reparare. Asdrubal cum illis, & magnis Hispanorum copijs, profectionem in Italiam comparare. Quibus Romani quasi nouo se bello implicuerunt.

CARTHAGINIENSES VICTI ab Hispania pulsi.

CAPVT XXVI.

HISPANIARVM proceres armis inuicti; vna Scipionis liberalitate superati, passim ad Romanos deficere, sociare vires, & spe mitioris imperij Romano duci se dare. Inter primores Edescus, Mandonius, Indibilis, quòd filios, vxores, fratres, capta Carthagine Spartaria liberaliter recepissent, Scipionis viribus accesserunt. Scipio copijs auctus, victoria celebris, Hispanorum auxilijs, Carthaginiensibus formidabilis, cum Asdrubale dimicare: & vnius pugnæ aleâ, de Hispaniarum imperio decernere statuit. Profectus ergo in Bethicam, qua se cum magnis copijs Asdrubal tenebat, armorum terrorem circumferens, Pœnos in loca munitissima compulit. Asdrubal cum Hispanorum fidem suspectam habuisset, collem amne cinctum, castris munitissimis occupare. Collocato ad collis radices Numidarum equitatu, ipse loco sublimiori cum robore copiarum occupato, Scipionis aduentum, in fronte dispositis elephantis opperiri. Scipio, cùm animaduertisset, Pœnos magis loci natura, quàm armis fidere, gloriæ cupiditate accẽsus, in hostes, & in pericula ferox, pugnam capessit. Ab hostibus nullum in cassum telum in subiectos Romanos; adscensus impeditus, & difficilis, dubiam victoriam faciebat

Ingens Romanorum victoria.

bat

bat. Vicit tamen pertinax Romanorum virtus Pœnorum constantiam. Summo labore, multísque cadentibus; disiectis Pœnis, & Numidis, qui adscensum impediebant, Romani in sublimiorem locum euaserunt. Maior ibi cum elephantis pugna; & parum abfuit, quin Romani è sublimi deturbati terga darent: sed Scipionis præsentiâ, & Lælij audaciâ, qui per medios hostes in apertum collem irruperat, confirmati vicerunt. Octo millia cæsa, capta decem millia peditum, duo equitum millia. Inter equites, Masiua filius Masinissæ captus, insigni equo, & pretiosa veste donatus, ad patrem remissus, amicitię Scipionis; & Masinissæ viam aperuit. Asdrubal prçmissis elephantibus cum pecunijs, & impedimentis, ad Pyrinęos cum reliquo exercitu magnis itineribus contêdit. Quo alter Asdrubal Gisgonis, & Magô, Pœni duces præsto fuere. Ibi de belli summa consultantibus placuit, Asdrubalem Gisgonis in Lusitaniam, Masinissam contra Romanos, Magonem ad Baleares pro supplemento copiarum, Asdrubalem Barchinum cum magnis copijs in Italiam, quod habuerat in mandatis, proficisci. ¶ Anno sequenti 546. in Italia Annibalis victoria apud Tarentum, trucidato Romanorum exercitu cum duobus consulibus, Marcello, & Crispino, Hispanam compensauit cladem. Postea verò fratre Asdrubale ad Metaurum fluuium; â duobus consulibus Liuio Salinatore, & Claud. Nerone, cum quinquaginta millibus Hispanorum, & Pœnorum cæso, Cannensis æquata strages. ¶ Anno sequenti 547. Hannon in Hispania succedit Asdrubali, qui cum Magone redeunte è Balearibus, prouinciam iniens, in Silanum â Scipione missum incidit. A quo captus, & ad Scipionem adductus, etiam Magone superato, Pœnos noua strage perterruit. Asdrubal victorem Romanum expectare non ausus, milites in socias ciuitates diuisit, & diligenter ad obsidionem se munijt. ¶ Anno sequenti 548. Asdrubal maioribus copijs, quinquaginta millium peditum, & quatuor millium equitum, cum Romanis aperto

546. *Carthaginiensiu victoria.*

547.

548.

aperto Marte pugnare decreuit. Scipio, cognito Pœni ducis consilio, legionibus Romanis quatuor millia Hispanorum, cum equitibus quingentis, à Colca nobilissimo Bethicę Principe accepta, commiscens, aduersus Asdrubalem proficiscitur. Positis castris, quater vtrinque instructę acies, & facta copia pugnandi. Vallem interiectam inter vtraque castra nemine transcendere auso, toties in castra exercitus ab vtraque parte reductus. Septima nocte Scipio iubet milites corpora curare, ante lucem sumere cibum, & omnia ad pugnam necessaria parari. Castra hostium inuadere, & intra vallũ aggredi Pœnos oportere dixit. Ergo prima luce præmisso equitatu, ipse cum legionibus sequitur. Ad rei nouitatem in castris Pœnorum trepidatum, quòd nihil minùs, quâm inopinata illa incursio, timeretur. Patefactis tamen castrorum portis, emissis Numidarum equitibus, qui adequitantes Romanos repellerent, Pęnus aciem trepidè instruit. Superueniens tamen Scipio cum legionibus, adhuc trepidantes adoritur. Pugnatum diù pro gloria, imperioque. Iusserat Scipio pugnam protrahere; vt pransi ieiunos frangerent diuturnitate pugnæ, & ita integri fessos vrgerent. Et quia Romani veterani contra tyrones Hispanos, quibus magna pars exercitus Pœnorum constabat, manus conseruere, maior, quâm vnquam, cædes hostes in fugam compulit. Fugientem sequitur Scipio, & altera die reparatis viribus acriter iterum pugnatur, eâdem fortuna. E tam numeroso Pęnorum exercitu septẽ millia, cum Asdrubale, & Masinissa, fuga seruauit. Asdrubal properè se ad Gades cõtulit. Masinissa, cum ijs, quibuscũ è pugna euaserat, occupato monte se munijt qui Romanorũ fortunam, & Carthaginiensium res accisas vehementer admiratus, cum Sillano de fœdere cum Romanis feriendo secretò egit. Sic liberè permissus abire, & Scipio Tarraconã versus retrò victor abijt. Quę omnia hoc anno, & quinto Scipionis, post initam Hispaniã, ab excidio Saguntino decimoquarto contigerunt.

Ingens Romanorum victoria.

ACTA

ACTA SCIPIONIS IN HISPANIA, post victos Pœnos.

CAPVT XXVII.

VICTIS in Hispania Pœnis, expugnandæ Carthaginis in Africa Scipioni consilium subijt. Primò cum Masinissa iam amico egit, vt Siphax Masesulorum Rex in amicitiam quoque Romanorum veniret. Lælio ab Scipione legato respondit Rex barbarus, se, nisi præsente Scipione, nihil tentaturum. Scipio, vt tantum negotium perficeret, rem periculosam suscipere. In Africam transgressus liberaliter ad eandem mensam, & ad eundem lectum inuitatus à Barbaro. Aderat Asdrubal, vt pacta, si posset, impediret. Rex tumens, quasi magnis duorũ potentissimorum populorum imperatoribus iura dicturus; & quasi belli, pacisque arbiter, cępit pacis, fœderisque mentionem facere. Ad quæ Scipio, pro maistate Romana. Se nihil inconsulto Senatu, Populoque Rom. posse pacisci. *Scipionis libertas.* Ad ea quorum gratia tantum iter susceperat, responderet. Aliter se, Romanosque viam perficiendi belli quæsituros. Romani ducis libertate territus Rex, & rebus à Scipione gestis cómotus, fœdus cum Romanis, & amicitiam sanxit. Scipio reuersus in Hispaniam Iliturgũ, & Castulonẽ expugnat, mulctatisq; quibus culpa maior, Marciũ ad alias ciuitates cum exercitu mittit, & ad alia belli necessaria, populique Rom. socios conueniendos ipse proficiscitur. Carthagine Scipionum manibus celebrauit inferias. Gladiatores voluntarij depugnarunt; *Duorum* inter quos duo Hispani fratres Corbis, & Orsua nobile *fratrum* præbuere certamen. Ibę ciuitatis vterque sibi impe- *Hispano-* rium arrogabat. Orsua minor, armis, quàm iudicio sta- *rum pu-* re malebat. At Corbis fratre superato causam vicit. *gna.* Astapa ciuitas, metu conscientiæ, cùm se Marcio de- *Astapa se* dere renuisset, Saguntinorum exemplum imitata, se *incendit.*

cum

cum liberis, vxoribus, bonisque omnibus incendit. Non tamen tam nobilis fuit interitus; quia causa non ęqua, disparque vtriusque ciuitatis nobilitas. *Egregium enim opus in materia nobili splendet magis; suumque commēdat artificem.* Ægra interim Scipionis valetudo omnia subitò perturbauit. Magon, & Masinissa bellum ad Gades reparare: Mandonius, & Indibilis, apertè desciscère; quòd, Carthaginiensium auxilio, Hispaniæ imperium ambirent. Octo millia Romanorum propter stipendia secessionem fecere. Hæc tamen omnia vnâ Scipionis valetudine sopita. *O quantæ optimi ducis authoritate, quamque magnâ res aut stant, aut cadunt!* Romani pœnitentia ducti, castigatis seditionis authoribus, in gratiam recepti. Masinissam inter, & Scipionem, in æternam amicitiam Romanorum, fœdus percussum: quod illi gloriam immortalem, fœlix, faustumque Regnum attulit. Mandonius, & Indibilis duplici prçlio victi, & pecunijs ad stipendia mulctati, ad amicitiam redière. ¶ Magon vltimus Pœnorum dux in patriam reuocatus, Carthaginiensium reliquias secum auexit. Sic vniuersâ fere Hispaniâ receptâ Magnus Scipio Romā reuersus, omnium admiratione, summaque Patrum, Populique Romani gratulatione res gestas exponens auditus: non tamen triumphauit, quòd maioris esset potestatis triumphandi ius.

Masinissa Pop. Rom. socius.

DE REBUS HISPANIÆ, post Scipionis discessum.

CAPUT XXVIII.

INTER bella, seditionesque, Mandonius, & Indibilis imperium Hispaniç anhelantes rebellarunt, anno sequenti 549. Quos Lucius Lentulus, & Lucius Manlius Proconsules factâ pugnandi copiâ, vicerunt. Tredecim millia cum ipso Indibili

549.

dibili

dibili cęsa, Mandonium milites spe venię comprehēsum Romanis ducibus tradidere. Sequentibus annis, Romanis bello Punico in Africa occupatis, Hispania quieuit. Saguntini tamen, vt antiquā Romanis amicitiam probarent, legatos Cathaginienses, cum ingenti auri pondere ciuitates solicitantes, comprehensos, Romam perduxere. Laudata fides in Senatu; legati retenti, aurum Saguntinis præmio datum. Anno deinde 552. Publ. 552.
Scipio de Carthagine triumphauit, & *Africani* cognomen, rerum gestarum gloriæ datum, accepit. Anno. 554. 554.
tardè Hispania, ad se reuersa, libertatē amissā indoluit: Romanosque, pro imperio, nō pro libertate prouinciæ, tam periculosum cum Carthaginiensibus bellū suscepisse cognouit: ad quod illa Romanis pręcipuas vires contulerat. Primi Ceretani correptis armis Proconsulem Cetegum bello lacessunt: quindecium tamen millibus vno prælio amissis, victi, repressique, ceteris, nequid contra Romanos, iam dominos, moliretur, exemplum dederunt. Anno deinde 557. Romani, propter bellum Macedonicum, veteranos dimiserunt. Ea res Colcæ, & Luscinano Hispanorum primoribus recuperandę libertatis occasio fuit; facilè posse vinci Romanos existimantes, veteranis destitutos. Ergo Sempronium Tuditanum Proconsulem, cum exercitu, opprimunt. Sequenti anno in Hispania, à Quinto Fabio Buteonę, & Quinto Minutio Termo nihil memoriæ dignum actum. A Minutio tamen duodecim Hispanorum millia iuxta oppidum Turbam occisa. Anno. 559. varijs bellorum euentibus agitata Hispania est: cùm vniuersa iugum Romanorum excutere tentauisset. Belistages, inter Illergeres, princeps vnus inuentus, qui Hispanus contra Hispanos Port. Catonis Consulis auxilia implorare, Se premi Hispanorum multitudine; & ni celeriter succurratur, omnia perditum iri. Respondit Cato, se fidei eorum habere gratias; patienter interim tolerarent damna; se abundè repensurum è pręda hostili. Non audere tamen tam citò auxilia mittere, quòd ingentes contra

Hispanorū dolor, & clades.

Romanorū strages.

559. *Hispania rebellio. Catonis commentum.*

Catonis commentum. contra se copias aduentare didicisset. Instantes legatos, & ad genua prouolutos, hoc egregio commento delusit, alacresque dimisit. Promittit se posterâ die classem auxilio missurum; irent, & nuntiarent, propediem Romanos affuturos. Et statim iubet præcipuam exercitus partem, in speciem auxilij, nauibus imponi: quam post legatorum discessum, noctu reuocauit. Exercitum educit tertia vigilia, & tres cohortes à tergo castrorum in insidijs locat: & prima luce hostes intra vallum imperat aggredi. Hispani mirati ab ijs, quos in fronte habebant, terga cædi; patefactis castrorum portis, sine ordine, quò furor agebat, in Romanas cohortes irruere. Tanta fuit vindictæ rabies, vt equitatum omnem *Hispanorum cædes.* disijcerent, & cæco impetu, tanquam fanatici, in Romanorum ordines insilirent. Sic furiosos, cæcosque Romani suis ordinibus firmi, stabilesque excipiunt, trucidantque. Quadraginta Hispanorum millia profligata pugna illa; reliqui in castra compulsi. Magna abacta præda, captiui multi sine pretio dimissi. Catonis absentiâ iterum tentata fortuna; sed eadem fuit. Sic Hispani repressi, & Hispania cis Iberum pacata. Bergestani rebellantes, in exemplum, sub hasta venierunt. *Hispanis arma vita cariora.* Cato gentē cis Iberum, ne toties rebellaret, exarmare. Multi, rei indignitate commoti, mortem sibi consciuere, quòd arma vitâ cariora putarent. Quod vt resciuit Cato, mutauit consilium. Datâ verò tesserâ, omniū ciuitatum muris eodem tēpore dirutis, nouarum seditionū occasio adempta. Sic feroces populi deditionem fecerunt, ad Pyrinæos Ceretani, Ausetani, & alij. Cato ergo *Cato de Hispanis triumphat.* de pacata Hispania triumphauit. Centum quadraginta octo millia librarum argenti; auri verò quingenta, & quadraginta, ærario illata. Postea verò eundem Catonem fidissimum in Senatu patronum experta est Hispania: cuius patrocinium per omnem vitam suscepit. *Cato Hispaniæ patronus.* Nihil prætereà his annis actum in ea memoria dignum ad Numantinum bellum, de quo modò.

DE

DE BELLO NVMANTINO,

CAPVT XXIX.

HISPANIA sola inter prouincias, quas Romani vicerunt, vires cognouit suas, postquàm victa fuit. Quas si priùs cognouisset, & Romanis, & Pœnis inaccessa, & in libertate, mansisset. Adeò fera gens cum Populo Europę, Asiæ, & Africę domitore, â primis Scipionibus, ad Augustum, per ducentos annos, bella gessit variâ fortunâ, nunquamque nisi victa pugnare assueuit. ¶ Gens barbara tunc, postquâm intra viscera vulnus admisit, de morbo sanando incurabili consilia cepit. Incidit in seruitutem, quòd nunquam fuerit animus, neque venerit in mentem, publicè tueri libertatem. Passa est tam â Pœnis, quàm Romanis decipi. Metalla auri, & argenti, quæ ditissima habuit, & quibus misera seruitute premeretur, tam liberaliter omnibus aperuit, vt Hispanicis diuitijs Romanos terrarum orbem domuisse credatur. ¶ His ergo annis legati Hispanorum, questum de iniurijs Romam ablegati, frigidè auditi, frigidiusque remissi, gentem ad recuperandam libertatem permouerunt; vt iniurias, quas iudicio non poterant, ferro vindicaret.

Hispania inuicta.

Quare Hispaniam Romani vicerint.

Et quia bellum Numantinum grauius, quâm vllum aliud Romanis fuit, iuuat per annos res gestas digerere: vt vnius Numantię monstretur exemplo, quid Romani contra Hispanos valerent, si publicum tuendę libertatis consilium fuisset; quando vna tantùm ciuitas Populum orbis domitorem in eas conditiones pacis compulerit, quas victores imponere voluerunt. ¶ Anno 601. Segestani inter Areuacos muros ciuitatis, contra pacta cum Romanis, reficere Prohibiti â Romanis, & annuum tributum pendere iussi, varias excusationes prætendere. Ventum inde ad vim. Finitimi populi arma 601.

Belli Numantini causæ.

sociarunt. Numantia in partes attracta. Simul ergo concursum ad arma, murosque reficiendos. Mota eodem tempore à Lusitanis arma Fulu. Nobiliorem Consulem, cum exercitu consulari in Celtiberos sæpius rebellantes, exciuerunt. Triginta millibus militum contra Segestanos itum primò. Carus Segestanorum dux, compositis insidijs, Consulem excepit; sex millibus cęsis, reliquos in fugam vertit. Sed dum temerè fugientibus instat, præceps in interitum ruit, ab equitatu Romano oppressus, magnâ exercitus parte amissa. Areuaci Numantiam conuenientes, duces Haracum, & Leuconem designant, Numantini Linteuonem creant. Tertia die post pugnam, Consul tribus milliaribus à Numantia castra metatur. Pugnatur iterum ibi; sed iam fere vincentes Hispani, ab elephãtis territis equis, terga dare coguntur. Eodẽ impetu Numantia capta fuisset, ni ex elephantibus vnus ab Hispanis grauiter vulneratus, in suos versus, cæteros in Romanos cõuertisset, eorumque ordines perturbasset (vt mos bestijs istis periculosissimis.) Quod cùm animaduertissent Numantini, collectis viribus, facto impetu, Romanos, quatuor millibus interemptis, in castra compulerunt: è Celtiberis duo millia desiderata. Ciuitas Axenia, tentata frustra, Oscilem aliam ciuitatem, in quam Romani sarcinas, & belli necessaria contulerant, ad partes attraxit. Consul territus: ne cæterę ciuitates tanto excitarentur exemplo, milites in hyberna reduxit, seque castris communijt; in quibus frigore, famèque bonam exercitus partem amisit. In Lusitania decem Romanorum millia trucidata: sed Lusitanos victoria lętos, securosque Luc. Munius adortus vicit, dissipauitque. ¶ Sequenti anno, M. Claud. Marcellus successor Oscilem expugnauit. Cui obsides, & auri triginta talenta imperata. Legati de pace à Consule missi Romam, obnitẽte Fuluio Nobiliore, nullũ responsum tulerunt pręter illud vulgare. *Videat Consul, ne quid Respublica detrimenti capiat.*

603\. ¶ Sequenti anno 603. L. Lucullo. Consuli Hispania decreta,

Romanorum victoria.

Coniuratio Hispanorum in Romanos.

Romanorum strages.

Lusitanorum, & Romanorũ pugna.

602.

decreta, cum magnis copiarum supplementis. Qui, authore Linteuone Numantinorum duce, pacem fecit: & Areuaci redierunt in gratiam, datis obsidibus, & sex centis talentis (vt est autor Strabo.) Consul, cùm Regni interiora peragrasset, ciuitatem Cauciam perfidè (nam de deditione conuenerat) spoliauit. Numen tamen diuinum, in vindictam sceleris, morbo, fame, frigoreque magnam exercitus partem obtriuit. ¶ Pro victoria cõputant Romani, quòd hoc anno Pub. Scipio minor Hispanum fortissimum ad singulare certamen prouocantem superauerit; & muralem coronam acceperit, quòd primus Cauciæ muros ascenderit, quam Consul in deditionem acceperat. ¶ Sergius Galba in Lusitania, septem Romanorum millibus amissis, fugatusque, insigni perfidia cladem vindicauit illatam. Erat Galba insignis orator (testimonio Ciceronis) Qui pulchrâ ad id compositâ oratione, gentem ad concionem conuocatam, tanquam de pace acturus, attentam ad ea quæ dicebantur, nihil minùs quàm insidias metuentem, immisso exercitu trucidauit.

Consulis Romani perfidia.

Pub. Scipio Hispanũ prouocãtem vincit.

Galbæ perfidia.

DE VIRIATO.

CAPVT XXX.

PRAETERITAE perfidiæ pœnas satis luere Romani. Nam Viriatus, primò de pastore latro, mox de latrone dux, Lusitanam gentem ad vindictam simul, & ad recuperandam libertatem accendens, sequenti anno 604. Prætorem M. Vitilium, ex insidijs, cum Romanorum quatuor millibus, trucidauit. Romani, Celtiberis in auxilium ascitis, pugnam posteâ tentantes, cum ipsis auxilijs deleti, viam aperuere Viriato ad fines Carpentanorũ, & Turdetanorum vastandos: in quibus anno sequenti Prætorem. C Plauciũ duobus prælijs, occisis octo millibus, adeò fregit, vt media æstate se in statiuis, tanquã in hybernis, continere

Viriati victoria.

604.

605.

maluerit, quàm cum hoste tam acerrimo fortunam iterum experiri. ¶ Maior sequenti anno 606. victoria Romanos perterruit, Claud. Vnimano Prętore cum vniuerso pene exercitu cæso. Romani ducis fasces in triumphum per Lusitaniam circumlatæ, & in monte, trophęi in modum, erectæ. Hac victoria ita Lusitanis creuit audacia, vt paucissimi Hispani Romanorum plurimos fuderint. Illud memoria dignum, vnum peditem Hispanum, plures equites Romanos in fugam vęrtisse; admiratos, vno ictu equitem vnum simul, & equum strauisse. Quod fabulosum videretur, ni Romanę historię proderent.

606. Militis Hispani fortitudo miranda.

607\. ¶ Altero anno, Caio Nigidio superato,
608\. Caius Lælius sequenti successor formidabilem Viriatum ostendit posse vinci. Quem altero anno Quint. Fa-
609\. bius Æmilianus fugauit. Altero verò Viriatus ciuitates
610\. suę factionis Prætori Popilio tradidit (vt autor est
611\. Plinius.) ¶ Anno deinde 611. Q. Cæcilius Macedonicus Celtiberos, quos Viriatus ad defectionem solicitauerat, domuit. Quintius verò, cùm priùs Viriatum vicisset, victus ab illo est, & exercitus pene deletus.
612\. ¶ Anno 612. Consul Quint. Fabius Seruilius cruentam de Viriato victoriam tulit. Illius tamen seueritas luctuosam fecit. Pręcisis quingentorum hostium manibus, & in diuersa remissis, tanquam victorię nuntijs funestis, ad exemplum; potiùs Hispanorum animos ad rebellionem accendit, quàm repressit. Ciuitatem Erisanam Consulem obsidentem, clanculùm Viriatus ingressus, factâ repente eruptione, magnâ Romanorum strage deuicit. Reliquos cum ipso Consule, in locorum angustias redactos, ad fedus feriendum compulit: quod, quia Romanis turpe, Consul posteà rupit. Viriatus secum reputans tam prolixo cum Romanis bello, suos iam fessos, timens, ne suo capite Romanorum gratiam aucupari voluissent, de pace legatos ad Consulem mittit: quos ille (proh dedecus maiestatis Romanæ!) per summum flagitium, in Viriati necem subornauit. Sic perijt vir meliori fortuna dignus, proditus à suis; quem hostes

Quinti Seruilij Consulis crudelitas.

A Viriato consul victus.

Viriati nex.

ſtes non aliter vincere potuerunt. Sed & ipſi flagitioſiſſimi proditores, & parricidæ, prӕmium à Senatu pro tam præclaro facinore poſtulantes, dignum tulere reſponſum. *Senatui, Populoque Romano nunquam proditores placuiſſe.* Ite nunc infelices animæ, Viriati manibus inferię.

DE SECVNDO BELLO Numantino.

CAPVT XXXI.

MORTVO Viriato, bellum Numantinum, quod diuturnitate conſenuiſſe videbatur: Quinti Pompeij vel auaritiæ, vel gloriæ cupiditate; quòd Numantinos exarmare, contra fœdus factum, ſtatuiſſet, recruduit. Crimini datum Numantinis, quòd Segeſtanos Viriati amicos recepiſſent. Numantini, cùm pacem fruſtra tentaſſent; antequàm armis priuarentur, arma corripiunt. Megaram ducem creant, virum ad bella natum, fortiſſimumque. Octo millia peditum, duo equitum, exercitus Numantinus erat. His copijs aduerſus triginta Romanorum millia, & duo millia equitum, Numantia, ſine muro, & in aperto colle ſita, munitiſſima Romana caſtra fortiter inuaſit. Pompeius arte, cùm vi non poſſet, Numantinos aggreditur. Durium amnem, ciuitatem præterfluentem, aliô diuertere tentat. Sed Numantini deſtinatum opus, occiſis militibus, cum Tribuno, qui foſſoribus incumbebat, diſpulere. Territus Conſul, in ſtatiuis anni tempus triuit. Cui anno 615. Popilius Lænas ſuccеſſit. ¶ Antevertit Pompeius, & ignominioſam cum Numantinis pacem fecit; vt venienti Conſuli perfecti belli gloriam eriperet. Quam, quia ignominioſa fuerat, factam, in Senatu negauit. Teſtibus Numantini factam probarunt; quan-

Numantinorum audacia.

615.

quanuis ille subscribere renuisset, quòd non pro maiestate Romana factam putaret. Reiecti ergo legati Numantini, & bellum à Senatu decretum. Sed anno sequenti 616. Popilium, cui prorogatum erat imperium, Numantini magna strage superarunt. ¶ Sequenti anno 617. Caium Hostilium Mancinum diuersis pugnis adeò fregerunt: vt, cùm Vacæos, & Cantabros venire auxilio Numantinis accepisset, non ausus neque impedire, neque resistere; fugientis instar, campos Numantię deseruerit. Numantini fugientem Consulem, cùm nondum se satis castris munijsset, assequuti, cum suis copijs obsederunt. Actum esset de Romano exercitu, ni Consul timens reipublicæ, conditiones pacis offerret. Restituta Numantiæ libertas erat antiqua: ni commoti Patres pacis conditiones rescidissent. Petierunt Numantini dedi sibi exercitum, quem obsessum sub his conditionibus dimiserant. Datus illis Consul Mancinus pro exercitu, quòd infame fœdus pepigisset. Hoc se modo Romani iuramento fœderis absolutos putarunt. Palentini à Consule M. Lepido obsessi, sex Romanorum millibus occisis, Consulem fugarunt, cùm Senatus priùs Hispanis eum inferre bellum vetuisset, quos lacessitos ferociores cognouerat. Propterea Romæ, malè administratæ reipublicæ accusatus, pœnas dedit. In vlteriori Hispania Decio Bruto militia hoc tempore felicior: cui, à subiugatis Gallæcis, *Galaicum* fuit cognomē. ¶ Anno verò 619. à Consule Q. Calpurnio Pisone contra Numantinos tam malè pugnatum: vt iam Romani Hispanorum conspectum, siue tot cladibus fracti, siue rupti fœderis religione tacti, sustinere non possent. ¶ Anno deinde 620. Romani postremum reipubl. remedium prouidentes P. Corn. Scipioni Carthaginis magnæ domitori, & euersori, contra leges, & Senatus consulta, quod nemini contigit, Consuli creato Hispania decreta est: quasi non ab alio, quàm à Carthaginis, & Africæ domitore, vna Hispaniæ ciuitas domari potuisset. Tantus fuit sub Scipione

Marginalia: 616. — 617. — *Numantinorum victoriæ.* — *Piso consul à Numantinis victus.* — 619. — 620.

pione nobilitati militandi ardor, vt omnis illustris iuuentus certatim nomina dedisset, ni Senatus consulto fuerit cautum, ne plura, quâm quatuor, aut quinque millia è nobilitate conscriberentur. Vt primùm Scipio venit in prouinciam, summa cura exercitum ad Numantiã otio, vitioq; languidum, expulsis meretricibus, mercatoribus, alijsque ad luxuriem fomentis, tanquam ab impuris sordibus expiauit: totumque fere annum militibus luxuria perditis, ad militarem disciplinam reuocandis consumpsit. Prudentis ducis solertia fecit, de ignauis helluonibus, milites. Extraneos virgis, Romanos vite, more militari, castigare. Triginta dierum cibarijs oneratos cursui militari assuescere fecit. His, & alijs, ad bellum milites durati. Non tamen ausus est cum ferocibus Numantinis aperto campo pugnare. Tantus â Numantia Romanam militiam terror inualeſcat, vt Romanos non suffecturos aduertens dux Romanus, ad Africana auxilia respexerit. Venit ergo cum elephantibus, & equitatu Numidarum nothus Masinissæ nepos Iugurtha. Plusquâm sexaginta millia militum in castris Consulis numerabantur; cùm Numantini octo millium numerum non æquarent. ¶ Contra tam paucos vires suas contulere Romani; & exquisito rigore disciplinæ tantum exercitum informatum paucis opponere non sunt ausi; sed castra fossâ, valloque, & turribus fortissimè munierunt, adeò vt omnino impervia fuissent Hispanis: cùm Numantinorum incursionibus vehementer territi, non aliter maiestatem Romanam posse defendi putarent. Triplicatis castris obsessam ciuitatem fame, non ferro, arcta obsidione, non pugnæ temeritate capi, aut dedi posse, secum reputans Scipio, excitatis ad amnem Durium ingentibus turribus, omnem inferendi commeatus spem miseris Numantinis eripuit. Ausus est tamen Retogenes Carauinus cũ quatuor alijs Numantinis vallum hostium transcendere, occisisq; custodibus, ad Areuacos auxilia petitum euadere, attonitis Romanis, & ad tantum facinus stupentibus.

Areuaci

Scipionis diligentia contra Numantinos.

Scipionis disciplina.

Romani ad externa auxilia conuersi.

Numerus militum.

Numantia obsessa.

Retogenis audacia.

¶ Areuaci tamen Romanorum metu, ne contra se eorum potentiam irritarent, non sunt ausi iustis postulatis annuere. Numantini fame oppressi legatos de pace ad Scipionem mittunt. Quibus respondit Scipio, ne prius pacis mentionem facerent, quàm arma, se, omniaque cum ciuitate, suæ voluntati dederent. Reuersi legati, à furiosis Numantinis discerpti. Quid ergo meruere? Sed rerum desperatione, quasi furijs agitati, extrema meditabantur. Tentata fuga; sed frustrà: nam omnia clausa, & obsessa erant. Tentata sæpiùs irruptio: sed â castris munitissimis repulsi. *Consulis patientia, diraque fames inuicti Numatinorum hostes erant.* Rogarunt, vt se tanquam homines mori pateretur, faceret pugnandi copiam. Surdus ad omnia Scipio. Vna tantùm vox. *Se, traditis armis, suæ voluntati permitterent.* Tandem Numantinis vltima desperatio subijt. Priùs se epulis, & Celia (potionis genus est) replent. Castra deinde amentes inuadunt. Romanorum cæde satiati, postquâm Celiæ furor deferbuit, â multitudine pene obruti repelluntur. Vltimò se inuicem, interemptis priùs vxoribus, & imbelli turba, prouocantes vulneribus conficiunt, incensa ciuitate. Mirantibus Romanis, quòd in tantam acti rabiem priùs se ferro, flammisque dare, quàm sine honestis conditionibus dedere maluissent. Nec vnus potuit Numantinus reperiri viuus, de quo Magnus Scipio triumpharet. Superbo cognomini *Africano*, *Numantinum* superadditum, triumphi vanus titulus fuit. Illud memoria dignum non omittam. Ex hoc Numantinorum busto, tam nobilium animorum, vltore Numine, accensam imperij Romani facem, qua posteâ Romana maiestas conflagrauit. Nam ex hac Scipionis schola Imperatores prodiere Romani, qui ciuilibus bellis orbem terrarum nufregerunt. Militauit ibi Iugurtha, Caius Marius, & alij, qui paulopòst immensis bellorum procellis Romanos obruere. Hæc vna Numantia genuit: cuius memoria sempiterna (quanuis ipsa non extet) perstabit. Ergo cum

Numantinorum desperatio.

Miserabilis Numantiæ strages.

ex Numantię cineribus bellorum ciuilium incendium exarsisset, Hispania quieuit sequentibus annis, pręter Lusitanos, de quibus bis, aut ter triumphatum. ¶ Hoc insuper addam. Marc. Crassum C Marij crudelitatem declinantem, in vlterioremque Hispaniam fugientem abdidisse se in speluncam occultam ad occiduum mare, in prædio Hispani cuiusdam Viuij Pacieci amicissimi, à quo alitum, nemine conscio, ad C. Marij necem delituisse. Indeque egressum Syllanas partes in Hispania fouisse. Ad tam antiquam originem in Hispania, Paciecorum familiam referri dicant ij, quibus animus illustrandi nobilitatem; ego enim nec assero, nec abnuo; & similitudo nominis argumentum esse potest, ni ratio melior appareat. *Paciecorum familia vnde.*

SERTORIVS IN HISPANIA.

CAPVT XXXII.

LVSITANI, cùm Imperio Romano semper acquiescere renuissent, recuperandæ libertatis occasionem oppotunè oblatam à bellis ciuilibus rati, Sertorium, quòd C. Marij partes fouisset, à victore Sylla proscriptum, & Piraticam exercentem, Romanum contra Romanos accersierunt. Solùm enim Hispanis ad libertatem, & imperium dux, qui Romano more pugnare gentem docuisset, defuit. Ergo Sertorius, vt Imperium oblatum legibus, & moribus confirmaret, Lusitanis Romanum morem pace, belloque statuit inducere. Primò ex gente, Romanisque primoribus allectis, rempublicam, Senatumque constituit, penes quem pacis, bellique iura manerent: Lusitanosque Romana disciplina diligenter excoluit. Potuit Hispania tunc recuperatam libertatem tueri, si publicè esset animus conspirandi. Videre erat in Lusitania Romam, omniaque Romano geri more. Addita nouæ reipublicæ religio, Numæ exemplo. Cerua *Sertorij Respub.*

H assueta

Sertorij cerua. assueta ad aurem cibi aliquid esitare, simplici populo persuasum nuntiã esse Dianæ; sibi ad leges, & mores inducendos administram à Dea datam, quæ ad aures Diuina consulta insusurraret. Sic admiratio noui Regni, *Sertorij respubl.* tanquam dijs gratissimi, cùm à religione initia fuerint, emanauit in vulgus. Ergo ab his initijs, comparato exercitu, Sertorius Romanos varijs prælijs fractos ab vniuersa Lusitania eiecit; & vt arctiùs Lusitanorum sibi *Osca Academia.* deuinciret animos, Oscæ (an quæ in Tarraconensi, an quæ in Bethica, incertum: ego Tarraconensem puto) Scholam liberalium Artium instituit; in qua iuuentus disciplinis philosophicis instituta, Romanis æmula, Hispaniæ barbaræ vitæ culturam monstraret. Duplici deinde prælio; nauali Cottam; terrestri, ad Bethim, Didium Prætorem, occisis duobus Romanorũ millibus, *Sertorij victoria.* superauit. Quæ vbi Romam allata, mittitur Consul Quintus Metellus cum exercitu cõsulari in Hispaniam. Missus cum eo Lucius Domitius Toranius, qui ad Pyrinæos montes, ab Hirtuleio Sertoriano, cum exercitu trucidatus est. Accessit victoriæ Manilius Galliæ Narbonensis Proconsul, qui Domitio auxilio venerat. Et ipse quoque Consul à Sertorio semel, iterumque victus, & fugatus. Quibus gestis, cùm Sertorij nomen per om- *Mithridatis legatio ad Sertorium.* nium ora celebre volitaret, ad eum Mithridates Rex, vt Romanam distraheret potentiam, legatos de societate misit: quos Sertorius, vt Senatus, & reipub. maiestatem ostentaret, in Senatu auditos benignè, & cum eis M. Marium, qui Ponticas illas gentes Romanam militiam edoceret, remisit. ¶ Hæc ad annum 674. Quo *674.* L. Lollij Prætoris Galliæ copijs auctus Metelli exercitus, Sertorij audaciam repressit. Venit Gn. Pompeius Magnus, cum magnis, nouisque supplementis, & æquali potestate. Debebantur Hispaniæ magni Romanornm duces, cùm aliter, neque per partes vinci potuisset. Auctus etiam Sertorij exercitus Perpennæ copijs, quas à Balearibus, mortuo Æmilio Lepido à Senatu proscripto, contraxerat. His Lauronam ciuitatem

tem

tem obſidere. Accurrere Pompeius, & Metellus; ſed, amiſſis decem Romanorum millibus, à Sertorio repulſi. Cunctas in poteſtatem venit, videntibus ducibus Romanis, & excidiũ miſerantibus. ¶ Anno deinde 677. Metellus Hirtuleium, cæſis viginti millibus, fugauit. Superbè Metellus victoria vſus, honores diuinos affectare. Ingredienti ciuitates thura, & ſacrificia oblata. Tanta fuit de Sertorio concepta opinio, vt, non niſi ab eo, qui aliquid haberet diuinitatis, vinci poſſe crederetur. Pompeius intereà Segeſtanos domare, & auſus cum Sertorio pugnare, parum abfuit, quin penitus cum exercitu interiret, ni opportunè Metellus cum ſuis copijs accurriſſet. Attamen nox diremit pugnam victoriâ dubiâ. Poſt pugnam Sertorius, cùm ceruam, quam Dianę nuntiam finxerat, amiſiſſet, ratus omen malum, ſumma triſtitia affectus, animo cadere: ſed cùm repentè comparuiſſet, reſumpſit vires: à Pompeio tamen ſuperatus omnem pene amiſit exercitum. Ad Calagurrim obſeſſus, factâ irruptione, amiſſis tribus millibus, euaſit: & recuperatis viribus, magno animo Pompeio pugnandi copiam fecit. Timuit Pompeius. Metelluſque hoc anno fortunam iterum cum tam acerrimo hoſte tentare. ¶ Anno ſequenti magno ardore vtrinque ad arma concurſum. Sertorium verò ad necem iam fata præcipitem trahere. Romanos, tanquam ſuſpectos, à corporis cuſtodia remouere, & ſolùm Hiſpanos admittere. *Inde nata crudelitas, quæ à timore proficiſcitur.* Sæuitum in ſuſpectos. Perpenna, & Antonius Sertorio inſidiari. *Nam quem inueniſſet fidum hoſtis ſuis, quorum virtute nouum ſteterat imperium.* Ergo Perpenna, Antoniuſque in conuiuio Sertorium obtruncant. Vir magnis ducibus, qui militari diſciplina floruere, comparandus; &, ſi parem potentiam fuiſſet adeptus, pręferendus. Quem Hiſpani Romanum Annibalem appellare ſolebant. Sublato Sertorio, facilè Antonius, Perpennaque ſuperati. Sic à Pompeio, Metelloque de tam periculoſo hoſte triumphatum.

Sertorij victoria.

677. *Inſana Metelli diuinitatis affectatio.*

668.

Sertorij nex.

Sertorius Annibal Romanus dictus.

683. *Pompeius, & Metellus de Hispania triumphant.* tum. ¶ Anno 683. creditur Pompeio à superato Sertorio *Magni* cognomen inditum. Sed ô præclarum nomen, & victoria celebris à proditione parta! Propterea in Hispania, vt tanti belli perfecti memoria sempiterna maneret, multa ab eo monumenta relicta. Ciuitas Pompeiopolis apud Vascones. Ad Pyrinęos trophæa, quorum reliquias adhuc extare magni viri probant.

IVLIVS CÆSAR IN Hispania.

CAPVT XXXIII.

685. 693. BIs in Hispaniā venit C. Iul. Cæsar, anno 685. Quęstor, anno 693. Prętor. Ad Gades, conspectâ Magni Alexandri statuâ, lacrymasse fertur, quòd eâ ętate orbē ille subegisset, qua nihil præclarum ipse *Somniū Cæsaris.* nondū fecisset. Somnio deinde confirmatus ingētia cœpit pectore voluere. Visum illi se matri cōmiscere. Consulti diuini responderunt, illo somnio subiectū illi terrarum orbem, cum ipsa parente Roma portendi. Hispanos his annis in officio continuit, castigatis Herminijs in exemplum, quòd ab asperis locis ad campos traducti rebellassent. Inde reuersus Romam, Consul factus memorabile bellum Gallicum (de quo ipse præclara commentaria dedit,) gessit. Quo milites ad ea, quæ in Hispania vera somniauerat, confirmauit. *Romana clades.* 699. ¶ Anno 699. Q. Cęcilius Proconsul in Hispania à Vacæis victus, ita Romanos turbauit, vt de mittendo iterum Pompeio Senatusconsultum fuerit factum, quòd non nisi à Pompeio feroces populos ad imperium posse cogi putarent. Sed anno 701. Pompeius, noui matrimonij cum Iulia C. Iul. Cæsaris filia delitijs occupatus; res Hispanas per Prætores Afranium, Petreium, Varronem, composuit. Quieuit Hispania donec sequentibus annis bellorum ciuilium procellis cum vniuerso Romano

imperio

imperio concussa, sicuti cæteræ prouinciæ, cum magna rerum expectatione in armis fuit. Quo tempore Cæsar Pompeio superato, Romanum imperium solus inuasit: & publica libertate oppressa, sibi mundum seruire coegit. Vna Longini Prętoris auaritia Hispanos concitauit ad arma, post deuictas partes. Nam cùm illum Cæsar contra Iubam Regem classem adornare iussisset, nactus occasionem explędę auaritiæ, auri, argẽtique ingentem aceruum corrasit. Ab Hispanis ergo, authoribus L. Recilio, & An. Scapula, in Prętoris caput coniuratũ. Vulneratus tamen, à Corporis custodibus vix è manibus furentis populi ereptus, de quibus potuit supplicio sumpto, desertus ab exercitu, per Lepidum, qui citeriori præerat Hispaniæ liberatus, nauibus imposito grandi thesauro, tandem vi tempestatis absorptus, cum sceleratis diuitijs interijt. Lepidus de pacatis Hispanijs triumphauit: *& erat Romanis cuiuslibet pacati tumultus Hispaniæ idonea triumphi materies.* Vix quieuit Hispania, cùm nouo inter Mag. Põpeij liberos, & Cęsarem agitata bello est. Reuixerat in ea Pompeiana *factio*, in Gn. & Sexto Pompeij Magni filijs, cum multis è nobilitate Romana, qui è superioribus cladibus euaserunt. Cęsar post quatuor de ciuibus triũphos (proh dolor!) solita celeritate in Hispaniã ad belli reliquias extinguendas maturare. Corduba per proditionem recepta, & Vlia per Iunium Paciecum ab obsidione liberata, Pompeianas partes ad vnius pugnæ compulit aleam. Pugnatum ad Mundam tam acriter, vt suos fugientes Cæsar ab equo descendens, arrepto peditis scuto, reuocaret ad pugnam, resque pene iam desperatas restitueret, parumque abfuit, quin sibi mortem conscisceret. *Fassus est, hucusque pro gloria, nunc se pro vita pugnasse.* Vicit ergo Cæsaris fortuna, qui Põpeiũ, amissis triginta millibus, fugauit. Quem à pugna vulneratum, per duces, qui cum terra, marique persequebantur, occidit. Fugiente Sexto, cætera prona in Cęsarem fuerunt. Compositis ergo Rebus Hispaniæ Romam reuer-

Auaritia Lõgini.

Cæsaris periculũ, & victoria.

reuersus; à coniuratis in Senatu vulneribus confossus, præmium occupati orbis tulit anno 710.

Nex Cæsaris. 710.

Post ciuilia bella inter Triumuiros, anno 714. Hispani per Cæsaris æram annos numerare cœperunt 38 anno ante Natiuitatem Domini Nostri IESV CHRISTI. Dicta Æra, authore Lucillio, à ratiocinijs accepti, expensique: non ab ære Cęsari tributo, vt Isidoro placuit. Neutrum placet Andreæ Resendio viro exquisitę doctrinæ: qui æram dictam putat, à supputando; ideoque æra idem quod supputatio sit, & supputationis nota.

Cæsaris æra. Æra vnde. Andreas Resendius de Æra.

DE BELLO CANTABRICO.

CAPVT XXXIV.

SEQVITVR vltimum Romanis, cum Hispanis bellum. Non enim prius Hispania cessit imperio Romano, quàm sub vno Principe Augusto vniuersus orbis cessisset. Semper fuit per partes subacta: semper tamen se per partes ad recuperandam libertatē erexit. Prostrata, & quasi mortua reliquo corpore videbatur: cùm, resumpto spiritu, serpentis instar, caput attollēs, Romanos bellico furore perterruit. Cantabri, fera gens, hucusque à Romano iugo libera, loca propè inaccessa, asperaque colebat, ingenio ad libertatem nato. Nulla militaris disciplina illi; tumultuariâ pugnâ, latronum more, pugnare consueuerat: cùm se natura locorum, quàm viribus, aut industria defendisset. Vxores agrorum culturam, ipsi latrocinia, prædas, & arma tractare. Corpore valido, & ad labores robusto. Venenum paratum ad inferendam sibi necem contra turpem seruitutem habebant; cùm vitæ libertatem præferrent. Ingenio prorsus barbaro, & in pericula præcipiti. Neque vincere gloriosum, neque vinci turpe illis erat; cùm neque victorię præmia sperarent, neque fugæ infamiam timerent.

Cantabrorum mores.

His

His ergo armis, contra Romanas aquilas, signa Contabri extulerunt. Timuit Augustus, cùm Hispanorum ingenia ad libertatem nata cognouisset. Nulli ergo tumultus Hispanos, quàm sibi, componendos decreuit. ¶ Armatur itaque domitor orbis Augustus, & cum eo, ad vnam Hispaniæ gentem, miseram, inopem, rupes, & saxa colentem, domandam, vniuersa Romana potentia concurrit. *Heu quanti vnam, & exiguam Hispaniæ partem fecere Romani!* Quid ergo miseri Cantabri, aduersus infinitam multitudinē pauci? Tribus exercitibus petiti, diffisi viribus, mōtes, & latibula, cum liberis, & vxoribus, paupereque supellectili quæsierunt. Cùm ergo videret Augustus protrahi bellum, quod sua præsentia breue putarat; sibique cum montibus, quam cum hominibus esse pugnandum: aut inclementia cœli, aut expeditionis tædio, in morbumq; incidit. Perpetua illa bellorum fœlicitas, vni leui ad Hispaniam expeditioni victa succubuisse visa est. Commisso ducibus bello, se Tarraconē tuendæ salutis ergo recepit. Et ego à viris probatæ fidei accepi, monstrari hodie Tarracone palatia, vbi Augustus infirmus partā victoriā, & orbe pacato edictum, quo vniuersi orbis descriptio iubebatur, expedierit. Ergo M. Agrippæ totius belli curā mādatā, C. Antistius, & P. Firmius Gallęcis præpositi. P. Carisius Astures debellandos suscepit. Hi omnes populi Contabrici belli socij. Agrippa ab occeano numerosa classe, à cōtinenti magnis copijs, ne qua miseris aut fugæ, aut commeatus esset spes, Cantabros obsedit. Qui temerè, sine vlla disciplina in Romanos irruere. Sed statariā à Romanis pugnā repulsi, & fugati, se in montem Vinium, aut Hirmium (vtrumque traditur) periculo subduxerunt. Vallo tamen, fossaque circumsepti, omni euadendi spe præcisa, & omni seruiendi conditione abiecta: partim se veneno, se ferro partim enecarunt: indignantibus Romanis, quòd vna Hispana gens inermis, & pauca, tandiu Romanam tenuissent maiestatem occupatam, Domitis Cantabris, cæteri populi eadem arte

Augusti valetudo.

Edictum Cæsaris Augusti, vt describeretur vniuersus orbis vnde.

Cantabri subacti.

arte domiti, in aliorum ducum potestatem venerunt. Augustus postquam ab infirmitate conualuit, confecto bello, ab asperitate montium in plana loca, ne iterum rebellarent, multitudinem abductam, dirutis munitionibus, Romana iura accipere, desertisque montibus in campis domicilia figere iussit, multis sub corona venditis, obsidibus imperatis. Sic anno quinto, à bello Cantabrico, reuersus Augustus (tot annos tantum Imperatorem Cantabri occuparunt) Romæ triumphi pompa magnificè exceptus est. Cantabri rebellantes iterum ab eodem Agrippa repressi quieuere. Hoc tempore Corn. Balbus Gaditanus, primus, & postremus Consul externus, Hispanusque, de Garamantis triumphauit. Nam Republica deinceps sub vno Principe, nemo, nisi Princeps, aut Filius, aut nepos, vel ex his triumphauit.

Bellum Cantab. quinquennale.

Consul Hispanus.

Primi libri Finis.

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII HISPANI

DE

REBVS HISPANIÆ Anacephalæosis.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS Filius æterni Patris, nostros miseratus errores; vt nos à diaboli seruitute, in veram, sempiternamque libertatem assereret, natus ex MARIA VIRGINE, tunc se monstrauit in Carne, Rex Regum, & verè Dominus omnium, cùm in vnum domi-

 num

num Augustum vniuersus orbis respexit. Natus est ab
752. Vrbe condita 752. Imperij eiusdem Augusti 42. A quo deinceps annos numerabo. Sequar in rebus Hispaniæ illustres, & eruditissimos viros, Ioan. Marianam excellentem in historia virum (ne dicam in alijs.) Thomā Tamaium Historiographū regium, egregium Marianæ defensorem, & in humana disciplina apprimè versatum; Viuarium Cisterciensem qui Flauium Dextrū eruditissimis cōmētarijs illustrauit: à quo ea, quę ad Ecclesiasticā historiā pertinent, mutuaui; Ambrosium Moralem. Suritā, Garibaium; Hieron. Blancam. Omitto alios, à quibus isti, & alij, quęcumque literis mandarunt, hauserunt.

Autores Authoris.

Ergo sub vno Principe terrarum orbe quiescente, Hispania quoque cōquieuit. Ad Gottorum tempora nihil memoria dignum reperitur, præter ea, quæ hic subijciam. Corocotta Hispanus ad necem, proposito præmio, quæsitus (quòd Hispaniam perturbasset, & collecto non contemnendo exercitu impunè fuisset grassatus) optimo consilio Imperatori solus occurrit, seseque ad pedes abiecit. Qui non solùm veniam; sed aurum, pro illius capite promissum, obtinuit; exemplo clementiæ singulari. ¶ Anno 26. L. Piso citerioris Hispaniæ
26. Pretor: propter grauissima imperata tributa, Prouincialiū odio, in agro Termestino, à quodā Hispano agricola repetitis vulneribus confossus est. Comprehensus agricola, crimenque fassus, nullis tormentis adigi potuit, vt patrati facinoris socios proderet. Postera die instaurantium tormenta è manibus elapsus, eliso ad saxum capite, raro fidei exemplo, sese enecauit. Sextus Marius Hispanus ditissimus, quòd filiæ stuprum attulisset è rupe Tarpeia deiectus famam reliquit, diuitias illi, non stuprum exitio fuisse. Obuio exemplo, quod statim ad eas Tiberius Imperator aduolasset Hic vicini ædes irā dirutas, retento domino, biduo refecit. Quid non diuitiæ potestis?

Corocota Hispanus.

Agricola Hispani rara fides.

Marij Hispani diuitia, & nex.

Anno 34. Dominum nostrum Iesvm Christvm
34. pro Redēptione nostra Cruci adfixum C. Oppius Hispanus

panus Centurio verum Filium Dei expirantem est fassus. Vt in illo nostra Hispania prima fuisset in fide, quam immaculatã retinet sola, si vnam excipias Italiam, summi Pontificis reuerentiã. Hispanum tradit Flau Dexter; & abundè probat D. Thomas Tamaio de Vargas Historiographus Regius 1.& 2. Apologia pro Dextro, Post illum Viuarius Cisterciẽsis. Hunc Oppium filium fuisse alterius Centurionis Cornelij patriâ Malacitani, etiam Hispani, quem Capharnucnsem sacer Textus appellat. C. Oppium sacro tinctum lauacro ab Apostolo Iacobo, cum Hispanias peragrasset, duosque filios Caium, & Demetriũ, ad quos Ioannis Apostoli extat epistola, suscepisse: in eâ Demetrium virum hospitalem appellat, quòd prædicantem Hispanis Apostolum domi liberaliter habuerit, & in Asiam reuersum fuerit comitatus, tandemque Mediolanensis Episcopus creatus, miraculosam vitam peregerit, ex eodem Flauio probat idem Viuarius. Eodem anno Illerdæ in Hispania obijt Herodes Antipas, cum pellice Herodiade, Iudęa primùm pulsus, & in Gallia exulans, post in Sicorim fluuium demersus glacie concretum. Præcisso Baptistæ capiti pellex infamis, cui priùs insultauerat, & saltando præmium obtinuerat, modò saltans in flumen, meritas luit pœnas.

C. Oppius Hispanus Cẽturio.

Corn. Cẽturio Hispan.

Herodes in Hisp. moritur.

Anno sequenti 35. orta Hierosolymis persequutio, in qua primus B. Stephanus occubuit, quingẽtos discipulos Hispanię dedit, qui eam Euangelij luce perfuderunt: ex quibus postea B. Iacobus vrbibus Pontifices dedit; florẽte sanctitate, & doctrina prædicto Cẽturione Cornelio, qui primus patriam Malacam fidei rudimentis imbuerat. Quo tempore legati ab Hispania ad Apostolos venerunt orantes, vt aliquem eorum in Hispaniã transmitterent, qui pleniùs Prouinciam fidei fundamentis instrueret. ¶ Missus Apostolus Iacobus, qui Iudęorum multos, plures ex Hispanis ad fidem Christi conuertit. Huius extat epistola ad Iudæos dispersos, quorum magna pars in Hispania erat, inter sacra relata.

35. Quingẽti discipuli Hispaniæ appulsi.

Iacobus in Hisp. Templũ Cæsaraugustæ.

Templum Cæsaraugustæ B. Virgini sacrum in orbe primum, Apostoli monumentum extat; constatque primum viuenti Virgini anno sequenti fuisse dicatum.

40. *Corn. Hispan. Cēturio. Cohors Italica unde.* ¶ Anno 40. Cornelius alter Hispanus, patriâ Italicâ, à qua cohortis nomen, â D. Petro Apostolo lustrali tinctus lauacro, cœpit sanctitate florere. Sequēti anno

41. Iacobus reuertitur Hierosolymam, B. Virginem, Petrumque de rebus grauissimis consulturus. Sequenti

42. *Corpus Apost. Iacobi in Hisp.* verò Discipuli S. Iacobi â Deo instructi, Virginisque consilio, corpus sui Magistri naui impositum, Iriam Flauiam ad eam Hispaniæ partem, quæ Galæcia nominatur, retulerunt. Ad tumulandum Magistrum Elpidius Toletanus, & alij multi, quos Apostolus Episcopos consecrarat, accurrerunt, illique templum dedicarunt. *Pōponius Mella. L. Moderatus.* Hoc anno in Hispania nati Pomponius Mella, patriâ Mellariâ, L. Moderatus, qui præclaris litterarum monumentis Prouinciam illustrarunt.

Apost. Petrus in Hispan. Anno deinde 50. Petrus Apostolus, tanquam CHRISTI Vicarius, Hispaniam inuisit. Comitabantur Apostolum ex Discipulis multi: inter eos M. Marcellus, cui à nobilitate posteâ nomen *Eugenius*, quòd

50. *S. Eugenius precipuus Tolet. præsul.* ex imperatoria familia, Toletanæ Sedis Princeps, & Patronus fuit; licèt Elpidius, & nescio an alius, præcesserit. Obijt L. Seneca Sintriæ, Centurio sanctitate clarus. ¶ Auexit Apostolus Petrus CHRISTI DOMINI, & B. VIRGINIS secum imagines sacras: inter quas celebris est Matriti, vulgò illa DE ATOCHA nuncupata, corrupto nomine, & paululùm inflexo, cùm de *D. Virgo de Atocha unde.* Antiochia dici deberet; vt probant ex nostris multi Scriptores. Sic Apostolorum Princeps Hispanos primùm sacras docuit imagines venerari; quarum multæ fidem contra hæreses miraculis comprobarunt. ¶ Anno

66. *Basilissa, Anastasia Hispanæ.* 66. sanctas Virgines Basilissam, & Anastasiam Apostolum Paulum ab Hispania remigrantem sequutas, sub Nerone passas, idem Flauius tradit, cùm priùs omnes ferè Discipuli Iacobi Apostoli Neroniano gladio coronati fuissent.

AB

AB ANNO LXXI.

CAPVT II.

SEQVITVR annus septuagesimus primus, quo S. Hierotheus Hispanus vir eximię sanctitatis, ab Apostolo Paulo perductus ad fidem, Episcopus Atheniensis primùm, deinde Hispaniam repetens, Segobiensis Pontifex obijt. Post Apostolos, & illos quos Spiritus Sãctus summa Thelogia repleuerat, omnes Ecclesiæ Doctores eximia eruditione superauit. Apostoli Pauli fuit discipulus, & D. Dionysij magister. In his annis nihil est, quod in historiam referatur. Quod ad Hispaniam pertinet, Vlpius Traianus Imperator Hispanus fuit, patria Italica. Illius opera admiranda. Pons Danubio impositus, de quo Lipsius in Admirandis, vir ęuo nostro exquisitę eruditionis. Extat & Tago impositus alter, cui nomen *Pons de Alcantara*. Celius Tatianus Traiani magister, ex eadem Italica ciuitate, multum apud imperatorem authoritate valuit. Hoc tempore Legio ciuitas in Hispania, à septima legione, quæ Gemina dicta est, dirutâ Sublantiâ, ædificata est. Postea Regum Hispanorum sede nobilis. Nollem tanti principis vitam sæua in Christianos persequutione fœdari. Rescripsit tamen Plinio, Christianos non inquirendos, oblatos tamen supplicio afficiēdos. Obijt Selinunte, cùm in vrbem maturaret. De Traiani anima precibus S. Gregorij PP. ab inferis liberata, satis eruditè Magnus Baronius disputauit, meritoque inter fabulas reiecit, vitiaque recensuit, ob quę perpetuò damnari meruerit. Mortui cineribus de bello Parthico triũphus decretus, exēplo nullo. Tantus optimi Principis amor Romanos sibi conciliarat. *Et profectò, ab Hispania Romano semper Imperio Principes, & Imperatores petiti, qui labentem Rempublicam sustentarent.* Successit

71. S. Hierotheus Hispan.

Traianus Hisp.

Celius Tatian.

Legio ciuitas in Hispan. vnde.

Fabula de anima Traiani reiecta.

683. *Pompeius, & Metellus de Hispania triumphant.* tum. ¶ Anno 683. creditur Pompeio à superato Sertorio *Magni* cognomen inditum. Sed ô præclarum nomen, & victoria celebris à proditione parta! Propterea in Hispania, vt tanti belli perfecti memoria sempiterna maneret, multa ab eo monumenta relicta. Ciuitas Pompeiopolis apud Vascones. Ad Pyrinęos trophæa, quorum reliquias adhuc extare magni viri probant.

IVLIVS CÆSAR IN Hispania.

CAPVT XXXIII.

685. 693. Bis in Hispaniā venit C. Iul. Cæsar, anno 685. Quęstor, anno 693. Prętor. Ad Gades, conspectâ Magni Alexandri statuâ, lacrymasse fertur, quòd eâ ętate orbē ille subegisset, qua nihil præclarum ipsę nondū fecisset. *Somniū Cæsaris.* Somnio deinde confirmatus ingētia cœpit pectore voluere. Visum illi se matri cōmiscere. Consulti diuini responderunt, illo somnio subiectū illi terrarum orbem, cum ipsa parente Roma portendi. Hispanos his annis in officio continuit, castigatis Herminijs in exemplum, quòd ab asperis locis ad campos traducti rebellassent. Inde reuersus Romam, Consul factus memorabile bellum Gallicum (de quo ipse præclara commentaria dedit,) gessit. Quo milites ad ea, quæ in Hispania vera somniauerat, confirmauit. *Romana clades.* 699. ¶ Anno 699. Q. Cęcilius Proconsul in Hispania à Vacæis victus, ita Romanos turbauit, vt de mittendo iterum Pompeio Senatusconsultum fuerit factum, quòd non nisi à Pompeio feroces populos ad imperium posse cogi putarent. Sed anno 701. Pompeius, noui matrimonij cum Iulia C. Iul. Cæsaris filia delitijs occupatus; res Hispanas per Prætores Afranium, Petreium, Varronem, composuit. Quieuit Hispania donec sequentibus annis bellorum ciuilium procellis cum vniuerso Romano

imperio

imperio concussa, sicuti cæteræ prouinciæ, cum magna rerum expectatione in armis fuit. Quo tempore Cæsar Pompeio superato, Romanum imperium solus inuasit: & publica libertate oppressa, sibi mundum seruire coegit. Vna Longini Prætoris auaritia Hispanos concitauit ad arma, post deuictas partes. Nam cùm illum Cæsar contra Iubam Regem classem adornare iussisset, nactus occasionem explędę auaritiæ, auri, argẽtique ingentem aceruum corrasit. Ab Hispanis ergo, authoribus L. Recilio, & An. Scapula, in Prętoris caput coniuratũ. Vulneratus tamen, à Corporis custodibus vix è manibus furentis populi ereptus, de quibus potuit supplicio sumpto, desertus ab exercitu, per Lepidum, qui citeriori præerat Hispaniæ liberatus, nauibus imposito grandi thesauro, tandem vi tempestatis absorptus, cum sceleratis diuitijs interijt. Lepidus de pacatis Hispanijs triumphauit: *& erat Romanis cuiuslibet pacati tumultus Hispania idonea triumphi materies.* Vix quieuit Hispania, cùm nouo inter Mag. Põpeij liberos, & Cęsarem agitata bello est. Reuixerat in ea Pompeiana factio, in Gn. & Sexto Pompeij Magni filijs, cum multis è nobilitate Romana, qui è superioribus cladibus euaserunt. Cęsar post quatuor de ciuibus triũphos (proh dolor!) solita celeritate in Hispaniã ad belli reliquias extinguendas maturare. Corduba per proditionem recepta, & Vlia per Iunium Paciecum ab obsidione liberata, Pompeianas partes ad vnius pugnæ compulit aleam. Pugnatum ad Mundam tam acriter, vt suos fugientes Cæsar ab equo descendens, arrepto peditis scuto, reuocaret ad pugnam, resque pene iam desperatas restitueret, parumque abfuit, quin sibi mortem consciscerert. *Fassus est, hucusque pro gloria, nunc se pro vita pugnasse.* Vicit ergo Cæsaris fortuna, qui Põpeiũ, amissis triginta millibus, fugauit. Quem à pugna vulneratum, per duces, qui eum terra, marique persequebantur, occidit. Fugiente Sexto, cætera prona in Cęsarem fuerunt. Compositis ergo Rebus Hispaniæ Romam reuer-

Auaritia Lõgini.

Cæsaris periculũ, & victoria.

reuer-

Nex Cæsaris. 710. reuersus, à coniuratis in Senatu vulneribus confossus, præmium occupati orbis tulit anno 710.

Cæsaris era. Post ciuilia bella inter Triumuiros, anno 714. Hispani per Cæsaris æram annos numerare cœperunt 38 anno ante Natiuitatem Domini Nostri IESV CHRISTI. *Æra unde.* Dicta Æra, authore Lucilio, à ratiociniis accepti, expensique: non ab ære Cęsari tributo, vt Isidoro placuit. *Andreas Resẽdius de Æra.* Neutrum placet Andreę Resendio viro exquisitę doctrinę: qui æram dictam putat, à supputando; ideoque æra idem quod supputatio sit, & supputationis nota.

DE BELLO CANTABRICO.

CAPVT XXXIV.

SEQVITVR vltimum Romanis, cum Hispanis bellum. Non enim priùs Hispania cessit imperio Romano, quàm sub vno Principe Augusto vniuersus orbis cessisset. Semper fuit per partes subacta: semper tamen se per partes ad recuperandam libertatẽ erexit. Prostrata, & quasi mortua reliquo corpore videbatur: cùm, resumpto spiritu, serpentis instar, caput attollẽs, Romanos bellico furore perterruit. *Cãtabrorum mores.* Cãtabri, fera gens, hucusque à Romano iugo libera, loca propè inaccessa, asperaque colebat, ingenio ad libertatem nato. Nulla militaris disciplina illi; tumultuariâ pugnâ, latronum more, pugnare consueuerat: cùm se natura locorum, quàm viribus, aut industria defendisset. Vxores agrorum culturam, ipsi latrocinia, prædas, & arma tractare. Corpore valido, & ad labores robusto. Venenum paratum ad inferendam sibi necem contra turpem seruitutem habebant; cùm vitæ libertatem præferrent. Ingenio prorsus barbaro, & in pericula præcipiti. Neque vincere gloriosum, neque vinci turpe illis erat; cùm neque victorię præmia sperarent, neque fugæ infamiam timerent.

His

His ergo armis, contra Romanas aquilas, signa Contabri extulerunt. Timuit Augustus, cùm Hispanorum ingenia ad libertatem nata cognouisset. Nulli ergo tumultus Hispanos, quàm sibi, componendos decreuit. ¶ Armatur itaque domitor orbis Augustus, & cum eo, ad vnam Hispanię gentem, miseram, inopem, rupes, & saxa colentem, domandam, vniuersa Romana potentia concurrit. *Heu quanti vnam, & exiguam Hispaniæ partem fecere Romani!* Quid ergo miseri Cantabri, aduersus infinitam multitudinẽ pauci? Tribus exercitibus petiti, diffisi viribus, mõtes, & latibula, cum liberis, & vxoribus, paupereque supellectili quæsierunt. Cùm ergo videret Augustus protrahi bellum, quod sua pręsentia breue putarat; sibique cum montibus, quam cum hominibus esse pugnandum: aut inclementia cœli, aut expeditionis tędio, in morbumq; incidit. Perpetua illa bellorum fœlicitas, vni leui ad Hispaniam expeditioni victa succubuisse visa est. Commisso ducibus bello, se Tarraconẽ tuendę salutis ergo recepit. Et ego à viris probatæ fidei accepi, monstrari hodie Tarracone palatia, vbi Augustus infirmus partâ victoriâ, & orbe pacato edictum, quo vniuersi orbis descriptio iubebatur, expedierit. Ergo M. Agrippę totius belli curâ mãdatâ, C. Antistius, & P. Firmius Gallęcis prępositi. P. Carisius Astures debellandos suscepit. Hi omnes populi Contabrici belli socij. Agrippa ab occeano numerosa classe, à cõtinenti magnis copijs, ne qua miseris aut fugę, aut commeatus esset spes, Cantabros obsedit. Qui temerè, sine vlla disciplina in Romanos irruere. Sed statariâ à Romanis pugnã repulsi, & fugati, se in montem Vinium, aut Hirmium (vtrumque traditur) periculo subduxerunt. Vallo tamen, fossaque circumsepti, omni euadendi spe præcisa, & omni seruiendi conditione abiecta: partim se veneno, se ferro partim enecarunt: indignantibus Romanis, quòd vna Hispana gens inermis, & pauca, tandiu Romanam tenuissent maiestatem occupatam. Domitis Cantabris, cęteri populi eadem arte

Augusti valetudo.

Edictum Cæsaris Augusti, vt describeretur vniuersus orbis vnde.

Cantabri subacti.

arte domiti, in aliorum ducum potestatem venerunt. Augustus postquam ab infirmitate conualuit, confecto bello, ab asperitate montium in plana loca, ne iterum rebellarent, multitudinem abductam, dirutis munitionibus, Romana iura accipere, desertisque montibus in campis domicilia figere iussit, multis sub corona venditis, obsidibus imperatis. Sic anno quinto, à bello Cantabrico, reuersus Augustus (tot annos tantum Imperatorem Cantabri occuparunt) Romæ triumphi pompa magnificè exceptus est. Cantabri rebellantes iterum ab eodem Agrippa repressi quieuere. Hoc tempore Corn. Balbus Gaditanus, primus, & postremus Consul externus, Hispanusque, de Garamantis triumphauit. Nam Republica deinceps sub vno Principe, nemo, nisi Princeps, aut Filius, aut nepos, vel ex his triumphauit.

Bellum Cantab. quinquennale.

Consul Hispanus.

Primi libri Finis.

MA-

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII

HISPANI

DE

REBVS HISPANIÆ Anacephalæosis.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS Filius æterni Patris, nostros miseratus errores; vt nos à diaboli seruitute, in veram, sempiternam que libertatem assereret, natus ex MARIA VIRGINE, tunc se monstrauit in Carne, Rex Regum, & verè Dominus omnium, cùm in vnum domi-

num Augustum vniuersus orbis respexit. Natus est ab
752. Vrbe condita 752. Imperij eiusdem Augusti 42. A quo
deinceps annos numerabo. Sequar in rebus Hispaniæ
illustres, & eruditissimos viros, Ioan. Marianam excellentem in historia virum (ne dicam in alijs.) Thomã
Antores Authoris. Tamaium Historiographũ regium, egregium Marianæ defensorem, & in humana disciplina apprimè versatum; Viuarium Cistercienscm qui Flauium Dextrũ eruditissimis cõmẽtarijs illustrauit: à quo ea, quę ad Ecclesiasticã historiã pertinent, mutuaui; Ambrosium Moralem. Suritã, Garibaium; Hieron. Blancam. Omitto alios, â quibus isti, & alij, quęcumque literis mandarunt, hauserunt.

Ergo sub vno Principe terrarum orbe quiescente, Hispania quoque cõquieuit. Ad Gottorum tempora nihil memoria dignum reperitur, præter ea, quæ hic subijciam.
Corocota Hispanus. Corocotta Hispanus ad necem, proposito præmio, quæsitus (quòd Hispaniam perturbasset, & collecto non contemnendo exercitu impunè fuisset grassatus) optimo consilio Imperatori solus occurrit, seséque ad pedes abiecit. Qui non solùm veniam; sed aurum, pro illius capite promissum, obtinuit; exemplo clementiæ singulari. ¶ Anno 26. L. Piso citerioris Hispaniæ
26. Pretor: propter grauissima imperata tributa, Prouincialiũ odio, in agro Termestino, â quodã Hispano agricola repetitis vulneribus confossus est. Comprehensus agricola, crimenque fassus, nullis tormentis adigi potuit, vt patrati facinoris socios proderet. Postera die
Agricola Hispani rara fides. instaurantium tormenta è manibus elapsus, eliso ad saxum capite, raro fidei exemplo, sese enecauit. Sextus Marius Hispanus ditissimus, quòd filiæ stuprum attulisset è rupe Tarpeia deiectus famam reliquit, diuitias illi, non stuprum exitio fuisse. Obuio exemplo, quod
Marij Hispani diuitia, & nex. statim ad eas Tiberius Imperator aduolasset Hic vicini ædes irâ dirutas, retento domino, biduo refecit. Quid non diuitiæ potestis?

Anno 34. Dominum nostrum IESVM CHRISTVM
34. pro Redẽptione nostra Cruci adfixum C. Oppius Hispanus

panus Centurio verum Filium Dei expirantem est fassus. Vt in illo nostra Hispania prima fuisset in fide, quam immaculatã retinet sola, si vnam excipias Italiam, summi Pontificis reuerentiâ. Hispanum tradit Flau Dexter; & abundè probat D. Thomas Tamaio de Vargas Historiographus Regius 1. & 2. Apologia pro Dextro, Post illum Viuarius Cisterciēsis. Hunc Oppium filium fuisse alterius Centurionis Cornelij patriâ Malacitani, etiam Hispani, quem Capharnuensem sacer Textus appellat. C. Oppium sacro tinctum lauacro ab Apostolo Iacobo, cum Hispanias peragrasset, duósque filios Caium, & Demetriũ, ad quos Ioannis Apostoli extat epistola, suscepisse: in eã Demetrium virum hospitalem appellat, quòd prædicantem Hispanis Apostolum domi liberaliter habuerit, & in Asiam reuersum fuerit comitatus, tandemque Mediolanensis Episcopus creatus, miraculosam vitam peregerit, ex eodem Flauio probat idem Viuarius. Eodem anno Illerdæ in Hispania obijt Herodes Antipas, cum pellice Herodiade. Iudęa primùm pulsus, & in Gallia exulans, post in Sicorim fluuium demersus glacie concretum. Præcisso Baptistæ capiti pellex infamis, cui priùs insultauerat, & saltando præmium obtinuerat, modò saltans in flumen, meritas luit pœnas.

C. Oppi Hispanus Cēturio.

Corn. Cēturio Hispan.

Herodes in Hisp. moritur.

Anno sequenti 35. orta Hierosolymis persequutio, in qua primus B. Stephanus occubuit, quingētos discipulos Hispanię dedit, qui eam Euangelij luce perfuderunt: ex quibus postea B. Iacobus vrbibus Pontifices dedit; florēte sanctitate, & doctrina prædicto Cēturione Cornelio, qui primus patriam Malacam fidei rudimentis imbuerat. Quo tempore legati ab Hispania ad Apostolos venerunt orantes, vt aliquem eorum in Hispaniã transmitterent, qui pleniùs Prouinciam fidei fundamentis instrueret. ¶ Missus Apostolus Iacobus, qui Iudęorum multos, plures ex Hispanis ad fidem Christi conuertit. Huius extat epistola ad Iudæos dispersos, quorum magna pars in Hispania erat, inter sacra relata.

35. Quingēti discipuli Hispaniæ appulsi.

Iacobus in Hisp. Templū Cæsaraugustæ.

Templum Cæsaraugustæ B. Virgini sacrum in orbe
primum, Apostoli monumentum extat; constatque pri-
40. mum viuenti Virgini anno sequenti fuisse dicatum.
Corn. ¶ Anno 40. Cornelius alter Hispanus, patriâ Italicâ,
Hispan. à qua cohortis nomen, â D. Petro Apostolo lustrali
Cēturio. tinctus lauacro, cœpit sanctitate florere. Sequēti anno
Cohors Iacobus reuertitur Hierosolymam, B. Virginem, Pe-
Italica trumque de rebus grauissimis consulturus. Sequenti
vnde. verò Discipuli S. Iacobi à Deo instructi, Virginisque
41. consilio, corpus sui Magistri naui impositum, Iriam
42. Flauiam ad eam Hispaniæ partem, quæ Galæcia nomi-
Corpus natur, retulerunt. Ad tumulandum Magistrum Elpidius
Apost. Toletanus, & alij multi, quos Apostolus Episcopos
Iacobi consecrarat, accurrerunt, illique templum dedicarunt.
in Hisp. Hoc anno in Hispania nati Pomponius Mella, patriâ
Pōponius Mellariâ, L. Moderatus, qui præclaris litterarum mo-
Mella. numentis Prouinciam illustrarunt.

L. Moderatus. Anno deinde 50. Petrus Apostolus, tanquam
CHRISTI Vicarius, Hispaniam inuisit. Comitaban-
Apost. Petrus in Hispan. tur Apostolum ex Discipulis multis: inter eos M. Mar-
cellus, cui à nobilitate posteâ nomen *Eugenius*, quòd
ex imperatoria familia, Toletanæ Sedis Princeps, &
50. Patronus fuit; licèt Elpidius, & nescio an alius, præces-
serit. Obijt L. Seneca Sintriæ, Centurio sanctitate cla-
S. Eugenius præcipuus Tolet. præsul. rus. ¶ Auexit Apostolus Petrus CHRISTI DOMINI,
& B. VIRGINIS secum imagines sacras: inter quas
celebris est Matriti, vulgò illa DE ATOCHA nuncu-
pata, corrupto nomine, & paululùm inflexo, cùm de
D. Virgo de Atocha vnde. Antiochia dici deberet; vt probant ex nostris multi
Scriptores. Sic Apostolorum Princeps Hispanos pri-
mùm sacras docuit imagines venerari; quarum multæ
66. fidem contra hæreses miraculis comprobarunt. ¶ Anno
Basilissa, Anastasia Hispanæ. 66. sanctas Virgines Basilissam, & Anastasiam Aposto-
lum Paulum ab Hispania remigrantem sequutas, sub
Nerone passas, idem Flauius tradit, cùm priùs omnes
ferè Discipuli Iacobi Apostoli Neroniano gladio co-
ronati fuissent.

AB ANNO LXXI.

CAPVT II.

SEQVITVR annus septuagesimus primus, quo S. Hierotheus Hispanus vir eximię sanctitatis, ab Apostolo Paulo perductus ad fidem, Episcopus Atheniensis primùm, deinde Hispaniam repetens, Segobiensis Pontifex obijt. Post Apostolos, & illos quos Spiritus Sāctus summa Thelogia repleuerat, omnes Ecclesiæ Doctores eximia eruditione superauit. Apostoli Pauli fuit discipulus, & D. Dionysij magister. In his annis nihil est, quod in historiam referatur. Quod ad Hispaniam pertinet, Vlpius Traianus Imperator Hispanus fuit, patria Italica. Illius opera admiranda. Pons Danubio impositus, de quo Lipsius in Admirandis, vir ęuo nostro exquisitę eruditionis. Extat & Tago impositus alter, cui nomen *Pons de Alcantara.* Celius Tatianus Traiani magister, ex eadem Italica ciuitate, multum apud imperatorem authoritate valuit. Hoc tempore Legio ciuitas in Hispania, à septima legione, quæ Gemina dicta est, diruta Sublantiâ, ædificata est. Postea Regum Hispanorum sede nobilis. Nollem tanti principis vitam sæua in Christianos persequutione fœdari. Rescripsit tamen Plinio, Christianos non inquirendos, oblatos tamen supplicio afficiēdos. Obijt Selinunte, cùm in vrbem maturaret. De Traiani anima precibus S. Gregorij PP. ab inferis liberata, satis eruditè Magnus Baronius disputauit, meritoque inter fabulas reiecit, vitiaque recensuit, ob quę perpetuò damnari meruerit. Mortui cineribus de bello Parthico triūphus decretus, exēplo nullo. Tantus optimi Principis amor Romanos sibi conciliarat. *Et profectò, ab Hispania Romano semper Imperio Principes, & Imperatores petiti, qui labentem Rempublicam sustentarent.* Successit

71. S. Hierotheus Hispan.

Traianus Hisp.

Celius Tatian.

Legio ciuitas in Hispan. vnde.

Fabula de anima Traiani reiecta.

cessit Adrianus propinquus Hispanus, matre Gaditana Domitia Paulina. Qui cùm prouincias inuiseret, Tarracone periculum vitę adijt, à seruo petitus gladio, cuius exploratâ amentiâ medicis curandus, raro clementiæ exemplo, traditus est. Rebellantibus Iudæis, quibus reparandę Hierosolymæ licentiam dederat, vltimam intulit cladem. Anno 105. refert Flauius Episcopum S. Eugenium Toletanum Clementis Pontificis legatū, Episcoporum Conciliū coegisse, deque Primatus dignitate in eo fuisse disputatum, eamque dignitatem Pręsuli Toletano delatam. Res est ad nostra tēpora magis pro contentione, quàm pro dignitate protracta. Id iussere Pōtifices, id à [illegible] priscis temporibus decretum. Quid vltra? Anno 110. Telæ prope Palentiam, S. Euthychij B. Pauli Apostoli Discipuli, & ab eo ad vitam reuocati, cùm in Actis Apostolorum præcipitatus obijt, passio celebratur. Illud insuper memoriæ proditur. Confirmant antiqua Breuiaria, testimoniaque non pauca Viuario probata. Calasiam illustrem Catelij Regali ciuitatis Balcagię vxorem vno partu nouem enixam filias. Admiratam Reginam, & pudore suffusam, ne fama tā prodigiosi partus ad Regis, vulgique aures perueniret, Silam obstetricem secreto iussisse, vt intempesta nocte numerosam illam prolem in flumen pręcipitatam demergeret. Vicit verò parentis crudelitatē pietas obstetricis. Puellas Christianis nutricibus commisit alendas; à quibus & fidei rudimētis institutę, & salutari lauacro sunt expiatę. Earum nomina ponam. Geninera, Victoria, Eumelia, Gēma, Martiana, Germana, Basilia, Quiteria, Liberata. Adultæ, genus, & patriam edoctæ, sæuiente persequutione crudeliter ad patrem attractæ, Suæ, Reginęque confessione agnitæ filiæ. Admiratio, stuporque Regem tantisper defixit, donec ad se reuersus, dato deferendę religioni spatio (ô in admiratione crudelitas inaudita!) libera iubet retineri custodia fortissimas puellas. Quę communicato consilio, mutuis se amplexibus ad martyrium cohortantes diuersa discessere.

Adrian. Imper. Hispan.

105.

Primatus Toletanæ sedis.

110.

Miraculum in Lusitania nouē filiarum vno partu.

re. Verùm, quia non timore mortis, sed parentis, ob tam immane flagitium, æternæ pœnæ grauiora supplicia, ne tot filiarum sanguine manus impię maderent, sese illius crudelitati subduxisse, monstrarent: cùm datâ pòst occasione diuersis in locis martyrium omnes subierint.

DE SANCTIS MARTYRIBVS Iusto, & Pastore.

CAPVT III.

ANNO 296. Compluti duorum puerorum Iusti, & Pastoris nobile pro Christo fuit Martyrium: quorum apud Surium in actis S. Sebastiani, & in Martyrologijs obuia, & illustris memoria. Quod ad patriam, Complutenses fuerunt, Pater S. Vitalis miles in Campania sexennio antea passus, vt idem Flauius refert. Termeda in Carpentania Rustica Vitali sedes, vt ex Valderedo Cęsaraugustano probat Viuarius. Dacianus sæuissimus Hispanię Præses pueros confessione Christi supra ætatem (nam septennis alter, alter nouennis erat) illustres, comprehensos, quod se vltrò neci obtulissent, primùm terrore supplicij, flagris deinde tentauit à fide deducere. Stupente Daciano, pueros in ętate tam tenera rationis compotes, se mutuò ad atrocia perferenda supplicia cohortari, se tamen â pueris haberi ludibrio, & quòd turba cœperat commoueri, vehementer ipse commotus, nocte silenti, extra oppidum, ceruices iubet abscindi; ne tam insignis constantia in vulgus emanaret. Voluit occultari victoriam, quam de tyranno pueri reportarunt; à sequutis miraculis euulgatam mâgis. Nam extat lapis, quem occisorum impressa vestigia seruare videmus, oleoque manasse, traditio est. 296.

Ossa

Ossa à Christianis occultata; & obliuioni tradita, posterioribus sæculis Asturio Toletano Episcopo diuinitùs monstrata. Deinde Maurorum armis Hispaniâ subactâ, post varios errores, Oscæ in Aragonia reposita. Tandem Ecclesiæ Complutensi, Philippo Secundo Hispaniarum Rege annitente, licèt non integra, restituta sunt. ¶ Erecta est inibi Ecclesia Collegiata, ab Alfonso Carrillo Toletano Præsule: quæ posteâ eminentissimi, & sanctissimi Cardinalis Francisci Ximenij magnificentiâ creuit ita, vt nulla litterarum gloria reperiatur in orbe par: quòd in eam omnes Doctores, & Magistri ab Academia Complutensi allegantur. Eam ob causam, non Collegiata, vt cæteræ; sed Magistralis, a uo nostro cœpta est meritò nominari. Illud etiam non omittendum, Asturium, cui sacra monstrata ossa diximus, cognomento *Serranum* fuisse, & à *Serrano* Canonico, anno 1568. restituta, quod magnis quoque Imperijs contigisse didicimus. Certè *Asturius Serranus*, relictâ Toletana Sede, Complutensem Episcopatum constituit; ibíque ad SS. MARTYRUM sepulcrum magna sanctitate consenuit. Eius memoria Oueti celebratur, *S. Serrani nomine.* ¶ Hîc animaduertas, errare toto cœlo eos, qui Complutum Guadalfaxaram putant, â Iuliano deducto errore. Quod, vel solo hoc argumento conuincam. Iustus, & Pastor Martyres, Complutẽses fuerunt. At Guadalfaxara nunquam suos dixit: neque ibi eorum memoria, aut traditio, aut vestigium extat, aut extitit vllo tempore. Quę omnia, ex traditione, & ab historia Compluti visuntur, coluntúrque. Ergo si Complutenses, & non Guadalfaxarenses; igitur Guadalfaxara non est Complutum. Aut respondeant, aut sileant. Nam est præterea perpetua traditio fortissimum argumentum: quo nullum in rebus fortius.

Complutensis Ecclesia.

Ecclesia Complut. non Collegiata; sed Magistralis.

Asturius Serranus.

360. *De Hosio.* Anno 360. Hosius Episcopus Cordubensis, vir meritò pater patriæ, aut potiùs Ecclesię, *egregia semper confessione*, centenarius è vita migrauit. Quem erudi-

eruditissimus Cardinalis Cæsar Baronius, ab iniuria, quam illi quidam impegerant, quòd in ætate decrepita carceres non sustinere potuisset, Hæreticisque assensisset, vindicauit. At cum Flauio probat Viuarius, eum, & sanctè vixisse, mortemque vitæ consonam oppetijsse, testatamque Nicenam fidem testamento firmasse, nullamque anteactæ vitę maculam reliquisse. Quod ego semper mordicùs teneho; præsertim cum Ecclesia Syra, semper vt sanctum coluerit; eiusque solenne festum celebret etiam ęuo nostro. *Hosius Sanctus.*

Anno 375. Theodosius Hispanus ab vrbe Italica, vt Traianus, ad comprimenda Gottorum arma, quę per Imperium Romanum, tam longè, latéque sese diffuderant, vt ipsam Cōstantinopolim obsidione tantarent, ascitus; victis, fugatisque Gottis, quibus, & pacem, sedesque ad habitandum dedit, vt depositis armis Imperium fatigare cessarent, præmium victoriarum, Imperium vltro delatum à Gratiano, vt tertius diceretur Augustus, accepit. Eodem anno Priscillianus Calecus, mortua Gnosticę sectę semina, tēpore Adriani Principis sparsa, per Hispaniam seminare. Nobilitati generis inerant virtutes non paucę; prę sertim famis, sitisque tolerantia. Maioribus tamen vitijs à profana disciplina, in qua diligenter fuerat versatus, profectis, elatio mentis, & tumor accessit. Quibus artibus Saluianum, & Instantium suæ sectæ conciliauit. Quos in conuentu Episcoporum Cęsaraugustæ anathemati subiectos, & Gratiani Principis implorata ope, prouincia eiectos: sed post, corrupto Macedonio officiorum magistro, reuocatos, iterum expulsos: cum nouo exemplo, ab alio Episcoporum conuentu Burdigalæ, ad Imperatorem prouocassent: partim gladio, partim perpetuo mulctatos exilio, diem clausisse. Non tamen hæresis flamma restincta est morte sectariorum. Nam eorum corpora cœpta venerari; & per Priscillianum iurare, religio erat. Ita latiùs propagata vesania, nocturnis congressibus fœminarum, alijsque fędissimis vitijs, multis in errorē allectis,

Theodosius Hisp. imperator. 375.

Priscillianus Hæreticus Hisp.

Priscillianistarum damnatio.

postea tamen Concilio Toletano repressa est. Anno 396. Compluti Sancti Paulini Nolani Episcopi, & Tiresiæ vxoris sanctissimæ fœminæ Hispanæ Celsus filius, adhuc puer, sed vitæ sanctitate grandis, dum sepulchra sanctorum martyrum Iusti, & Pastoris parentes inuiserent, mortuus, puer pueris communi sepulchro iunctus est.

396. Puer Celsus.

VARIAS GENTES Hispanias occupasse.

CAPVT IV.

VENTVM ad tempora non solum Hispaniæ, sed vniuerso Romano Imperio deplorata, cùm innumeræ, ferèque gentes, quæ ad orientem, septentrionemque iacent, velut quædam sæua tempestas, & procella bellorum, in prouincias omnes effusa, Imperium in varias lacinias discisum, infinitis cladibus oppresserunt. Causa proditur ingens earum multitudo, quam regiones illæ non caperent. Cœli mitioris, & fertilioris soli cupido. Hæc innumera hominum agmina proprijs excita sedibus perpulerunt ad arma. Sequuta ingens rerum mutatio, cùm lingua, moribus, & legibus gentes istæ multum ab institutis Romanis discreparint, Corrupta ergo, & perturbata omnia. Pro vno Imperio, Regna diuersa Romanis extorta, occupatis prouincijs, per vim, & tyrannidem, emerserunt. Pax Honorio à Gottis empta, sedes in finibus Galliarum, & Hispaniarum fuere. Ea varijs nationibus occupandæ Hispaniæ occasio. Postquam ergo varia fortuna in Italia pugnatum est, & fraude Stiliconis Honorij ducis, qui filio suo Imperium, sublato Honorio, parabat à bello, gens ferox, cùm deleri possit, irritata perfidia, quòd, composita pace, secura armis repente

Imperiũ Romanũ laceratũ.

repente fuerit petita, Italiam flammis, cædibusque vexauit. Roma orbis domina capta, in Hispaniam terrore sui nominis cum vniuerso Imperio perturbatam irrupit: cum iam Alani, Sueui, Selingi, & aliæ nationes prouinciam deuastarant. Ergo cùm barbara immanitate, tam Romanorum, quàm Hispanorum opes, fortunasque hausissent, ab ingenti cęde sequuta fames, à fame dira pestis, à peste prouinciæ vastitas, à vastitate Gottis in Hispaniam transitus facilis. Tanta fuit Honorij in tuenda Imperio vecordia! ¶ Mortuo Gottorum duce Alarico, Athaulphus successor, cum Honorio facta pace, precibus vxoris Gallæ Placidiæ, Regni sedes Narbone collocat, & tota Gottorũ gens in finibus Galliæ, Hispaniæque consedit, ad annum 415. Athaulphus ergo facta pace, in suæ gentis odium incurrit, cui sine bello vincere, molestum erat. Insidijs ergo suorum Barcinone necatus est; quinquennio vix absoluto, extincta etiam Athaulphi prole à Sigerico; qui suffragio gentis Regnum arripuit; eoque, quòd pacem, quàm bellum maluisset, eodem anno interempto, Vuallia homo ad bellum natus Gottorum Rex creatur. Hic vi tempestatis classe disiecta, qua in Mauritaniam transmittere parabat, ea lege cum Constantio fœdus inijt, vt *Placidia vxor Athaulphi, quæ ab Honorio fratre, illi pacta fuerat, redderetur; bello nationes, quæ Hispanias occupauerant, peteret; quidquid ereptum fuisset Romanis cederet, Gotti se finibus assignatis continerent.* Sic Vuallia barbaras istas nationes inuasit, anno 418. Deuictis alijs, Alanos, qui ad Imperium totius prouinciæ animos erexerant, occiso eorum Rege Attaco, ad Calecos compulit. Vbi se cum Sueuis miscuisse, Regnumque pariter, & nomen amisisse proditur. Vuallię à victoriâ potentia, opesque auctæ, quibus Aquitania nobilis Galliarum tractus accessit, ex fœdere. Hispania pacata triennio est, Romanoque Imperio restituta, cuius authoritate bellum est gestum, quamuis Gottorum armis, periculoque

Hispaniæ calamitas.

Successio Gottorũ Regum.

415. *Athaulphi nex.*

416. *Sigerici nex.*

Vualliæ Regnum. Pacta cũ Honorio.

418. *Vuallia Hispan. subigit.*

subacta. Tandem anno sequenti Vuallia reuersus in Regnum, obijt Tolosæ.

Mors Vual. 419.

GVNDERICI, GVNTARIS, Rechilæ, Reciarij, & Theodoredi Regnum.

CAPVT V.

421. *Güderici victoriæ.* SEQVITVR annus 421. nouis bellorum procellis turbidus morte Constantij Imperatoris, relicto paruulo filio Valentiniano. A tenera Principis ætate Vandalis in Hispania rebellandi occasio, Rege eorum Gunderico bellaci, ingenio inquieto, arma cupiente. Hic instructa classe, primum Baleares vastat, inde Carthaginem nostram, quæ à Romanis stabat, incendit. In Selingos facto impetu, gentem fugat, Hispalim eorum amplissimam sedem capit, & Hispaniam omnē belli terrore complet. Hunc tamen victoriarū cursum, profanatę religionis vltio diuina repressit. *Vltio diuina.* Nam dum S. Vincentij templū diripere tentat, pro foribus repente extinctus est. Succes sit Gensericus, aut (vt alijs placet) Guntaris frater defuncti nothus. *Guntbaris.* Noui deinde motus, Iouino, & Maximo Regnum in Hispania occupare conantibus, excitati. Sed à Castino Honorij duce, viro strenuo, & militia claro, superati, & occisi. Tentauit Castinus Vandalos: sed rem pugnæ vnius periculo committere non ausus, Bonifacium ab Africa, vbi res gerebat, in auxilium acciuit. Discordiā tamen ortā, re infectā, quisque ad sua dilapses.

423. *Bonifacius rebellat.* Anno 423. Quo excessit Honoruis, vir Imperij ruina nobilis. Valerinianus III. puer Imperio, & rebus afflictis impar, Bonifacio inuidia Æthij, qui apud Imperatorem plurimum gratia valebat, inflammato, stimulos

mulos ad occupandam Africam addidit. Pactus ergo Africę partem, Gēsericum socium rebellionis euocat ab Hispania. At sociali bello confecto, & Africa occupata, inter se de Regno diffidentes (*vt est indiuidua Regnandi potestas*) nouo se duces bello implicuerunt. Bonifacius viribus impar, pugnare non ausus, Hippone obsessus, tempore quo D. Augustinus è vita migrauit, capta ciuitate interemptus, ambitionis, & perfidiæ pœnas luit. *Gunthariis, seu Genserici victoria.*

Cessit Africa Vandalis Arriana hęresi infectis; cessit & hæresi, cùm alium Augustinum, quem opponeret impietati, non haberet. Hinc atrox Ecclesię Africanæ persequutio plurimos Christo martyres aggregauit; quorum Hispani multi, qui Regem ad bellum fuerant sequuti, fortiter occubuere. ¶ Hic annus est, authore Prospero, 437. Profectis ab Hispania Vandalis Sueuorum potentia creuit, Hermerico gentis Rege faciente animos. Sed eo morbo sublato, filius Rechila, iuuenis ingentis spiritus, ad Imperium totius Hispanię animū adiecit. Primum Andeuotum ab Imperatore missum, ad fluuium Singilim, cum vniuerso exercitu cæcidit, anno 440. Eodem impetu subacta Bethica, capta Hispalis: domitis Selingis, ingenti auri, & argenti ad bellicos sumptus parta copia. Conuerso in Lusitaniam impetu belli, expugnata Emerita, & Alanorum reliquiæ oppressæ. Obijt anno 448. relicto filio Reciario: qui primus Religioni Christianę, cum gente, nomen dedit. *Ecclesiæ Africanæ persequutio.* 437. *Rechila Sueuorū Rex in Hispan. Victoria.* 440. *Obitus.* 448. *Reciarius, primus fidem profitetur.*

Interim Gotti, rupto cum Romanis fœdere, amplificandi Regni occasionem captare. Rege Theodoredo Vuallię propinquo, cùm angustis Hispanię finibus, quos nunc Catalauni tenent, & ea parte Galliæ, de qua suprà, hucusque se continuissent ex fœdere, noua bella meditari cœperunt. Effuderat se eodem tempore in orbem Romanum Hunnorum gens, fera, & immanis, & Rege Attila, cognomento flagellum Dei, crudelior, quæ vastatis orientis prouincijs, Gottis *Gotti rebellāt. Attila Hunnorū Rex.*

Pan-

Pannonias eripuerat, eademque de Gallijs erat mens; iamque incensis Remis, obsessa Aureliano vrbe, Francos, Romanos, & Gottos terrore belli perculerat, cùm Gotti, Franci, & Romani in communem hostem arma sociarunt. Primus Theodoredus Rex Gottorum accurrit, & hostem obsidionem soluere compulit. Affuere statim fœderati, nullusque vnquam ex vtraque parte tam nobilis concurrit exercitus, neque tam nobilis pugna vnquam in orbe. Nam licèt sæpiùs pro summa Imperij fuerit dimicatum, tot conuenisse reges, nunquam à profana historia didicimus. Francorum Rex Meroueus, Theodoredus Gotthorum, Reciarius Sueuorum, Æthius dux pro Imperatore, & alij. Attilam sequebantur multi Barbari Reges. Explicata est acies in campis Tolosæ. Theodoredus Rex dextrum latus, Æthius sinistrum, cum Francis, Sangibanus Alanorum eorum, qui in Gallia erant, medium agmen tenuit. Attila Reges, & nationes in cornua distribuit: in quibus Ostrogotti, præcipuum exercitus robur, Visogottis obiecti; ipse cum Hunnis terribiliori, & adustiori aspectu medius constitit. Igitur ex vtraque parte milites, ducum exhortationibus inflãmati, pari virtute miscentur. Pugnæ initio Gottorum Rex Theodoredus, dùm se supra ætatem (erat enim senior) ingerit in medios hostes, cecidit. Sed quod animos frangere solet, Regis videlicet casus, hic magis accendit. Thurismundus, & Theodoricus occisi Regis Filij, denso suorum agmine, per medios se hostes, tanquam agitati furijs immittunt. Proturbant aciem, præcipites & feroces ordines dissipant, & proterunt, ipsumque Attilam orbis domitorem in fugam vertunt. Sed dum ad noctem fugientibus instãt, hostium castris appropinquantes, vitę periculum adierunt. Et Thurismundus vulneratus, & ab equo deiectus, vix suorum virtute ab hostium est ereptus manibus. Attila mœrens quòd non vicisset, pro victo se recepit in castra, spe domandi orbis abiecta. Centum octoginta millia cecidisse illo prælio memoratur. Proximũ rinum caden-

Apparatus in Attilam.

Nobilis pugna quæ nulla maior.

Theodoredi casus.

Attila victus.

Numerus occisorum.

cadentium sanguine supra ripam creuisse (quis credat) proditur. Vtraque pars in armis noctem exegit. Æthius altera die cùm instructa acie hostem ad pugnam prouocasset, iterum fortunam tentare nolentem obsedit: quem cùm delere potuisset, passus est in Pannonias redire. Ob id maiestatis postulatus, & dãnatus, postquam reparatis viribus Attila cœpit arma mouere. Contigit hęc pugna ann. 451. Luctuosa victoria Theodoredi nece, Romanis Francisq; grata, quòd tãti Regis potẽtiã pertimescerẽt. *Æthius dãnatus.* 451.

THVRISMVNDVS, THEODORICVS, Euricus.

CAPVT VI.

MORTVI Theodoredi exequijs in castris, more militari procuratis, Thurismundus filius, noui Regni cõpositis rebus, Attilę Alanorum reliquias in Gallijs extinguere conanti, ad Ligerim fluuium, pugnandi copiam fecit. Nec dubitauit Hunnorũ Rex iterum cum solo Gotto pugnare, qui à superiori pugna cum parente, & alijs Regibus dubiã victoriã discesserat. Pugnatũ ergo vtrinque pertinaciter: victoria tamen, magnã Hunnorum strage, penes Thurismundum stetit. Attila remigrare compulsus in suas Pannonias. ¶ Hóc tẽpore ad annũ 454. celebris fuit memoria S. Turibij Asturicensis Episcopi, & propria sanctitate, & S. Leonis Pontificis amicitia clarissimi. Qui eiusdem S. Leonis auctoritate, conuentu Episcoporum ad Galliam habito, Priscilliani hęresim renascentem, verae doctrinę flamma toties extinctam, adusit. Cur verò Concilium in Gallia, quae Gottis parebat, hic sanctus vir, Leonis Pontificis auctoritate, celebrauerit, & non in Gallicia (id enim iusserat Leo) putat Magnus Baronius causam diuersi Regni. Regnabat tunc in Gallicia Rechila Sueuus, apud caeteram gentem Theodoricus, aut Thurismundus. *Thurismundi de Attila victoria. Turibij memoria* 454.

Tria

Tria ergo Concilia eodem fere tempore celebrata reperiuntur, studio S. Turibij, authoritate S. Leonis. Primum Toletanum, primum Bracharense, & Lucense: in quibus heresis Priscilliani damnata. Et quia Patres in eandem sententiam iuissent, ex diuersis Concilijs vnum
447. conflatum existimat idem Baronius, anno 447. Ergo ad Thurismundum; Qui siue de Hunnis victoria superbus, siue suspecti Regni timens insidias, non moderato imperio regnare; sed crudelitate cœpit in suos, (ô malum exitiale!) sæuire. Hac certissima via, in insidias, quas vitare cupiebat, incidit. A fratribus Theodorico, & Friderico, per Ascalernum, quo multum Rex vtebatur, ad necem subornatum, morbo in lecto decumbenti nex illata. Sic Theodoricus Regni habenas suscepit à fratricidio. Constat verò Regno, quamuis ab impietate exordium, fuisse dignum, ni probitatem vitæ fraterna cæde, & animum impijs opinionibus Arrij, iam pridem damnati, fœdauisset. Hic primus est ausus præscriptos à Romanis fines transgredi, eosque bello lacessere, suadente Auito mortui Maximi Imperatoris legato, opibusque iuuante. Primum Reciario Sueuorum Regi, qui ad Hispaniæ totius Imperium, præteritis victorijs tumens, animum appulerat, specie tuendi Imperij Romani, re vera vsurpandi quidquid Sueuis eripuisset, bellum intulit. Honesta causa prætendebatur, quòd admonitus, vt ab armis contra socios Romanorum abstineret, superbè respondisset. Theodoricus ergo ad fluuium Vrbicum, Iberiam inter, & Asturicam, ingenti prælio Reciarium vicit, insigni Sueuorum cæde. Reciarius naui transmittere parans in Africam, repulsus vi tempestatis, qua Durius in occeanum voluitur, captus, & occisus est, anno 456. Secundùm hanc victoriam Theodoricus, relictis contra Bethicos Ceurila, contra Calecos Nepotiano, & Nerico, qui celeriter has prouincias Regno Gottico adiecerunt, reuersus in Galliam, Maioriano iratus, Lugdunum cœpit, & diripuit. ¶ Perturbato ad occidentem imperio,

Thurismundi nex.

Theodoricus Rex.

Receiarius à Theodorico victus.

Reciarij nex.

456.

Imperio, Imperatorum nece varia, recuperata Narbone, quadam benignitate permotus, Sueuis ad Galleciam permisit, vt Regem è sua gente crearent. ¶ Anno ergo 465. creato Frautæ, defunctoque, Frumarius subtituitur. Sed ex morbo sublato Remismundus æmulus, qui Regnum ambierat, vniuersam gentem armis inuasit, magnisque copijs Lusitaniam cępit fatigare. Affinitate deinde cum Theodorico contracta, cuius filiam sibi matrimonio copularat, nouis opibus, & potentiâ Regnum confirmare studuit. Anno tamen 467. Theodoricus Rex Eurici fraude necatus est: cui sine controuersia Imperium à Gottis delatum. Qui primus Romanis Hispaniæ Regnum ademit, omni prouincia, præter Caleciam, quæ Sueuorum Regi parebat, in potestatem redacta. Cui etiam in Gallia data occasio Regni amplificandi à rerum perturbatione, Romano Imperio in occidente iam expirante, & ex quadam immensa malorum silua quolibet sibi præcidente ligna, data in prædam, quibus Regia vbique domus fundaretur. Ergo Euricus tunc nullo prohibente, Massilia capta cum alijs vrbibus, propagato imperio, Arelate sedem Regni fixit. Felix fuisset, si cum hostes defuerunt, non contra religionem Arianâ impietate pugnasset. ¶ Calamitatem illorum temporum Sidonius Apollinaris deplorauit, quem sine lacrymis non est legere. O quæ, qualisque templorum vastitas, & quàm effusi martyrum sanguinis exundans fluuius! Decessit anno 483. ex morbo.

465. *Theodorici nex.* *467.* *Euricus Rex.* *Causa Regnorũ multorũ.* *Eurici sæuitia, & mors.* *483.*

ALARICI REGNVM.

CAPVT VII.

NVLLVM stabile Regnum, nullas opes firmas, nisi à religione profectas, etsi superiora sæcula, ipsaque ratio, & rerũ ordo monstrauit, Alarici Regnum sat ostendere potuisset. Qui Gottorum

 rum

rum gētis suffragio, Rex creatus. Regnum eiusdem gentis armis, & virtute proferre, si Ariano delirio non fuisset imbutus, valuisset. Propterea cum Clodouæo Francorum Rege, qui nuper cum vniuersa gente sacra nostra susceperat, infeliciter dimicauit, vitamque cum Regno pariter amisit, quòd contra Religonem pugnasset. Tanti belli proditur causa, vel totius Galliȩ obtinendæ ambitio, vel quòd Arianos, á Clodouæo expulsos, Alaricus in suo Regno fouisset. Hæc, vel illa, aut vtraque causa Reges Alaricum, & Clodouæum ad arma compulit. In agro Pictauiensi ventum ad pugnam. Par vtrinque robur, & animus, & Galliæ occupandæ studium. Francorum impetu Alarici copiæ sub initium pugnæ turbatæ. Voces monentis, & adhortantis Alarici, qui nullum in pugna strenui ducis, & militis officium omisit, præ timore turbatis, fugientibus, & surdis dictæ. Ergo dum exhortationis calore, vt exemplo terga vertentes reuocaret, temerè in Francorum agmina rapitur, ab equo deiectus, multarum gentium domitor, ab vno pedite cōfossus, occubuit. Duo reperti milites, qui sui Regis casum miserati, in Clodouei latus, per confertum agmen irruerunt, parique nece pugnam compensarent, ni loricæ beneficio, & Clodorici fortissimi iuuenis auxilio, periculum declinasset. Dissipati Gotti ad fines Burdigalȩ pugnam instaurare ausi, tam insigni cæde ab eodem Clodouæo sunt accisi, vt ab euentu, *Campi Ariani* per multa sęcula fuerint nominati, quòd innumeri Ariani illa pugna ceciderint. Secundùm has victorias omnia in Gallijs prona Clodouęo fuerunt, extincto Gottico Regno. Occissus est Alaricus anno 506, suscepto filio Amalarico, ex Theudicoda Theodorici Regis Italiȩ filia; & ex concubina Gesalcico. Legitimi Amalarici spreta ętate (erat enim quinquennis) Regni proceres Gesaleicum rebus præficiunt. Doluit Theodoricus prętermissum nepotem. Et bello parat iniuriam vlcisci. Octoginta millium exercitum, assiduis Italiæ, & adiacentium insularum bellis

Clodouæi, & Alarici bellum.

Victoria Clodouæi, & Alarici nex.

Gottici interitus. Campi Ariani. Alarici nex. an. 506.

Theodorici victoria.

lis induratum; Ilba Gepidarum comite duce, in Gallias primum immisit, vt Francos victorijs insolentes frangeret, & Regnum, quod nuper Visigottis eripuerant, cum Hispania, nepoti restitueret. Igitur victos Francos fudit, fugatque. Et Visigottis, quidquid in Gallia ditionis habebât, recuperat. Timuit Gesaleicus, & Barcinone, quo se receperat, homo ignauus, propter crudelitatem suis inuisus, rebus diffisus, in Africam ad Thrasimundum Vandalorum Regem traiecit. Thrasimundus inuidia Theodorici, qui nuper, annuente Zenone Imperatore, se Regem Italiæ dixerat, extincto Rege Herulorum Odoacre, ne crescente Ostrogottorum potentiâ, sibi cæterisque formidabilis esse videretur, exercitu, opibusque Gesaleicum iuuit. Ergo Africana pecunia collectum exercitum, in campis Barcinonensibus Gesaleicus, Theodorici copijs opposuit. Ab Ilba superatus Gallias repetens, à re malè gesta contracto morbo finiuit vitam, anno Regni 4. & salutis 510. Variant authores de successore. Theodericum plerique affirmant: & probant Concilia in Hispania eo tempore habita. Amalaricum alij. Existimo penes Amalaricum Regnum, curam cum Regni vectigalibus penes Theodoricum, propter infirmam nepotis ætatem, extitisse. Constat enim, Theudim armigerum Teodorici, procurationi Regni, & Amalarici pueri tutelæ relictum, ad Visigottorum Regnum hac via sibi gradum parasse. Defuncto Theodorico Italię Rege, Amalaricus liberè cœpit Regni habenas tractare. E Crotilde defuncti Clodouęi sorore (an vxore?) filiâ matrimonio sibi iunctâ, pace cum Francis firmatâ, Regnû stabilisset, ni Ariana impietate labefactasset. Erat Regina Christianis instituta disciplinis, ob id ab Ariano marito indigna passa, Childebertû, fratrem Regem de vitę acerbitate certiorem facit. Verbis addita fides, sanguis Regis violentia linteo exceptus. Vnde non solùm Childebertum sed alios fratres, inter quos Galliarum Regnum erat diuisum, Reginæ calamitas in vindictam armauit.

Theodorici. Italiæ Rex.

Gesaleici mors.

510.

Amalarici Regnû.

Ergo imparato Amalarico, & conscientię stimulis agitato, bellum inferunt. Et quia causa honesta, religioque pugnabat, victus Amalaricus est. Potuisset verò fuga elabi, ni gemmarum, quas reliquerat, amor in vrbem regredi suasisset. Hem quam amentes reddit vltio diuina, in periculis destitutos! In itinere comprehẽsus, & hasta traiectus, dum ad templum, cuius maiestatem sæpius violarat, tanquam ad asylum confugit, necatus est anno 531.

Nex. 531.

THEVDIS, ET THEVDISELI Regnum.

CAPVT VIII.

NECATO Amalarico Theudis Ostrogottorum sanguine, Regni tutor, vt diximus, à Theodorico relictus, Visigottorũ, procerũ suffragio, cùm Amalaricus prole careret, Regnum obtinuit. Eo tempore Childebertus, nondum superiori vindicta satiatus, armis Hispaniam repetijt. Theudis potentissimo hosti viribus impar occurrere non est ausus. Liber Franco in Hispaniam transitus, quam magna ex parte diripuit. Non omittendam hoc loco historiam à Magno Baronio scriptã, Ciues Cęsaraugustanos tunicam S. Vincentij martyris, cum psalmis, precibusque ad Deum fusis, per muros ciuitatis circumtulisse, hacque via Francos repulisse victores, ciuitatemque seruasse. Acceptisque S. Vincentij reliquijs, & alijs ab Hispanijs asportatis, postea eundem Regem Childebertum sumptuosum extruxisse templum Parisijs in honorem prędicti S. Martyris Vincentij. Hæc Baron. anno 542. Redeunti prouinciæ spolijs onusto, à Theudiselo duce, & militia claro omnis infessa via ad Pyrinæos. Passim Franci trucidati, Childebertus per suorum stragem grandi

Childebertus victor & victus. 542. Miraculum de tunica S. Vincẽtij.

grandi auri pondere periculum euasit. Theudis, vel cupiditate gloriæ, vel vt Vandalos Belisarij armis fatigatos, opibus, & potentia iuuaret, comparata classe in Africam transmisit. Sed inde, multis amissis, repulsus, à quodam ad colloquium admisso (causa incerta est) ense transuerberatus occubuit. Hominis amētia prętensa, an vltio diuina? Ipse Rex, moribundus exclamasse fertur, se iustè occisum, quòd iniustè ducem, cui iunior Sacramentum militare dixerat, occidisset. Certè Parricidam impunem abire iussit. Præclara confessio! *Vtinam Principes mala, quæcumque patiuntur, agnoscerent, ab bisce profecta, quæ alijs ipsi priùs intulerunt.* Inde Theudiselus superioris pugnæ laude, ad Regnum euectus, ex Totilæ sorore natus Ostrogotorum Regis. Regni exordia lęta; at militaris gloria effusâ libidine fœda. Multi, quorum vxores pulchrę, confictis criminibus enecati, vt solutæ pulchritudini vim facilius potuisset afferre. Inde nobilium odia nata, & parata nex. Non tamen prętereunda illatæ necis occasio. Osseti (oppidum est in agro Hispalensi,) Hebdomada, quam vulgo *sanctam* nominamus, in tēplo Catholicorum, feria. 5. sacer Fons, ab Episcopo diligenter obsignatus, sequēti Sabbato miraculosè copiosis aquis redundare solebat, quibus agros, vineas, messesq; aspersas, nec deficere, aut minui ad baptizatos neophytos. Quo miraculo multi ad veram fidem accesserunt. Rex, vt Arianus, incredulus, miraculo fraudem subesse suspicatus, ingenti fossa, ea altitudine, qua labrum fontis à terra distabat, templum Catholicorum circundare iussit. Operi ergo intento nex conspiratione suorum illata: Anno, cum semestri spatio, primo exacto. ¶ Ad hęc tempora refertur memoria Iustiniani Episcopi Valentini vita, & scriptis clarissimi, fratris Iusti Vrgelitani, & Nebridij Agragensis, atque Elpidij, & Beati Laureani Pannonij Episcopi Hispalensis à Totila occisi; post varias persequutiones à Magno Baronio traditas, anno. an 548.

Theudis nex.

Theudiselus regnat.

Theudiseli vitia.

Miraculum de fonte baptismi.

548.

B. Laureani memoria.

Nex Theudiseli.

AGILA,

AGILA, ET ATHANAGILDVS.

CAPVT IX.

Agilæ sacrilegium, & nex.

AGILAE Regi creato non potuit stare Regnum diuturnum: cuius initia sacrilegio contaminata fuerunt. Nam dum Cordubam parere recusantem obsidione premeret, exercitus iumenta in proximum S. Asciscli Martyris fanum immisit. Cuius violati numen in somnijs apparuit Agilę (ita creditum) vindictam intentans. Somnium probauit euentus. Nam sequuta eruptio Regem cum plurimorum cæde fugauit. Intereà Athanagildus, pactus cum Iustiniano Imperatore Hispanię partem, obtinuit auxilia, quibus Agila superato, & à suis Emeritę occiso, Regnum inuasit, anno 554. Tenuit Athanagildus

554.

S. Æmiliani memoria.

Regnum annos quindecim, mẽses sex: sed cũ Romanis, qui Hispaniam recuperare tentarunt, bello vario turbidum. Hoc Regno floruit S. Æmilianus: qui à S. Felice edoctus, ex opilione cultor eremi, admiranda sanctitate vixit ad annum centesimum. Sunt qui dicant, secretò Catholicam religionem Athanagildum coluisse; & propterea filias ex vxore Gusuinda susceptas Christianissimis Francorum Regibus locasse, gentisque metu publicè fuisse Arianum. Decessit ex morbo, anno 567.

Mors. 567.

Callæci Arianismũ abiurant.

Martini Dumiẽsis memoria.

Quo tempore Callæci, qui hucusque Arianæ sectæ fauerant, ad sanitatem redierunt, operâ Martini Dumiensis, qui peragratis multis orientis regionibus, eruditionis, eximięque sanctitatis laude floruit, eo tempore. Substitit tandem in Callecia, gentemque ab impietate ad veram religionem reuocauit. Abbas factus, deinde Episcopus Dumiensis sanctus habitus, & ab Ecclesijs ibi cultus. Bracharensem Episcopum fuisse reperitur, & secundo Concilio Bracharensi præfuisse, ex Vasæo. Hoc Concilium, anno 563. celebratum tradit Magnus

Ea-

Baron. In eo Priscilliani, & aliorum Hæreticorum damnatę hæreses: iussumque, vt nemo Catholicus à carnibus abstineret; ne Priscilliano consentire videretur. Qui verò, asperioris vitæ instituto, carnibus vesci noluisset, saltem olera cocta carnibus degustaret. Ab Athanagildo interegnum gentis discordia sequutum. De numero annorum opinio variat; de quo non est otium disputare. *Concil. Bracharense.*

LIVVA, ET LEOVIGILDVS.

CAPVT X.

LIVVA Galliæ Gotticæ Præfectus, Narbone Rex creatus anno sequenti, Leouigildum fratrem Regni consortem dixit, Hispaniæque præfecit: contentus Regni portione, quam diu administrarat in Gallia. Hermenigildo, & Recaredo gemina prole auctus erat Leouigildus ex Theodosia Seueriani Carthaginiensis Ducis filia, Leandri, Fulgentij, Isidori, & Florentinæ sorore. Multa cum Romanis, multa cum Hispanis, qui Romanis parebant, bella gessit. Victor, ex vniuersa fere Hispania Romanos eiecit, prope annum 572. quò, in Gallia Liuuâ defuncto, Gotticum in ea Regnum Leouigildo accessit. Qui antiquato creandi per suffragia Regis more, filios Regni successores dixit. Hermenigildo Hispalensem tractum attribuit. Recaredum ad Tagi fontes regnare iussit. Ipse Toleti Regni sedem fixit, vnde illi Regiæ ciuitatis nomen. Hermenigildus Ingundim Sigiberti Mediomatricum Regis, & Brunechildis filiam sibi copulauit: quo matrimonio Leouigildus Regni opes firmari, iuncta potentia Regio sanguini, non dubitabat. Nouam nuptam Gosuinda, quam viduam Athanagildi mortuę Theodosiæ Leouigildus superinduxerat, vtpote neptim, apud se habere

Leouigildus Romanos vincit. 572. *Toletum cur ciuitas Regia.* *Ingūdis Reginæ fidei constantia.*

habere statuit. vt blanditijs fęmina sagax, & Ariana Ingũdim Catholicæ fidei præceptis institutam, à vera religione, ad Ariana deliria traduceret. At à Catholica fœmina repulsa impotens mulier excanduit, arreptamque Ingundim, pauimento allisam, capillisque attractam in piscinam graui discrimine vitę deiecit.

Hermenigildus Catholicus. Creuit iniurijs robustior fides ipsaque, & Leandro Episcopo Hispalensi authoribus, Hermenigildus Arianam perfidiam repudians, nostra sacra suscepit. Gosuinda furore correpta grauissimo bello filium inter, & patrem subdidit ardentes faces, vindicandæ sprerę religionis prætextu. Agi cęptum per literas primùm, & legatos, vt filius, deposita fide, ad Arianam vesaniam rediret. Renuenti additæ minæ. Firmiori bellum paratur. Constantior, se libentiùs Regnum, quam susceptam fidem amissurum, respondit. Euaderet filius victor, quia causa iustior, si exercitus Catholicis tantum constaret. Maior tamẽ Ariana pars ad patrem defecit; reliqui, vt pauci, dispersi. Hipalis Regia vrbs obsidione fessa, in ò & ipse Rex, suadente Recaredo fratre, patri se dare. Quem, detractis Regijs insignijs, in arctam custodiam misit: vbi diù tenebris, & pædore obsiti fortissimi adolescentis animus à vera religione dimoueri non potuit, sępius, sed frustra tentatus. ¶ Festo Resurrectionis die missum à patre Arianum Episcopum, sacrilegam illi communionem porrecturum, cùm grauissimis verbis repulisset; iniuriam sibi, non Episcopo irrogatam interpretans pater impius, in iram efferbuit: missoque statim carnifice, obtruncati filij innocentissimo sanguine, per summum scelus impurissimus Rex se polluit. Franci Reges, iuuenes ingenio ardenti, & feroci, sororis Ingundis, viri casum lamentantis, iniurias bello parant vlcisci. Eorum tamen arma Recaredus alter filius consilia præoccupans, illato priùs bello retardare. A Francis Mauricij Imperatoris impetrata auxilia, contra Longobardos in Italia, & contra Gottos in Hispania. Pugnatum in Italia, & Franci magna clade cæsi: Ingundis,

Bellũ inter filiũ, & patrẽ.

Hermenigildi martyrium.

Franci victi.

gundis, cuius causa bellum suscipiebatur, moritur in Sicilia, filio paruulo ad Imperatorem delato. Sic Francorum ardor remissus. Interea Rex impius in Episcopos, qui Hermenegildo fauerant, & in reliquos quorum authoritate fides propagabatur, quasi furijs agitatus, sæuire. Expulsi in exilium lumina religionis Leander, Fulgētius, & alij, subrogatis Arianis. Sic Leouigildus, Catholicis aut expulsis, aut sublatis, cum suæ sectę omnes conciliasset, Ecclesiæ pacem fundasse putabat. *Sed quæ pax esse potuit bello cum Religione?* imò & Religioni addita religio. Ingens locustarum multitudo ab Africa agris lues, & pernicies, Prouinciæ Bethicę incubuit. Quod malum vulgus Hermenigildi manes in vindictam religionis attulisse ferebat. Regem tamen noua felicitas dementauit. Sueuorum Regnum in Callecia, quod nemine perturbante florebat, & à peregrina gente, solum in Hispania restabat, additum Gottico hac occasione. Eboricus Sueuorum Rex Sisegundæ nouercæ dolis detonsus vltimus fuit. Sisegunda enim Regnum Andecæ marito à tonsura parabat. Sed ab infami exordio finis infelix fuit. Leouigildus fœderati Regis iniuriam vlturus, Andecam armis victum, thesauris Regijs spoliatum, eadem tonsura multauit, pœna pari. Deinde Malarici motibus, qui gentis fauore se Regem dixerat, compressis, Callecis Gotticum, perpetuumque iugum imposuit. Anno 573. Sigibertus tradit, ortam inter Francos, & Hispanos de celebrando Pacha controuersiam, miraculo diremptam. Quòd fontes in Hispania Sabbatho sancto diuinitùs ad baptismum repleri solitos, non in Hispania, sed in Gallia hoc anno repletos constiterit eo die, quo Franci pascha celebrarunt, non quo Hispani. Quāuis Gregorio Turonensi sæpius id accidisse videatur. Obijt tandē Leouigildus Toleti, anno 586. Variant Scriptores de morte. Alij Arianū, alij Catholicum decessisse. Secretò Catholicum, publicè Arianum, gētis metu, probabilius. Præsertim cùm præcendenti miraculo in Arianismo refrixerit. Quod non

Leouigildi crudelitas.

Sueuorū Regnum Gottico additum.

573.

Mors Leouigildi.

586.

Miraculũ contra Arianos. omittendum. Regatus à Rege Arianus Episcopus, cur, sicut Catholici, non ita Ariani fidem probarent miraculis: respondit, se mutis linguam, surdis auditum, visum cęcis restituisse secretò. Deinceps verò Regi veritatem, quam secretò commiserat, pàlàm probaturum, data occasione. Subornat ergo quendam Arianum, qui, simulatâ cæcitate, condicto tempore, quando Regis latus publicè cingeret, opem ab illo, verbis, quæ ipse illi suggesserat, flagitaret. Acta fabula, vt cõposita. Clamantem, & visum ab illo exorantem, coram Rege, populo spectante iubet fictum ad se cæcum acciri. Et, vt cognoscas ô Rex, ait, doctrinam, quam à teneris imbibisti, miraculis confirmari: Cęce visum, quem iam diu amiseras, manuum attrectatione mearum recipe. Hæc ait, & ô miraculum! Simulatam cęcitatem vera cęcitate cum tota fabula prodijt Arianus, ad tantum conductus prodigium, arguente diuino numine impietatem. Sed cur è vestigio Rex, tam patẽti mendacio delusus, Arianum Episcopum, quem non occiderat pudor, cum ipsa impietate non peremit? Moribundus tamen eiectos Episcopos reuocauit, & filium Recaredum commendauit Leandro, quem Catholicis institutis informaret.

RECAREDI REGNVM.

CAPVT XI.

IMPERIA religione fundata, quæ sempiterna videbantur, vna tantùm impietas euertit: euersa rursus, vna stabiliuit religio. Fl. Recaredo, felix, faustumque Regnum stat, à tam præclaro principio. Nam simul ac Regnum suscepit, à Leandro, & Fulgentio fidei pręceptis informatus, gentem ab Ariano dilirio ad veræ religionis cultum reuocare decreuit. Arduum, & difficile videbãtur, Gottos patrijs superstitionibus imbutos ad veritatem inflectere. *Recaredus primus Catolicus.* Sed

Sed animo religione armato, etsi fractus illabatur orbis, nulla potest ab inimicis esse formido. Præcipuè cùm Regnantis moribus gens subdita facilè conformetur. In hac tamen rerum mutatione bis, aut ter insidias, diuino fauente numine, euasit. Concredita Lusitania duci Claudio Catholico erat, & Regi amico: per eum, insidias Regi paratas, fuisse disiectas proditur. Sunna Episcopus Arianus, à Pontificia dignitate deiectus, (quòd Recaredus Episcopis exulibus suas sedes, & Ecclesijs bona per iniuriam ablata, restitui mandauerat) insidias per summum flagitium parauit Mausonæ Episcopo Emeritensi restituto, de cuius loco ipse fuerat deturbatus. Interficiendi Mausonæ cura Vuitherico Claudij familiari, & ad secreta admisso demandata; (his ergo sceleribus Hispaniæ Rex futurus crescebat.) Mausonam non latuere insidiæ. Quare, cùm officij gratia Sunna colloquium Episcopi postulasset; non priùs admissus, quàm adfuisset Claudius inter eos arbiter. Sunnæ opportunitas oblata vtriusque interficiendi, quibus insidiæ paratæ erant. Vuitherico signum à coniuratis datum, diuina virtus elusit. Nam ipse Vuithericus electus ad facinus, quantumuis robustissimus iuuenis, gladium quammaximâ vi connixus educere non potuit, in mutua Episcoporum salutatione, (id enim erat tempus conditum) cùm, ad perpetrandam vtriusque necem pone Claudium de more stetisset. Sed tunc suppressa coniuratio in publica ad S. Eulaliam supplicatione foras erupit. Ab ipso tamē Vuitherico, ex miraculo superiori ad pœnitentiam reuocato, detecta simul, & à Claudio restincta. Qui cōprehensos coniuratos, partim nece, partim exilio mulctauit; quorū bona Regio ærario sunt illata. Sunnam sacerdotium seruauit. Data tamen optio illi; aut solum vertendi, aut deserendæ impietatis. Maluit in Africam exulare, quàm sectam abiurare. Sic illa coniurationis Arianæ dissipata procella, quæ in Regem fulgurare videbatur, exemplo in posteros salutari.

Sunnæ Ariani Episc. insidiæ.

Miraculo insidiæ euitatæ.

Arianorum coniuratio punita.

¶ Fuerat antea & alia in Regem conjuratio in Gallia, Athaloco Episcopo Ariano authore. Cõmissa pugna, & coniuratis superatis, Athaloco, ex mœrore contracto morbo, sublato, faciliùs restincta. A Guntrando Rege missus Dux Desiderius cum validis copijs, ab exercitu Recaredi trucidatus cum exercitu est. Maius periculũ à domestica coniuratione. Gosuinda Regina, simulatã religione, Regis metu, (horrescit animus referre flagitiũ) sacratissimam nostrę salutis hostiã, de manu sacerdotis ore assumptã publice, secretò, ne se (vt illa aiebat) sacris Catholicorum contaminaret, si in sthomachũ transmitteret, expuebat. Impia ergo Regina, cõmunicato cõsilio cum Vldida Episcopo Ariano, qui & ipse idem factitare solebat, Regi parauit insidias: quo sublato, Catholicam fidem adhuc teneram, antequam altiùs radices egisset, extinguendam putabat. Sed diuino numine causam religionis tuente, detectis insidijs, illa morte, Episcopus exilio, minores, quàm meruerant, pœnas, Regis clementiã, luerunt. Quæ omnia hoc, & anno precedenti contigerunt 588. De Guntrando deinde admiranda victoria cumulo fœlicitatis accessit. Ergo Guntrandus ignominię superioris abluendæ cupiditate inflammatus, habitis magnis delectibus sexaginta millium, Duce Bosone, in fines Narbonenses irrupit. Claudius ad tutandos fines à Recaredo missus, ad Carcassonem cum selecta trecentorum manu (tanta erat victoriæ spes!) accurrit: intùs animante diuino numine (aliter inaudita temeritas videretur) cum validissimis illis copijs conflixit. Multis cæsis, hostem fugauit, castra diripuit, impedimenta omnia cum ingenti præda abegit. *Sic pauci religione armati pugnare aduersus infinitam multitudinem consueuerunt.* Aliam ab Argimundo cubiculo prefecto, qui occiso Rege, de occupando Regno, cum quibusdam perniciosis hominibus secreta consilia inierat, coniurationem mirabiliter euasit. Quęstione habita, de socijs supplicium sumptum. Argimundus, cæsarie abrasa (hęc amissæ nobilitatis pœna: cæsaries

Recaredi victoria.

Alia cõiurat.

588.

Illustris Recaredi victoria.

Alia coniuratio.

cæsaries enim à vulgo nobilitatem distinguebat) amputatâ dextrâ, impositus asino, per ora vulgi traductus, voce prȩconis scelus inclamante, punitus. ¶ Secularem deinde pacem Ecclesiastica stabilire concordia. communicato cum Leandro cõsilio, habito ex vniuersa Prouincia Episcoporum conuentu, Toleti, vt explicatam ibi Catholicam fidem vniuersa Hispania susciperet, anno 593. Conuenerunt ergo ad septuaginta Patres, quos Rex pius ea benignitate, vrbanitate, suauitate morum, quibus accessit oris dignitas planè Regia; quibus etiam virtutibus, plurimos ad veram fidem attraxerat, eleganti primùm oratione (vt ætas illa ferebat) ad salutaria prȩcepta statuendà cohortatus, sedit in eodem conuentu, nouo fortassis exemplo, cum proceribus Regni. Fortè Rex ignorabat, quibus terminis authoritas Regia contineretur: cùm neque Imperatoribus in Synodis esset locus sedendi; aut quia in Hispanis Synodis cum Ecclesiastica, profana quoque disciplina, quæ ad Reges pertinet, in ordinanda republica tractaretur: ea propter, & Regi, & proceribus in Episcoporum conuentu sedendi facultas erat, vt adnotauit eminentissimus, & eruditissimus Cardinalis Cæsar Baronius. Aliter, libertas Ecclesiastica videretur oppressa. In eo conuentu, abdicata hæresi Ariana, omnes in veræ fidei verba iurarunt. Fundata pace sub optimo Principe, ingenijs, eruditione, & sanctitate cȩpit Hispania florere. Prȩcipuè cùm Ecclesiæ Catholicȩ Magnus Gregorius prȩsideret, cui Leandrum, & par sanctitas, studiorum, morumque similitudo arctissima necessitudine deuinxerat. A Concilio, & Rege ad Magnum Gregorium cum rerum gestarũ literis, missi legati Probinus presbyter, & Abbates quidam. Addita legationi dona, quibus alia maiora à Pontifice data. Pars Crucis Dominicȩ, duæ claues: altera Diui Petri contactu sanandis morbis miræ virtutis; altera cum ramentis catenȩ eiusdem Apostoli. Fama est imaginem sculptilem, quæ ad Guadalupeum, gloria miraculorum illustris,

Cæsaries nobilitatis signũ.

Cõcil. 3. Tolet. 593.

Cur Hispaniæ Reges sedebant in concilijs.

Legatio ad Magnum Greg.

Dona sũmi Pontificis.

illustris, colitur, & posterioribus seculis, vnà cum D. Fulgentio Episcopo Astigitano, in quodam specu reperta, ab ipso Gregorio ad Leandrum dono legatos attulisse. En quot bona ab vnius Regis pietate in rempublicam emanarunt! Recaderus Badæ Reginę defunctæ Clodosindam alteram Childeberti Regis sororem superinduxit: & sic inter Francos, Hispanosque firmata pax. Vascones res nouas molientes bello domiti. Tandem preclaro vitæ fine quieuit Toleti, anno 601.

Guadalupea imago.

Mors. 601.

LIVVA, VVITHERICVS, Gundemarus.

CAPVT XII.

Livvae maiori natu breue fuit Regnum. Ab ætate vix Regno matura (erat enim viginti annorum) data Vuitherico coniurandi in Regem occasio, viro malis artibus assueto: cùm præterita dissidia, temporum acerbitate nata, nondum refrixisse viderentur. Biennio vix absoluto decessit, ingenti suorum luctu, quòd paterna vestigia sequutus fidelium fęminis vehementer commendarat. Ergo Vuitherico Regnum, à proditione, & parricidio, sexennium & semestre stetit; inter pacem, bellumque variâ fortunâ turbidum. Reliquias Romanorum persequutus, sępius victus, vltimâ pugnâ victor, totâ Prouinciâ expulit. In Regno tamen malè parto despectus concitauit odia, odia insidias, insidiæ necem attulerunt. Hora prandij, ficto in Regiam impetu, à coniuratis necatus: publicè cùm maledictis, & conuicijs cadauer vnco tractum, & in loco ignobili sepultum, innocẽtis Liuuę manibus proprio sanguine parentauit. Sic docuit euentus, *Regnum à proditione quæsitũ, proditione finiri*. Occisus est anno 610. Gundemarus inde, vel gentis suffragio, vel quòd Princeps coniurationis facinus vindicauerit, aut quòd in eo singularis prudentia Regno digna videretur, ad Regnum

Vuitherici nex.

610.

Gũdemarus Rex.

gnum euectus est. Francorum armis adiutum coniectura non leuis est, annuum tributum Francis persolutum à Gũdemaro, vt cõstat ex literis Bulgarani Comitis Galliæ Gotticæ, quæ Oueti, Cõpluti que inter vetera monumenta seruantur. Gascones imperium detrectãtes, victos imperium accipere coegit. Obijt Toleti, nondum biennio absoluto: quo tempore Toletum Episcopi conuenerũt, vt corã Rege quæstio agitaretur, an Toletanus Episcopus Metropolitanus dici deberet Carthaginiẽsis Prouinciæ: quẽ ita se dixerat Aurasius, per impudẽtiam, vt ait Ioannes Mariana. Pronuntiatumque ab Episcoporum conuentu, & à Rege, secundùm Aurasium. *Toletanus Metropolitanus.*

SISEBVTVS REX.

CAPVT XIII.

DOLOREM à Gundemari morte conceptum, tanquam optimi Principis intempestiua morte sublati, electio Sisebuti mitigauit. Quem omnibus carum, ad literarum studia, (quod illis temporibus miraculo erat,) & ad belli, pacisque artes natum fama vulgabat. Extant monumenta tanti Regis aliquot epistolę nam vita D. Desiderij Episcopi Viennensis à Sisebuto composita; non liquet, an à Rege, vel ab alio eiusdem nominis fuerit cõscripta. Ergo Sisebutus reliquias Romanorum, toties renascentes, composito fœdere cum Cæsario ab Imperatore Heraclio Romanis in Hispania præfecto, penitus extirpauit. Erat Heraclius iudiciariæ Astrologiæ, Arioloruque vanitati deditus; à quibus acceperat, Imperium à circumcisa gente cladem insignem accepturum. Iudæos interpretatus, quod de Sarracenis debuerat, eos Imperio eiecit: & cùm Rege Sisebuto, noui fœderis authoritate peregit, idem in Hispania faceret, quod ipse in Imperio fecisset. Idem Regibus Francorum scripsit. *Sisebutus literarum amator.* *Iudæorũ expulsio.*

Sic

Sic Iudæi toto Rom. Imperio sæua persequutione depulsi, ni deserta superstitione ad sacra nostra transissent. Hac via multi se fictè Christianismo insinuarunt: qui post persequutionem ad easdem cæremonias redierunt. Floruit hoc tempore beatus Helladius Præsul Toletanus, literis, & eruditione clarus, Aurasij successor viri doctrina, & sanctitate celebris. Vitio Sisebuto datum, quòd plus æquo Ecclesiastica iura tractarit & in alienam messem Regiæ licentiæ falcem miserit. Eusebium Barcinonensem Episcopum, leuissima de causa, quòd histriones Deorum fabulam in theatro exhibere populo permisisset, alio substituto, deposuit. Alias Princeps religiosus, & fortè dignus, quem excusare debeamus, quòd studio austerioris disciplinæ fecisset. Obijt anno 621. Regnauit annos octo, sex menses, dies sedecim.

Sisebuti vitia.

Obitus. 621.

SVINTHILA, RECHIMIRVS, Sisenandus.

CAPVT XIV.

RECAREDVS Sisebuti filius, cùm puer intra trimestre tempus obierit, quasi non regnasse est habitus. Ergo Suinthila suffragio gentis Regnum suscepit, eo dignus iudicatus, rebus bello, paceque præclarè gestis. Accessit seuerior disciplina, comitas, & humanitas in eos, quibus res asperæ grauiores erant. Inde vulgò pater pauperum appellatus. Vascones, gens barbara, rebellionibus assueta, noui Regni occasione, correptis armis, Tarraconensis prouinciæ fines, ferro, flãmisque vastare. Tumultuantes sua tantùm præsentia Rex compescuit, memoria superioris belli territos. Pœna tamen illati damni fuit, vt proprijs sumptibus in finibus Nauarræ Ologitum conderent ciuita-

Suinthilæ victoria. Vasconũ, rebellio, & pœna.

ciuitatem frænandę genti. Sic Vasconum audaciæ compedes iniectę. Duo deinde Patricij, qui ad vtrumque mare adhuc pro Romanis perstabant, alter industria, victus alter, in potestatem venerunt. Quæ omnia primo Regni quinquennio sunt acta. ¶ Vt ergo Regni successionem stabiliret, anno 626. Rechimirum filium Regni consortem dixit, iuuenem magnę spei, & qui paternas, auitasque virtutes referebat; ni hoc patris consilium statum reipublicæ perturbasset. 626. *Prauum Suinthila consilium.*

Ægrè tulere proceres eligendi Regis per suffragia, siue ius, siue consuetudinem sibi violenter ademptam. Inde posthabita Regia authoritate omnia turbata. Vis, audaciaque dominari: ipse quoque Rex ad voluptates, & luxuriem se abijcere. Docuitque, quâm difficile sit in summa potestate, morum, probitatisque modum tenere. *Vitia in mediocri fortuna suppressa facile se in supremo produnt.* Isidorus tę lio rerum affectus, tanquam Regis propinquus, historiam Regum Gottorum hucusque perductam, vltra producere noluit, ne Regis Suinthilæ vitia euulgaret. ¶ Tandem multorum procerum odia in publicam conspirationem eruperunt. Sisenandus, copijs, & bellicis artibus clarus, Regem Francorum Dagobertum magnis promissis impulit, vt ad euertendum Suinthilam auxilia sibi præstaret, â quo proceres omnes Regni alienatos cognouisset. *Suinthila deseri à suis.*

Abundantio ergo, & Venerando Burgundionum ducibus Gallicæ copię ad interiora Regni delatæ, procerum occulta studia traxerunt ad Sisenandi partes. Tunc Reges pater, & filius deserti palam. Opinio valuit Regno spoliatos, & expulsos. Alijs morbo decessisse anno 631. dececennio in Regno absoluto. ¶ Sisenandus ergo Rex factus, prudenter animaduertens, Regnum in illa temporum colluuione non fore stabile, ni communi concordia depositis partium studijs firmaretur: quartum Concilium Toletanum indixit. Conuenerunt ad septuaginta Patres ex vniuersa *Sisenandus Rex.* 631.

N ditione

Concil. Toletan. 4. ditione. Ibi Rex obortis lacrymis, vulgari vestitu, humi prostratus, Episcopos exorauit, vt ea, quæ Regno, Ecclesiæque vtilia maturo iudicio sentirent, liberè sancirent, salutariaque præcepta darent in publicum; quibus vitio temporum, & rerum perturbatione collapsa respublica recreari valeret. In eo Concilio Regnum Sisenando confirmatum, quod lacrymis postulasse videbatur. Præfuit Concilio D. Isidorus, anno 634. Quadriennio in Regno nondum absoluto, obijt Toleti Sisenandus. Hoc tempore Braulio Episcopus Cæsaraugustanus literis, & sanctitate vixit illustris.

634. Obitus. Braulionis memoria.

CHINTILÆ REGNVM.

CAPVT XV.

IN superiori Concilio Regis creandi per suffragia, iura proceribus restituta Chintilam Regem declararunt. Qui Sisenandi exemplo, Concilio conuocato suam electionem probatam voluit, anno 636. Idem anno sequenti fieri præcepit. Decretum in his: vt Reges Hispaniæ, antequam Regnum capesserent, Catholicam fidem publicè profiterentur; conceptisque verbis iurarent, non solùm se Catholicos fore, sed neminem in Regno degere passuros, qui non verè Catholicus esset. Inde etiam Hispaniæ Regibus *Catholici* cognomē accessisse Magnus Baroni⁹ putat, An. 638. His magis, quàm alia re præclarè gesta nobile fuit Chintilæ Regnum. Regnauit annos tres, menses octo, fuit tamen, etsi breue, felix, faustumque, duplici Hispaniæ numine coruscante, Isidoro Hispalensi Episcopo, & Illefonso paulopost Toletano: nunc pauca, pro instituto, de Isidoro; post de S. Illefonso.

636. Concil. Tolet. 5. & 6. Catholici cognomen Hispaniæ Regibus cur? 638.

Isidori vita.

Isidorum diximus, Leandri, Fulgentij, & Florentinę fratrem, patre Seueriano Charthaginiensis Prouinciæ duce. Fratribus sanctitate par, eloquentia maior

maior fuit. Sapientiæ futuræ indicium examen apum cunam infantis aduolitans. In prima ætate discendi amor ingenij tarditate refrixit. Austeritate pędagogi tarditatem pertæsi, paternam domum deseruit, desperans literas se posse cōdiscere. Sed dum errat par agros, iuxta puteum consedit. In quo animaduertit, funem in hauriendo lapidem attritu excauasse. Visu ergo lapideum ingenium atteri posse, assiduoque labore molliri, & ad literas excauari. Retulit pedem: & rei monimentum, pars putei Hispali monstratur in D. Isidori Cœnobio. Ab his initijs in eximium Hispaniæ Doctorem euasit. Victa natura assiduitate discēdi: & industria Leandri, qui Isidorum domi inclusum ad obitū tenuit; cui in Episcopali munere successit. Cùm verò suscepto Episcopatus onere intellexisset adolescentū ingenia studijs asperioribus informari oportere: imbuendę adolescentię Collegium instituit; à quo clarissimi viri, & literis, & sanctitate prodierunt, qui postea Hispanias illustrarunt. Tandem scriptis, eruditione, sanctitate, benignitate, liberalitate in pauperes, ad quadraginta annos Hispalensem Ecclesiam gubernauit. Nullum condidit testamentum, quòd quidquid habuit, ante vitæ finem pauperibus erogauerit.

TVLGA, CHINTASVINTHVS, Recesuinthus Reges.

CAPVT XVI.

TVLGA optimus Princeps bello, pace, religione, & præcipuè benignitate virtute Regia clarus. Sed quia optimus, breue illi Regnum fuit: biennium enim, & quadrimestre. Turbatam rempublicam Chintasuinthus armis inuasit. Vnde tamē illi ad Regnum potentia tanta, copięque incertum. 641. Concil. Toletan. 7.

Hoc tamen constat, Regnum, quod vi occupauerat, Concilio Toletum conuocato, procerum suffragijs felix faustumque sanxisse, tantaque iustitia gubernasse, vt legitimum retinuisse videatur. In eo Concilio, quod septimum est, Theodisclus homo Græcus, Episcopus Hispalensis, quòd leuitate Græca, falsas in vulgus de religione opiniones seminasset, tanquam ab Isidoro conceptas, vitiatis tanti Doctoris scriptis, loco, Hispaniæque deturbatus, in Africam transmittens, se Mahometicis superstitionibus addixit. Ad tam nefariam impietatem semel haustus error impulit. Natam inde occasionem transferendi Primatus Hispalensis ad Toletanam Ecclesiam, quidam disputant, Rege, Pontificeque in eam sententiam conuenientibus.

Primatus Ecclesiæ Toletanæ.

Hoc tempore Taio Cæsaraugustano Episcopo Regis ad Pontificem legato commentaria D. Gregorij in Iobum, diuinitùs vbi essent, cùm reperiri non potuissent, monstrata: cùm ea, quæ ad Leandrum Pontifex miserat, vitio temporum interijssent; sicque in Hispaniam allata. ¶ Eodem Rege Fructuosi nomen in Hispania celebre: qui Regio sanguine, vitæ sanctioris studio monachum induit, suisque facultatibus ad radices montis Iragi, iuxta Complutum SS. Mart. Iusti, & Pastoris templum extruxit, & miraculorum gloria Regno illuxit. Ergo Chintasuinthus Rex, cùm sexennium, & octo mẽses regnasset, hereditariũ, quod per vim obtinuerat, relinquere curans. Flau. Recesuinthum filium Regẽ dixit. Penes quẽ Regni iura sequentibus annis, ab an. 648 fuerunt. Regnum tribus Concilijs Toletanis celebratis nobile fecit; & expurgata religione. In tertio Concil. Potamius Bracharensis Episcopus retento Episcopi nomine, loco motus, quod se libinoso concubitu attaminasset. Palàm ipse delictũ fassus vltrò, postquam se nouem mensium, ieiunio, oratione, flagellisque macerasset. At Patres collacrumantes, lapsumque miserãtes, honoris titulum habere, & S. Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis iam Episcopum Bracharẽsi præfici iusserunt.

Comment. In Iob. D. Gregor. diuinitus reuelata. Fructuosus SS. Iusti, & Past. templũ ædificat. Recesuinthus Rex. 648. Tria Concil. Toletana. Potamij Episcopi delictũ, & pœnitentia.

Eo

Eo quoque tempore Illefonsus Abbas Agalliensis, vitæ sanctitate, doctrinę, sapientięque fama floruit. Quibus virtutibus gradus illi ad Pontificiam Ecclesię Toletanæ dignitatem. Parentes fuerunt Stephanus, & Lucia Toletana nobilitate. Isidoro, Hispalensi magistro tātus vir creuit Hispaniæ bono. Duobus pręcipuè miraculis eius sanctitas declarata est. Ex Gallia Gottica profectos Pelagium, & Helladium, B. MARIAE intemeratę virginitatis nefarios detractores, absentes eruditissimis scriptis, præsentes grauissima disputatione confutauit: & authoritate ex vniuersa Prouincia eiecit. Studio in *Virginem, Virgo* beneficio respondit. *S. Illefonsi vita.*

Ad nocturnas preces de more venienti, cœlesti splendore illustrato templo, comitibus præ timore dilapsis, Virgo Virginum comitata Choris, apparuit. Studium in defendēda Virginitate commendans, candidissimam vestem è cœlo allatam, qua in solennioribus eiusdem Virginis diebus vteretur, trementem, & in genua prouolutum induit. Quo dono cunctis ordinibus admirandus efficaciùs hæreses expugnare. Additum miraculo miraculum aliud. Coram Rege, Regnique proceribus oranti, repentè grandi lapide sublato diuinitùs, diua Virgo Leocadia surgens è tumulo, dulcissimis his verbis est alloquuta. *Illefonse per te viuit Domina mea.* Stupentibus omnibus audacter ille, arrepto Regis gladiolo veli partem abscidit, quo Virgo tegebatur: quæ in sacro Toletano ærario ad sempiternā memoriam asseruatur. His diuinis testimonijs, quę, qualisque Illefonso accessit authoritas? Nouem annis, mensibus duobus, in Pontificia dignitate peractis excessit. Corpus ad pedes S. Eugenij prædecessoris conditum, Senticam in Hispaniæ vastitate translatum est. Recesuinthus ergo Vascones rebellātes domuit, vitiatas Gottorum leges correxit. Et tandem bello, pacéque clarum mors oppressit, anno 672. Regnauit annos 23, menses sex, dies vndecim. *Miracula.* *Recesuinthi actiones.* *Mors.* *972.*

VVAMBÆ

VVAMBÆ REGNVM.

CAPVT XVII.

Miraculũ in vnctione Vuãbæ.

REx Vuamba à funere superioris Regis procerum suffragijs factus, inter omnes Gottorum Reges pace, belloque optimus iudicatus. Dũ sacro Rex oleo vngitur, fumus instar columnæ ortus in apem euanuit ad cœlos euolantem; vt ait Tudensis. Cur ergo non optimus fuisset, qui Regnum precibus & lacrymis tandiu recusauit; donec minis procerum compulsus onus regnandi suscepit: cuius ambitione omnia iura solent violari. Præsagiebat Rex prudentissimus futura mala; & præsentem rerum statum vitijs, flagitijsque corruptum meritò formidabat. *Sed semper optimus ille, dignissimusque, qui dignitatem recusat; raro bonus, qui ambit.* ¶ Vuambam contra rebellantes Vascones bello occupatum, periculosioris belli terror à Gallia Gottica perturbauit. Eorum, quibus Regis electio non placuit, studia in ea Prouincia Galliæ, quæ Gottorum Hispanię Regibus parebat, contra ius, fasque, regnandi magnum excitarunt incendium. Initium rebellandi ab Hilderico Comite, viro potenti, & magnis clientelis fulto. Erat is Naumensis Comes; Gumildus Episcopus Magalonæ, Remigiusque Abbas in partes attracti. Aregius Nemausi tentatus, & quia seditiosos homines repulisset, de loco deiectus cogitur exulare. Iudęi iam pridem expulsi reuocati ad bellum. Rex cum copijs Paulum disciplinę militaris vsu, & ingenij viribus clarum, contra coniuratos missum, per summam perfidiam in finibus Catalaunię rebellasse; Ranosindum Tarraconensem Ducem, & Hildigisum Radingum (erat id potestatis nomen) rebellioni assensisse, resciuit. Statim Barcinonem, Gerundam, & alia oppida in potestatem venisse nuntiatum. Quibus viribus aucti

Bellum Narbonense.

Pauli perfidia.

auſti de Gallia cogitare cœperunt. Iunctis ergo cum Hilderico copijs; pares Regi ſe fore putare. Argebadus Narbonenſis Metropolita, cùm reſiſtere non potuiſſet, ceſſit ad tempus. Ibi Paulus, aduocata côcione, rebellandi cauſam expoſuit: Vuambam paucorum ſuffragijs ad Regnum euectum comminiſcitur, & mendacio acceſſit audacia. Alium Regem oportere creari dixit, cui omnes, non inuitiſ ſed ſpōte, ſe, ſuaque omnia crederent. Vix hæc & alia Paulus oratione ad ea compoſita perorare, cùm Ranoſindus apud argumenti authorem, vocibus magnis, fabulam abſoluit. Negat ſe Regio nomine quemquam reperiri digniorem Paulo; ſeque eum Regem dicere. Sequuti alij, ſequuta vulgi acclamatio, bonis præ metu ſilentibus. Impoſita deinde corona, quam Recaredus Martyri Felici Gerundenſi dono dederat: vt à ſacrilegio, Regni fuiſſent initia præclara. Hildericus primus defectionis author acceſſit potentiæ, cui etiam Ranoſindus bonam Tarraconenſis partem authoritate conciliauit.

Pauli aſtus.

Rex declaratur.

His opibus iam ſuperbus, Vuambam contumelioſis verbis, & literis auſus eſt prouocare. Conuocatis Rex proceribus rogat ſententias. Itum (vt ſolet) in varias. Ipſe naſcenti periculo, ne mora vires acquireret, occurrere: ratus, *opinione Regnum ſtare, celeritate, & audacia, magna opprimi pericula, tarditate omnia peſſum iri.* Opportunum fore miſeris auxilium, ſi periculum in ipſa cuna opprimatur. Regis oratione tantus belli ardor excitatus, vt intra ſeptimum diem gens ferox Vaſconum domita, omen futuro bello præbuiſſet. Tripartito ergo exercitu deinde, tanta ſe celeritate in Catalauniam effudit, vt eodem impetu rebelles imparatos oppreſſerit. De quibuſdam ſupplicium ſumptum, quod miſeros iniuriâ, virgines luxuriâ vexaſſent; amputata præputia, & publico ludibrio expoſita, exemplo coercendæ libidini: vt non minùs ſeueriori diſciplina religionis, quàm iuſta cauſa bellum geſſiſſe videretur. Inde ciuitates vana ſpe Pauli confiſas (promiſerat enim

Vuambæ victoria

Vuãbæ ſeueritas.

enim auxilio se cum magnis copijs affore propediem:) partim vi, partim metu recepit. Deinde Pyrinæi prohibente nemine superati. Oppida direpta, præda militi data. In his Ranosindus, Hildigisus, alijque Principes rebellionis capti. Narbonem trium horarum pugna, milites contumeliosis verbis Vuittimiri, cui à Paulo ciuitas erat credita, irritati capiunt. Eandem fortunam Magalona, & ciuitates aliæ passæ. Nemausus, quo se coniuratorum capita receperant, eodem victoriarum cursu obsessa. Duces tot successibus feroces necessaria ad expugnandam nobilissimam vrbem moræ impatientes omiserant: quapropter frustrà tentata sæpius. Vulgata fama Francorum, & Germanorum auxilia venire, quæ Paulus iampridem solicitarat. Magno supplemento à Rege misso, postera die, expugnandæ vrbis ardore milites inflammati, inuadunt; vt vrbe recepta, se hostium copijs opponerent. Ad multam diem pugnatum adhortante Paulo. Fatigatis hostibus milites muro succedunt. Pars ignem inijciunt, pars portas refringunt, pars muri lapides conuellunt, & tandem ferro penetratur in vrbem. Rati Franci Hispanos, qui cum Paulo erant, vrbem prodidisse, præsidiarios milites inuadunt, & trucidant. Paulus à tergo ciuibus, à fronte hostibus appetitus, suorum denso agmine per medios in theatrum euasit, vel mori, vel honestis conditionibus dedi paratus. Tanta erat de Rege clementissimo, Paulo concepta spes! Capta vrbe Paulus vitæ magis, quàm honesti cura, se Regis benignitati permisit. Postea exercitu recreato, pro tribunali Rex primo colla coniuratorum pedibus supposita calcare. Pauli deinde perfidiam accusare: & iudices secundùm leges iubet sententiam proferre. Pronuntiatum, vt in rebelles, ingratos, & maiestatis læsæ reos. Morte turpissima damnatos clementia Regis ad triumphum reseruauit, abrasa cæsarie, nobilitatis indice. Muros reficere, per vim ablata, tam sacra, quàm profana, restitui mandat: & rebus in Gallia compositis Toletum sexto mense,

Illustris victoria.

Pauli dānatio.

Regis modestia.

se, grauissimo confecto bello, instar triumphantis, præeuntibus captiuis, militibus vestibus splẽdissimis conspicuis, vulgi faustis acclamationibus, summâ totius Regni lętitiâ, tam venerãdâ canicie grauis, quàm rerum gestarum gloria clarus, inuectus est. Ad Regnum iam parta pace, religione confirmandum animum adiecit. Anno ergo 675. Toletanum Concilium indixit. Quò septẽdecim Patres conuenisse traditur, In eo factam sedium Episcopalium diuisionem, ad sedandas controuersias, communiter traditur. At Magnus Baronius ex Tudẽse, in alio ex vniuersa natione, sub eodem Rege, factum rectè putat: nam necessarium videtur, vt quod pertineret ad omnes, omnes simul iudicarent. Ergo Rex militarem disciplinam diligenter exerceri præcepit, qua ingentem Sarracenorum classem superauit. Eo enim tempore Sarraceni Africâ, quà ab Ægypto ad Herculeum fretum patet, armis domita, classe comparata Hispaniæ litora infestare cœperunt.

Triumphus. *675. Concil. Tolet. 11. Diuisio Episcopatuum. Victoria de sarracenis.*

Rex ergo Vuamba terrestribus victorijs naualem etiam adiecit; partim incensa, partim submersa classe hostili. Creditur suasu Eruigij Recesuinthi propinqui, Vuambæ odio, hanc euocatam classem. Quòd sibi prętulissent proceres Vuambam, Eruigium dolor vrebat. At vbi non successit conatus, veneno scelus aggreditur. Quo hausto iam moribuudus supremis tabulis compulsus est Eruigium Regem declarare. Deinde monachum induit, vt ex instituto sic meliùs expiaret peccata. Venenum verò non ita pręsentaneum fuit (aquam à macerato sparto fuisse proditur) quòd Regem peremerit. Qui postquam ad se redijt, & ex Rege monachum se factum sentiens, siue animi constantiâ, siue recuperandi Regni spe abiectâ, siue religione tactus, ad mortem cucullatus perseuerauit. Obijt anno 680. Regnauit annos octo. Ossa iussu Regis Alfonsi cognomento sapientis Toletum translata, in diuę Leocadiæ templo sunt condita.

Eruigij scelus. *Mors. 680.*

ERVIGIVS, EGICA, REGES

CAPVT XVIII.

OBLITVS Regno scelere parto Religionis color. Eruigius tribus Concilijs Toletanis conuocatis (etsi Patribus toties conueniendi expensas excusantibus, & Egica Vuambę propinquo genero sibi ascito, & successore declarato) Regni confirmauit opes. In primo Concilio ius Toletano Præsuli primatus in cæteros, à patribus confirmatum. Dignitati dignitas alia data. Ius confirmandi Episcopi à Rege creati. Addita & alia. *Rege absente, penes Toletanum creandi Episcopi ius esto.* Cōtra inuidiosam tamen hanc legem à cæteris Episcopis reclamatum Tudensis ait, correctumque: & à Romano Pontifice obtentum, vt nullus Archiepiscopus in Hispania subditus esset alteri. Videant ergo qui resistunt. ¶ In altero Concilio maculam Regni per scelus quęsiti delere liberalitate Regia, qua vitia magna teguntur, cùm in primo conuentu arma tenenti nemo fuerit ausus obmutire. Iustissimum se Regem exhibuit. Bona damnatorum fisco Regio vetuit inferri. Indignis ad dignitates omnis præclusus aditus. *O vtinam lex vigeret!* Hæc omnia in illis Concilijs tribus ferè continuis annis celebratis Patres suis suffragijs sanxerunt. Cumque vxori, filijs, generoque futuri Regni necessaria iuramento prospexisset, Vuambæ leges vel mitigasset, vel correxisset. Obijt anno 687. septennio in Regno absoluto. Floruit hoc tempore Iulianus Pomærius natione Iudæus, Archiespicopus Toletanus, sanctitate, & eruditione clarus.

Concil. Tolet. 12.13.14. Dignitas Toletani Espiscopi creandi alios.

Mors. 687.

Mortuo Eruigio, Egicæ odium in socerum hucusque metu suppressum foras erupit. *Diuturnior enim*

in

iniuriæ, quàm beneficij memoria est. Primò enim Eruigij filiam, ex qua iam Vuitizam susceperat, Cixilonem nomine, contra ius, fasque repudiauit. Repudij author fertur Vuamba, cum ad extremum vitę scintillas odij fouisset. In eos, qui Vuambę fuerant infensi, crudeliter animaduersum. Cætera Princeps inter bonos annumerandus. Amplificandæ religionis cura, pace, belloque, & prudentia clarus. Concilium Toletanum 15. indixit anno 688. Sex & sexaginta Patres conuenisse traditur. Hoc Rege, Iulianus Toletanus Presul obijt anno 690. eruditione, sanctitate, ingenio copioso, facilique, & contra temporum iniquitatem vir eloquentia suaui. *Egica Rex. Virtutes & vitia. Concil. Tol. 15. 688.*

Successit. Sisbertus homo temerarius, & ingenio prauo: qui vestem è cœlo à Beata Virgine Illefonso allatam, quam nemo neque attrectare est ausus, induit. Quem posteà conuocatum Concilium Toletanum sextum decimum deposuit: quòd immemor sacerdotij, in Regis caput, inque rempublicam, seductis quibusdam proceribus, coniurasset. Altero deinde anno vltimo Concilio Toletano 17. actum de Iudæis in seruitutem vindicandis, quòd contra Regem res nouas molirentur, & in rempublicam conspirarent. In hoc ergo Concilio sancitum à Patribus, vt tolleretur abusus offerendi sacrificium defunctorum pro inimicis, cùm adhuc viuerent: vt sic ex hac vita citò migrarent. Hoc modo nefarij homines inimicorum vitæ insidiari consueuerunt: cùm vulgo crederetur sic celebrata Missa superstitiose hominem citò moriturum, pro quo, tanquam si iam obijsset, celebraretur. In eos ergo Patres Anathema dixerunt. Obijt Rex anno 701. decennio absoluto in Regno, Vuitiza successore. *S. Iulianus. 690. Sisuerti temeritas. Concil. Tolet. 16. Concil. Tol. 17. Abusus missarũ defunctorum, in odiũ inimicorũ, sublatus.*

VVITIZA, RODERICVS, Reges.

CAPVT XIX.

Hispaniae vitia. HISPANIAE Regnum hominum flagitia, & publica scelera hoc tempore in ruinam impulerunt. Cùm pessimo Rege Vuitiza, omnis peccatorum colluuio, quasi è refractis carceribus effusa, in publicam Regni perniciem exundaret. Præcipuè cum leges Ecclesiasticæ, quibus Imperia, tanquam ab religione firmantur, violatæ: iura diuina, humanaque conculcata iacerent. Libido, & rapina dominaretur, & quasi è vitiorum sentina fœtor, pestifero morbo, sic mortalium mentes inficeret: vt exemplo Regis, impuritas, & luxuries vbique regnaret, honesti ratio vilesceret. *Vuitizæ vitia.* Rex plurimas pellices Reginarum cultu, & vxorum loco habere, cunctisque id licere, tam sacris, quàm profanis, & exemplo, & lege sanxit. Adulatoribus, quorum in aulis reipubl. malo numerus ingens, se dare. Inde nata crudelitas; & quia *omnia sunt infida crudelitati*, sæuitum in proceres, quorum fides suspecta magis. Ciuitatibus rebellandi occasio cum armis adempta, muri diruti, & Regnum inerme. Quibus malis accessit malorum cumulus: à Pontificis obedientia discessum, qua fides, & Regnum steterat. A tam grandi ergo malo, quę non timenda mala? *Theodefredus, & Fauila fratres Recesuinthi.* Ad fratres Recesuintsi Regis cœptum respectari. Duo supererant: Theodefredus Cordubę, & Fauila Cantabrię Duces. Fama est Fauilam occidisse, vt eius pulchra potiretur vxore.

Huius filius Pelagius longinquâ peregrinatione susceptâ se crudelitati tyranni subduxit. Loca sancta inuisisse proditur, & baculi peregrinationis comites in

in oppido Arratia seruati diu. Rex Theodefredum excęcauit, Roderico filio fuga elapso. Sinderedus Præsul Toletanus, vt Regi morem gereret, Clericos, & Sacerdotes Prisci moris, qui Regis actiones improbabant, expulit. Additum facinori scelus, exemplo monstroso. Hoppam impurissimum hominem Regis Vuitizę flagitiosissimi aut filium, aut fratrem (vtrumque traditur) Hispalensem Episcopum consortem sibi Episcopatus asciuit, vt à duobus lupis Ecclesiæ Toletanæ grex peteret pascua virentia. Quo fine decesserit, non proditur; dignum vitę putandum. Iudęi, iam diù expulsi, ab exilio reuocati. Fama est, Rodericum Theodefredi filium initâ coniuratione Regem oculis, & regno priuasse, illatâ pœna, quam ipse patri priùs intulerat. Alij morbo decessisse affirmant, anno, 711.

Hoppas duobus Episcopatibus prapositus. Vuitiza nex.

711.

Sequuta deinde dissidia inter Vuambæ, & Chintasuinthi prolem. Procerum suffragio, vt magni authores tradunt, Rodericus Theodefredi filius Rex, & Regni fax in Hispanię perniciem extollitur. In priuata vita Regno dignus, in Regno priuatâ vitâ indignus iudicatus. In priuata Scipio, aut alter Annibal: in Regno aut Sardanapalus, aut (vt vno verbo) Vuitiza alter. Gẽs Hispana Regibus his, quæ? Qualis, & Reges. Cõuiuijs, vino, luxuria, libidine, eneruata. Armis, quibus orbem impleram, tam præclari successere mores, extincto prorsus Gottici sanguinis ardore. Vuitizę filij, Regis irę fuga subducti, cum Hoppa, & Comite Iuliano, qui ad fretum Herculeum ditioni præerat, alijsque Regni proceribus, secreta in Regis caput consilia inierunt.

Rodericus Rex.

Causa Iuliani filia.

Causæ Iuliani filię stuprum illatum abs Rege, coniurationem accendit. Erat tunc Iulianus legatus in illa Africæ parte, quæ adhuc Gottis parebat: qui querulis filiæ literis de stupro excitus, in Hispaniam properare: simulansque se quicquam scire, Regem conuenit, & de Rebus in Africa cum illo rationem contulit.

Iuliani astus. Et fortè, ob amorem filiæ, admissus ad secretiora, suadet Regi, vt quia inconcusa pax Hispaniæ videbatur, arma in Africam, vnde periculum à Sarracenis timebatur, transferret. Quod vt perfecit, fingit vxorem, quam in Africa reliquerat, in grauissimum incidisse morbum: literisque ad Regem missis obnixè rogare, vt filiam Cauam pateretur in Africam transmitti; vnicum infirmitatis id esse leuamen, aut decedentis solatium. Additæ preces fictis literis à Iuliano authore fabulæ. Quibus Rex flexus, vel quia Deus scelerum vindex Regem, vt Iuliani consilijs acquiesceret, dementauerat, annuit. Recuperata filia, properè in Africam traijcere. In itinere cœpta coniurationis consilia fouere.

Regni fatale palatium. Interim Rex, agente ira diuina præcipitem, fatale Regni palatium (vt fama est, & magni authores tradunt) à superioribus Regibus magnis vectibus ferroque obseratum, contra procerum, & populi religionem, quòd clauso, Regnum mansurum; aperto, ruiturum credebatur: Thesauros ibi recōditos suspicatus, temerè reserare. Intus nihil inuentum, prēter arcam: in ea linteum, quo explicato, terribiles vultus, & Africanis simillimi apparuere. Literis Latinis ibi scriptum. *Reserato templo ab illis gentibus Hispaniam domandam.* Extimuere proceres, exhorruit Rex: & sera facti pœnitentia subijt. Sunt qui commentum putent: penes authores fides esto.

Iuliani cū Mauris societas. Iulianus ergo cum Muza Maurorum duce, de prodenda Hispania consilia agitare: Muza cum suo Miramamolino conferre. Suspecta primo Iuliani promissa: sed quia non despicienda, cum paucis tentare placuit. Centum equites, & quadringenti pedites nauibus impositi; cùm oppida Hispaniē prima diriperent, & Christiani ad eos, odio tyranni confluerent, *Primus Maurorū successus.* res pro votis, agente Iuliano, Tariphum ducem, cum duodecim pugnatorum millibus, mercatorum nauibus, exciuerunt. *A Tariph, & Gebal, id est mons, freto nominis Gebaltariph*, corruptique *Gibaltar origo fuit:* quæ

quæ eadem, & *Tariphæ* primo in continenti oppido, cùm antea *Thartesius* diceretur. Rex vt cognouit Iuliani conatus, Maurorumque appulsum, Sanctium sobrinum, (Enecum alij eum appellant,) cum exercitu mittit. Sed quid agerent subitarij milites, nulla militari disciplina castigati, pulueris, & solis impatientes, conuiuijs assueti, gurgites, & helluones? Leuibus primùm pugnis, deinde totis pugnatum viribus. Exercitus cum duce Sanctio cæsus, dissipatusque, omen cladis futuræ fuit. Secundum hanc victoriam vniuersa Bethica populationibus vexata, vastati agri, captæ ciuitates, direpta oppida: & Hispalis nobilissima vrbs, quòd mœnibus nudata, in potestatem venit, & ea Hispaniæ pars, quia inermis, nemine resistente, capta anno 713.

Guibaltarunde.

Prima Maurorum victoria.

713.

RODERICI MORS, ET Hispaniæ strages.

CAPVT XX.

IVLIANVS ergo Hispaniæ proditor cum Tarripho rediens in Africam, cum Muza agit, vt magnis in Hispania initijs noui Regni, nouis, & maioribus copiarum supplementis accurrat: studia gentis exponit, Roderici Regnum pertesę, vt satis inuasione prima probatum, eademque facilitate omne Regnum in potestatem venturum. Retento loco obsidis comite Rechila, Muza maiores copias cum eisdem mittit. Et quia notę Arabibus Hispaniæ vires, cum Roderici exercitu collatis signis dimicare non dubitarunt. Rodericus ergo gliscenti malo occurrere; maculę, quam superiori bello contraxerat, delendę studio, habito totius Regni delectu, pœna capitis inrecusantes indicta, centum millia hominum, quæ tristitia, mœroreque futuros euentus prędixerunt, conscribere. Sed quid

hę

hæc incondita multitudo ferè inermis, & cuius magna pars, puras hastas, dolonesque in prælium gerebat, Africæ, Asiæque domitoribus opposita faceret? Ad Cæsarianum, qua Lethes fluuius interfluit, vtraque castra posita. Leuibus pugnis septem primis diebus tétatæ vires; octauo die, qui fuit nonus Nouembris, anno 714. totis viribus vtrinque pugnatū ad multam diem, victoriâ ad neutram partem inclinante. Multa vtrinque cędes, & cadentium gemitus. Obtinuissent Christiani victoriam, si ab exercitu abfuisset perfidia. Cedebant iam Mauri: cùm ecce perfidus Hoppas ardore pugnæ, (vt erat inter coniuratos conuentum,) cum valida suorū, integráque manu, ad hostes, Iulianumque, signa transtulit. Fesso militi nouus, integerque terrorem inijcit. Non potuit exercitus nouam impressionem sustinere. Rex è sublimi curru in equum Orellam desiliens, & militis, & ducis partes implere: hos à fuga reducere, illos retardare, adhortari alios: frustra tamen, cùm iam omnes terga vertissent. Vna ergo dies Hispaniæ imperium, Gottis famam, gloriamque tot victorijs quæsitam, Christianis libertatem abstulit. Sed heu heu. Cur tam citò concidit animus? Cur ô Rex sparsas infelicis exercitus reliquias collectas tecum non opportuniori tempori reseruasti? Vbi præsens animus, vbi prudentia, vbi rebus in arduis constantia? Non defuerunt munitissima loca; cunctando tantum Hispania validissimos profligat exercitus. Solicaritas copias absumit omnes. Cur hæc non tibi venerunt in mentem? Abstulit cor tibi Deus. Ergo, ô Reges,

Pugna Roderici cū Mauris. 714. *Hispanorū strages.* *Epiphonema.*

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Virgil. 6. Æneid.

Cæsorum numerus non proditur. Maurorum sexdecim millia cecidisse memoratur. Regius equus, cum paludamento, calceis, coronaque inuentus ad fluminis ripam: Rex nusquam. Post duo sæcula in Lusitania, in templo vrbis Visei, lapis repertus hac inscriptione.

Hic requiescit Rodericus vltimus Rex Gottorum.

Fortè

Forte fuga elapsus, ibi quoad vixit ignotus latuit, Reliqui à cæde per vrbes dissipati. Castra eodem impetu capta, direptaque. Pelagius in vltima Cantabriæ suæ ditionis loca se recipere: quo Christiani turmatim, desertis vrbibus, confugerunt, duce Vrbano Toletano Præsule: &, vt plerisque videtur, Pelagio Vrbanum comitante, cum militari præsidio. Astigis ciuitas fugientibus è prælio multis, receptisque pugnam instaurare: sed eadem fortuna pugnatum, & illa expugnata est, & euersa. Posteà diuisis exercitibus per Hispaniam effusi Mauri, Iuliani consilio, incredibili celeritate, vniuersam Prouinciam, ferro, flammaque vastare: quæ vsque ad Astures, quò se Christiani receperant, subacta est.

Christianorũ fuga.

Per omnem Prouinciam diuersi exercitus ab Africa éuocati, tantæ victoriæ accepto nuntio, impune volitare, quòd Maurorum terror omnium animos occupasset. Illiberis, Toletum, multæque aliæ ciuitates habitatoribus vacuæ Iudæis promiscuè, Maurisque habitandæ datæ. Toletum æquis conditionibus in Potestatem venit. Sicuti Murcia, præfecti solertiâ, qui fœminas habitu militari pro militibus ostentans victores ad easdem honestas conditiones attraxit.

Maurorũ celeritas in expugnanda Hispania.

Omnis nobilitas Vrbani, & Pelagij exemplo, in Astures propera fuga, cum sanctorum reliquijs, & pretiosa supellectili, pro temporis angustijs, sæuientium Maurorum crudelitati se subduxit. Omnia hæc in loco subterraneo occultata prope Ouetum, nomen Monti Sancto dederunt, vicinorum, incolarumque votis frequentato.

Mons Sãctus Oueti.

MVZÆ

MVZÆ IN HISPANIAM Aduentus.

CAPVT XXI.

IN Africa intereà Muzę animus varijs cogitationibus versabatur. Gaudebat armis Mahometicis Asiâ, Africaque domitâ, Europæ aditum, subactâ Hispaniâ, reseratum. Dolebat verò expugnatę nobilissimæ Prouinciæ laudem penes vnum esse Tariphum: thesauros, ingentemque prædam, se authore, alios in sua commoda vertisse; se nihil præter belli authoritatem tulisse. Nouo ergo comparato exercitu transmittere in Hispaniam: Et quæ nondum Maurorum armis cesserant, subijcere parat. Erat Muza senex, effętęque ætatis; prudentiâ tamen, & consilio Tariphum; Tariphus verò Muzam ardore bellandi, & ingenio viuido superabat. Prima Muzę victoriarum libidinem retardauit Emerita, ciuitas frequentia ciuium, armis, pulchritudine ædificiorum opulenta, & quę nondum fuerat Maurorum armis subacta. Hanc suo nouo exercitu Muza capere arcta obsidione tentat. Cuius amplitudinem, & pulchritudinem contemplans, & admirans ait. Nullam in Asia, & Africa similem expugnauimus: beatus Rex, qui tam pulchrę ciuitati dominabitur. Et quia laudis amplissimę, & immortalis glorię fore putauit, si ciuitas illa suo ductu in potestatem veniret; ad eam expugnandam omnem belli molem conuertit. Ciues diebus aliquot Maurorum impetum cùm non solùm sustinuissent; sed apertis portis, magna illata clade, repulissent: peruicissentque Maurum, sicunde aliqua se auxilij spes ostendisset. Multis deinde Maurorum insidijs, trucidatis, legatos, qui conditionibus honestis ciuitatem dederent, mittere. Con-

Emerita laus ab hoste.

Emerita obsessa à Muza & capta.

Conditiones à superbo victore reiectæ. Sed cùm Muzam grandioris ætatis, & penè capularem senem animaduertissent, se ad mortem Muzæ obsidionem posse tolerare dixere; cùm pacis conditiones reiecisset. Resciuit astutus Maurus, quæ legati retulerant, quæque ciues decreuerant, & expugnationem vehementiùs vrget. Barbam interim, capillosque medicamento tingit, & sic legatos iterum de deditione audiuit. Obstupuere ad aspectum legati mirantes tam grandæuum senem senectutem exuisse. O gentis simplicitas, & à nostro remota æuo! Pacem cum illo facere suaserunt, qui naturæ legibus imperare didicisset. Sic Emerita, & cum illa Hispalis, quæ se in libertatem vindicarat, Muzæ arbitrio se credidit: & oppida alia, quæ adhuc perstabant, facilè in potestatem venerunt.

Astutia Muzæ.

Huius Muzæ filius Abdalisius fuit, cui Pater Valentiam, & vicinas ciuitates expugnandas commisit, quas sine sanguine Maurorum iugo subiecit. Inde Toletum Muza profectus obuium Tariphum habuit: quem senex vehementer increpuit, quòd ardore iuuenili gerendi belli ordinem perturbasset, fortunâ magis, & temeritate, quàm ratione, prudentiaque vicisset. *Reddas, ait, rerum gestarum rationem, & belli expensas, cum thesauris, & prædis, omnibusque, quæcumque expilasti, vt omnia nostro Miramamolino constent.* Prudentia, & astu, animique summissione, leniends senis, vel ira, vel auaritia, aut inuidia erat. Accesserunt à Taripho blanditiæ, donaque, prompta officia, & in posterum obedientia singularis promissa. Quibus discordia sedata: & vtrumque concorditer ad ea, quæ supererant, subiuganda, necessaria parantem Miramamolini missæ literę in Africam reuocare. Timuit enim Barbarus Rex, ne ducum discordia, quam ad eum fama pertulerat, in nouo Regno tam celeriter quęsito, citiùs amittendi nasceretur occasio. Muza filio Abdalisio Hispaniæ Rebus præfecto, cum Tarípho, & Hispanię thesauris in Africam remigrare. Abdalisius Egilo-

Abdalisius Muzæ filius.

Discordia Muzæ, & Taripbi.

Egilona Roderici Abdalisio nubit.

nam Roderici vxorem præstanti pulchritudine fœminam matrimonio sibi copulare, Christiana religione renta. Quæ verò esset rerum facies, quæ misera Hispaniæ seruitus, quæ violentia, & barbara rapina, ciuitatum excidia, crudelitas, agrorum sterilitas irato cęlo, & alia innumera mala, quæ in extrema miseria solent hominibus accidere: quilibet poterit ęstimare, cùm verbis explicari non possint. Sic ergo publica scelera, flagitiaque supplicij grauitate castigat ira diuina. ¶ Hoc tam calamitoso tempore non defuerunt viri sanctitate, & doctrina clarissimi, qui miseram Hispaniam tot cladibus afflictam solarentur. Inter eos numerantur, Vrbanus Toletanus præsul, & Ioannes Hispalensis, qui sacras Scripturas Arabica lingua donauit.

Hispaniæ misera facies.

S. Scripturæ Arabica traductio.

Finis Libri Secundi.

MA-

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII.

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ

Anacephalæosis.

LIBER TERTIVS.

PELAGIVS REX.

CAPVT PRIMVM.

SIc oppressâ libertate, misera laborabat Hispania, in confragosa loca, in montes, & syluas Asturum, & Cantabrorum compulsa. Non deerat animus ad recuperandam libertatem, antequam Mauricum confirmaretur imperium. Supererat ex tanta clade Pelagius Cinthasuinthi Regis nepos,

qui

qui miseram patriam, si non antiquo splendori restituere, recreare saltem posse videbatur; cæteris in tam calamitosis temporibus onus detrectantibus. Oblata rebellandi peropportuna occasio est. Erat Pelagio soror insigni pulchritudine fœmina. Hanc Munuza Gegioni pro Mauris præfectus vehementer deperibat. Desperabat tamē se puella posse potiri, Pelagio inuito. Legationis ergo, & honoris specie Cordubam ad Tariphum, antequam in Africam remigraret, Munuza Pelagium ablegat. Eius discessu puellam sibi copulare. Simulat Pelagius dniorem reuersus, & recepta sorore, ad Hispanos, vbi de rerum summa consultabatur, aufugit. Munuza re cognita Tariphum certiorem facit. Maturare suadet, & Pelagium antequā Hispanię prospicere posset, opprimeret. Tariphus, missa militari manu, Pelagium comprehendisset, ni indicio periculum declinaret; in rapidumque se flumen Pioniam immittens, & impetu equi in vlteriorem ripam euaderet. Ad Canicæ, id est, *Cangas*, vallem elapsus, profugorum, & egenorum delectus habere.

Munuza Gegionis Dominus

Pelagij periculū.

Omnes ad eum certatim confluere mœsti, ac soliciti. Pelagius ergo magis omnium lacrymis, singultibus, gemitibus, & lamentis, quàm suffragijs Rex dictus. Omnes orare vt miseram patriam in tot miserijs, & angustijs positam non destituat: & quod fælix, faustumque sit Regnum non detrectet. Pelagius eos blandè solatus: ad futuram pugnam, quam pręsto fore timebat, cohortatus, in spem libertatis erexit. Creatus est Pelagius Rex anno 716. qui à tam paruo principio, cùm Maurorum arma tam potenter vbique dominarentur, florentissimum Regnum, æternumque fundauit. Vt ergo aliquo pręclaro facinore nouum confirmaret imperium: cùm ætas esset idonea bello, vigor, & animi robur, in perferendis laboribus patientia summa; vicina oppida inuadere, & diripere, prædas agere, & militibus liberaliter diuidere. Prouocare hostes, quorum exercitum propediem affore nuntiabatur. Vt sic milites

Pelagius Rex. 716.

Alchama dux Maurorum.

milites assuefaceret periculis; preteritaque ignominię maculam elueret.

Alchama Mauricæ militię dux impiger, accepto apud Astures noui motus nuntio, festinandum ratus, periculumque in ipsis incunabulis opprimendum, Corduba cum magnis copijs accurrit. Sequebatur Hoppas patrię proditor, qui pro necessitudine, & sanguinis propinquitate Pelagium à tam periculoso proposito deterreret. Hispani simul ac hostes conspexere, memoria præteritę cladis, & Maurorum multitudine territi, vix conspectum inimici agminis laturi videbantur. Sensit Pelagius pauidę gentis trepidationem, timensque ne desereretur à suis, timidos per vicina oppida dissipat: ipse cum selecta manu, in Ausenę montis spelunca, loci asperitate vndique munita, se abdidit; donec melioris fortunæ spes sese miseris ostenderet. Vocatur hodie spelunca illa, *Sancta Maria de Couadonga.*

Hispanorum timor, & Pelagij fuga.

Cognita fuga, & Pelagij consilio, Mauri ad illas miserorum latebras penetrare. Processit Hoppas orator, & deditionem, composita ad id oratione, suadet. Pelagius tamen grauissimis, & contumeliosis verbis repellere proditorem. Quibus irritati Mauri vim parant. Tela, omneque missilium genus in speluncam vibrant. Diuinum affuit Hispanis numen. Forte hactenus iratus, piorum lacrymis flexus: & quia iam satis luitum esset pœnarum, Deus omnipotens voluit paucis, & afflictis dare victoriam, quam multis, & flagitiosis anteà denegarat. Omnia coniecta missilia (ô miraculum!) diuinitus in hostes retorta, Maurorum innumeram multitudinem strauerunt. Fecit quoque Deus animos Hispanis timidis, & in spelunca inclusis. Qui cognito miraculo, eductoque agmine illuuie, fame, pędore scabro, facto in Mauros impetu, terribiles è timidis, è desperatis audaces, iutùs agente Deo, feroces irruerunt. Incredibile dictu, ni res miraculo confirmata fuisset. Mille cum Pelagio viri, sexaginta Maurorum millia superarunt. Ad speluncam viginti milla cęsa, miraculo primo.

Hoppas repulsus. Miraculosa Hispan. victoria.

Duplex miraculū

primo. Strages ingens aucta prodigio secundo. Magnam fugientis exercitus partem ad Deuæ fluminis vada, pars montis conuulsa diuinitùs oppressit. Hybernis aquis excisæ ripæ ad hanc diem, arma, ossa, miraculosæ victoriæ argumentum, ostendunt. Paucos fuga seruauit. Perijt dux Alchama: Munuza tam magnę cladis nuntio perterritus incolarum armis occubuit. Hoppas quoque venit in potestatem: sed quo fine obierit, incertum. Hęc anno 718. in Hispania. ¶ In Africa Muza senex à TarIpho circumuentus, & expensas belli coactus reddere, ingenti summa mulctatus, prę dolore finijt vitam. Non omittendam rem historia dignam, à Roderico Toletano in Arabica historia traditam. Inter Hispanię spolia Muzam à Taripho accepisse dono mensam lapideam coloris viridis, magnitudinis admirandę perpetui lapidis, 365. pedum, ni numeri sint vitiati; inuentamque fuisse iuxta oppidum Medinam Almeydam, à mensa sic vocatum, id est, ciuitas mensę, in monte Gebàl, Zuleman dicto, qui oppido S. Iusti imminet. Nunc iuxta Complutum mons est eiusdem nominis, vulgo *Cuesta de Zulema*. Sed non video, cùm oppidum S. Iusti, & mons Zulema sit *Alcala*, id est, Complutum, cum Medina Almeyda, forte *Medina* celina est, conueniat. Suspicor oppidum iuxta complutum fuisse tunc Almeydam nomine: nam Medina Arabicè generale nomen est, vt Latinis oppidum, aut ciuitas. Abdalasius filius Muzæ triennio in præfectura absoluto, quòd multis Principum filiabus stuprum attulisset, odio gentis occisus in templo est, anno 719. Fama tenuit, Egilonis insidijs necatum. Cędis author Aiubus vno tantum mense Rebus præfuit.

718. Muza circum uentus à Tapipho.

Mēsa ingētis magnitudinis.

Abdalasij nex. 719.

Successit Alahor Hispanię prefectus, à Miramamolino Zuleimano, qui defuncto Vlitho fratri successerat, missus. Homo ferus, & barbarus æquè in suos, & in Christianos: ita permittente deo, Hispanię non tam irato, vt proditę patrię scelus in filijs Vuitizę, & Comite Iuliano, non impunitum maneret. Hos omnes barbarus Alahor

Alahor. Iuliani, & filiorū Vuitizæ nex.

Alahor comprehensos, tanquam de preterita clade suspectos, digna proditorum nece peremit. *Nunquam enim diu proditores hominibus placuerunt.* Sic videbatur prod.tę patrię flagitium, & gentis peccata, quibus diuinam iram prouocarant, expiata. Ergo Alahor Cordubę sedem Regni figens Hispanis, & Mauris ęqua crudelitate iura dabat.

PELAGII REGIS RELIQVÆ actiones.

CAPVT II.

PARTA de Mauris tam prodigiosa victoria, Hispaniæ reliquiæ, metu deposito, in spem libertatis erectæ, maiora cogitare cęperunt. Ab speluncis, & montibus in planitiem arma translata, & fama victoriæ multis vndique confluentibus, auctę vires. Consultum de bello. Placuit Legionem ciuitatem tentare. Nec mora, expugnata in potestatem venit. Hispanię scintillas ab cinere assurgentes plurimum excitauit Alfonsus, cui postea Regi Catholico fuit cognomen; qui iunior Egica, & Vuitiza Regibus, ordines duxerat: & Petro Cantabriæ duce Regio sanguine procreatus in spem Regni. Cum valida ergo suorum manu Pelagij Regis incrementis accessit. Qui accepta in matrimonium Ormisinda Pelagij filia Regibus Hispanię fuit origo: quorum perpetua series ad nostra tempora perseuerat. A fœmina tunc, nunc etiam à fœmina Ferdinanandi V. Catholici filia ad exteros Regnum trãslatum. *Certè in Hispania datum infirmiori sexui, vt fortissima quæque confundantur.*

Alfonsus Catholicus.

Hispania Regum Origo, à fœminis.

His ergo viribus aliquot oppida Mauris adempta, Gegio, Asturica, Tineus, & alia Inde Gegionis Reges dicti, & errandi occasio vaius literæ, Legionis; pro

Gegionis Reges.

Q Ge-

Gegionis. Et quoniam ex dissidio gentis Regum incrementa nascuntur, accidit peropportunè Mauricum Imperium intestino bello flagrari, ne iusto exercitu surgentibus Pelagij rebus iretur obuiam.

Maurorum dissidia. Zuleimano defuncto, Homarus, & Izithus, Vlithi filij potentissimo Arabum Regno successerunt, nouo, perniciosoq; inter Mauros exemplo: cùm Regnum dispari Domino stare non patiatur humana cupiditas. Defuncto Homaro eodem anno, solus Izithus regnat. Hic *Zama.* Zamam militari disciplina clarum; sed auaritię morbo clariorem, Rebus Hispanicis pręfecit. ¶ Ab hoc Narbone militare præsidium impositum, & obsessa Tolosa. In ea tamen obsidione, Eudonis Aquitaniæ ducis vir- *Maurorũ cædes in Gallia* tute barbarus cum exercitu cæsus, & soluta obsidio. Qui superfuerant Cordubę Abderrhahmanum ducem tantisper, dum successor veniret, virum fortissimum, & *Adzam.* vsu rerum peritum, constituerunt. Missus illicò Aza, aut *Adzami gesta.* Adzam, qui maiori auaritia miseram gentem afflixit, maioribus vectigalibus imperatis: vt sic debilitata, ad rebellionem spectare non auderet. Intra biennium, & sex menses, quibus pręfuit, Turiasonem ciuitatem vi captam solo æquauit. Hispanię tractum, Cauno monti adiacentem, & adhuc libertatem retinentem, bello domuit. *Maurorum Reg. successio.* ¶ Tandem inuidia suorum, aut auaritia, ferro occubuit, Ambiza, Hodra, Iahca, authore Roderico Tole- *724.* tano, sed tempora incerta sunt, succedentibus. Hoc *Iscamus.* certum, defuncto Izitho in Asia; Iscamum eius fratrem Imperium ea lege suscepisse, vt Abulith Izithi filium successorem adoptaret, anno 724 Regnauit felicissimè *731.* vno de viginti annos, raro inter illam gentem exemplo: *Abderraoman.* sed insignes virtutes, quibus Regnum obtinuerat, meruerunt, ni eas auri cupiditate fędasset. Huius imperio Hispaniam, Odaypha, Himonus, Authuma, Alhaychanus, Mahomad gubernarunt, ad annum 731.

Ab hoc anno, Abderrhahmanus Hispanię preficitur, vir vsu, ingenio, & militari disciplina Hispanos inter, & Arabes nobilissimus. At imperium illius tam

Hif-

Hispanis, quàm suæ genti graue, multorum excitauit inuidiam, odiumque. Munizio in primis viro inter Mauros potẽti nouarũ rerum inde nata occasio. Gallia Gottica Præfectorũ acerbitate vexata, Munizij exemplo rebellauit: in Hispania ad Pyrinæos Ceretani. Eudo Aquitaniæ Dux in fœdus attractus. Qui Munizio contra ius, fasque Christianorum, filiam pulchritudine præstanti matrimonio locauit: sed violatę religionis Deus vindicauit iniurias. Nam cognita rebellione Munizij Abdertahmanus cum magnis copijs profectus, ciuitates illas igne, ferroque vastans, Munizium tam arcta pressit obsidione, vt cũ euadendi non esset spes, ne viuus in potestatem veniret, præcipitio vitam finierit: cuius caput, cum formosissima illius vxore, gratum Miramamolino munus in Africam est missum. Inde belli impetu in Gallias irruit, omnia terrore vndique complens. Ad vrbem Arelatem cum Eudone collatis signis dimicatum: vicit barbarus, ingenti nostrorum cęde. Maiorem deinde Galliarum partem victricibus armis emensus, ad Burdigalé, reparatis viribus, iterum Eudonem fortunã tentantem superauit, magna ex parte cæso exercitu. Perculsæ Francorum, Gallorum, omniumque prouinciarum per Europam gentes ingenti metu. Iamque domitores Asiæ, & Africę, Gotticique Regni euersores, cæterarum gentium ceruicibus imminere timebatur vbique.

Ducis Abdertrahmani victoriæ

Christianorũ ingens trepidatio.

Communi periculo commotus Carolus Martellus ex Regio Francorum sanguine, Regię ea tempestate Magister, ex Germania, Gallia, & Austrasia, omnem florentem iuuentutem in communes hostes armare. Ipse quoque Eudo saluti publicæ condonata simultate, quam fortè cum Martello gerebat, illius copijs, reparato exercitu, magnum victorię incrementum accessit.

Carolus Martellus in Mauros.

Ad Ligerim ergo fluuium castra posita, vt à tergo secura, ne hostium infinita multitudine, quę cam-

pos omnes operuerat, circumuenirentur. Pugnatum ibi totis viribus vtrinque acriter ad inclinatam diem.

Ingẽs de Mauris victoria. Nulla eo ſęculo pugna nobilior, nec orbi Chriſtiano victoria neceſſaria magis, à qua totius Europæ ſalus pependit. Maurorum exercitus immenſus erat. Pluſquam quadringenta armatorum millia, infinitæ Maurorum familię, vt gens vaga, & ſine lare, ad Gallias, vt antea Hiſpanias, habitandas, tanquam ad certas ſedes ſequebantur. Eudo in maiori ardore pugnę, cum ſuorum agmine terga hoſtium facta impreſſione inuadere. Tunc barbari pugnę diuturnitate feſſi loco ceſſere.

Cæſorum numerus. Chriſtiani iam certa victoria confirmati magno, & ardenti impetu irruere, & quà Mauri perſtabant integri, & vrgebant, perrūpere. Ingens deinde, & memorandacędes, & ſtrages. Trecenta ſeptuaginta quinque Maurorum millia cæſa, ex literis Eudonis ad ſummum Pontificem conſtitit: à quo tres ſpongias benedictas acceperat, quæ inter milites minutatim diuiſę illæſos ab hoſtium telis ſeruarunt, quicumque particulam aliquam habuerunt, quod pro miraculo eſt habitum. Pugnatum anno 734. victoria lęta magis quod inter cadauera repertum Abderrhahmani corpus, ea tempeſtate terror orbis Chriſtiani.

Miraculum de ſpongia benedicta à Pontifice ſummo.

734. Abdemelichus. Succeſſit Abdemelichus, qui iuſſus iterum Gallias inuadere, ad Pyrinæi radices, magna parte exercitus amiſſa, Cordubam remigrare compulſus, crudelitate, auaritiaque ſuperiores clades in miſera gente vindicauit. Quo tempore Pelagius primus Hiſpanię vindex, gloria rerum geſtarum illuſtris, & ætate grauis obijt Canicæ, id eſt *Cangas*. Et in fano S. Eulaliæ, quem ipſe ædificauerat, cum vxore Gaudioſa ſepelitur. Anno 737.

Pelagij mors. 737.

FAVILA,

FAVILA, ALFONSVS Catholicus Reges.

CAPVT III.

MORTVO Pelagio Fauila filius successit, homo ignauus, & alieno reipublicę tempore, cùm tanta vndique bella instarent. Venationi, & voluptatibus deditus, in ipsa venatione ab vrso dilaniatus perijt inglorius: cùm nihil dignum paterna virtute gessisset. Stetit illi biennio Regnum magis hostili dissidio, quàm propria virtute. Quo sine prole defuncto, Alfonsus, & Ormisinda ex testamento Patris Pelagij Regnum capessunt.

Erat Alfonsus bello, paceque, propter virtutes Regias, quæ in illo semper, tam in prosperis, quâm in aduersis enituerunt, & Regno dignissimus, & bono publico necessarius: & propter studium Religionis cognomento Catholicus, quod primus Recaredus obtinuit, & inde ad Hispaniæ Reges in Ferdinando V. renouatum, transmissum. Eo tempore, Eudonis defuncti Principatum, quem dotalem in Gallia Gottica acceperat, Carolus Martellus armis occupauit. Eudonis filius Aznar, Hunoldus, & Vayferus necessaria contra Carolum arma corripuerunt. *Alfonsus Catholicus dict⁹.*

Aznar in Hispania Iaccam, & oppida finitima Mauris eripuit, & Aragonij Regni fundamenta iecit. Alij fratres post multa secunda prælia Maurorum ope, quos in auxilium acciuerant, à Martello victi, Principatum Gotticū, & quidquid in Gallia, tam Gottis, quàm Mauris cesserat, amiserunt, Anno, 1. Regis Alfonsi, 739. Quo tempore Africa bellis ciuilibus æstuabat, & Abdemelichus, qui Res Hispaniæ gubernabat, Cordubæ cruciatibus excarnificatus, authore Abderramano perijt, anno 743. Sequitur Abubalcatar, qui Zimaelis con- *Aznar Aragonij Regni fundamenta locat.* 739. *Maurici successus.* 743.

coniuratione occubuit. Deinde Roba Zimaelis filius in coniuratione socius Hispaniam occupauit, deinde Toba, quorum Principatus breuis fuit, de.n de Iuzephus: qui omnes ad annum 753. Principatum tenuerunt.

Alfonsi gesta. 753. Alfonsus, Mauris ciuilibus bellis occupatis, propagandi Regni studio, Lucum, Tudam, Asturicam, expugnauit. In Lusitaniâ Portuscale, Pax Iulia, Viseum, Bracara, Bletissa, Sentica, & alia oppida in potestatem redacta. In Vasconibus Pampilona: in Cantabria pars ea, quæ Alaua dicitur, Mauris erepta. Quibus præclarè gestis, hisque locis religione restitutâ, Hispaniæ miseræ, quasi noua lux tenebras inter, & tempestates bellorum respirare dedit. *Mors.* 757. Obijt tandem anno 757. Canicę magis veris noui Regni lacrymis, quam apparatu Regio sepultus, cum vxore Ormisinda, ex qua quatuor liberos Froilam, Bimaranum, Aurelium, & Vsendam susceperat. Et â famula Mauregatum. In Regio funere celestes cantus auditos à sacra pagina; *Ecce quomodò moritur iustus*, proditur.

FROILA, AVRELIVS, SILO, Reges.

CAPVT IV.

Mortvo Alfonso Froila natu maior regnat vndecim annos, & menses treis: nulla re memorabilis, quàm seueritate morum ad crudelitatem inclinante. Fertur Ouetum fundasse, decorasseque Episcopali sede, & inde Reges Oueti nominati. *Froila cler corũ matrimonia vetuit.* Nefaria Sacerdotũ coniugia à pessimo Vuitiza institutâ, lata lege cassauit. Inde à Sacerdotibus iniustum in Regem odium, iustam seueritatem, crudelitatem interpretantibus. *Adeo graue est inueteratam consuetudinem mutare!* Iuzephum Regni fines vastantem in-

ingenti clade superauit. Cæsa sunt quinquaginta quatuor Maurorum millia, victoria opportuna, qua nulla eo tempore maior. *Mauros vincit.*

Mauri Cordubæ nouum meditabantur Regnum, cum à supremo Miramamolino magna Imperij pars desciuisset. Cum enim se Mauri bellis ciuilibus attriuissent inter Mahometi successores, Cordubę anno 759. Abderrhaman Abenhumeia cognomento *Adabil* sublato Iuzepho, tãquam legitimus falsi Prophetę successor, Hispanię Regnum arripuit. Cui omnes in Hispania Mauri sacramentum dixerunt, præter vnam Valentiam, quæ veteri Miramamolinorum fidei stare malebat; sed à nouo Rege prolixa obsidione fatigata, & expugnata tempori cessit. Christiani fugientes inde D. Vincentij Martyris ossa in Lusitaniam asportare, cum illisque ea se parte abdiderunt, quo Sacrum promontorium eminet occeano. Eos Haliboazes venationi intentus repertos occidit. Pueros captiuos abduxit: quorum indicio reperta ossa promontorio nomen dederunt. Rex Froila barbarum victorijs insolentem, Callecosque belló tentantem, Pacem Iuliam, (ea est hodie Beia) obsidentem, in Regni sui fines multis amissis compulit. Motus Callecorum, ob vxores detractas Sacerdotibus (vt Mariana suspicatur) compressit. Vascones rebellantes ad officium attracti. Meninam, alijs Momeranam, Aznaris sororem sibi matrimonio copulauit. Ex ea Alfonsum, cui cognomen Castus, & Ximenam Bernardo Carpensi filio ex stupro celebrem suscepit. Quæ omnia ad annum 761. contigerunt. Potuisset Froila inter bonos Principes numerari, ni præterita præclarè gesta fratricidio fœdauisset. Illius seueritas effecit, vt ab se studia populorum alienata, ad fratrem Bimaranum, morum suauitate, & cęteris tam animi, quàm corporis dotibus prestantem, respectarent. Ergo Rex suspicatus insidias, fratris nece capitis periculum vitare cupiens, citiùs incurrit. Creuit enim à fratricidio verũ odium, & suorum, aut Aurelij alterius fratris,

Cordubæ Regnum Mauricũ fundatũ. 759.

S. Vincētij ossa Christiani in Lusitaniam asportãt. Promontoriũ S. Vincētij.

Froilæ matrim.

761.

Fratricidium.

Nex. tris,(vt creditur) insidijs appetitus occubuit. Sic fratricidium fratricidio pensatum. Oueti Regis, Reginæque Meainæ sepulturæ ossa mandata. ¶ Floruit hoc tempore Petrus Toletanus Præsul Vrbani successor, cui Cixila successit: ad quem Adriani Pontificis extant literę Hispanos increpãtes, diebus Sabbathis carnibus vescentes: quam consuetudinem, intestinorum, & extremarum partium animalium, præcipuus mensarum honos mitigauit. *Dieb⁹ sabbathis intestina concessa.* Aurelius anno 768. Regnum à fratricidio suscepit, suffragio gentis, Alfonso filio propter ętatem prætermisso. *Aurelius Rex 768.* Tenuit Regnum sexennium, semestreque, nulla gloria. Bellum seruile infami tributo compressisse fertur. Centum Virginum tributo Mauris pacto, turpem Christiano nomini notam inussit. *Tributũ centum Virginũ.* Regem ad turpe fœdus Abderrahmani potentia compulit. Adosindam sororem Siloni viro Principi locauit, spe successionis, cùm ipse prole careret. Mortuo Aurelio Silo cum Adosinda regnat annos nouem, & vnum mensem. *Silo Rex ignauus. 789.* Imparem se oneri Regni sentiens Adosindæ suasu, in Alfonsum Froilæ filium, quem Regni consortem dixerat, omnem curam Regni reiecit. Ea fuit temporum calamitas, vt cùm maximè perturbatæ reipublicæ opus esset viro forti, homines ignaui ad gubernacula sederẽt.

ALFONSVS, MAVREGATVS, Veremundus.

CAPVT V.

ALFONSO proceres, post Silonis mortem Regnum confirmare, restincto parentis odio: & certe Regiæ virtutes, quibus omnium animos conciliarat, Regnum meruerunt. Indoluit patruus Mauregatus, & questus iniurias; quoniam in Christianis parum præsidij habebat ad Regnum externa se

na se vi Maurorum armare, quorum grandem exercitum, pactis quotannis centum Christianis Virginibus contra Alfonsum comparauit. Qui non ausus imparatus innumerabili multitudini obuiam ire, tempori, ęmuloque cedens in Cantabriam se recepit. ¶ Mauregatus ergo Regno potitus, quinquennium, & semestre tenuit. Rex, aut tyrannus nulla re nobilis, quam turpitudine, libidine, & ignauia. Et quid boni habere potuit seruilis conditio, quam vitijs turpitudine, Mauris infami tributo seruire? Praua sepultus est anno 788. Quo etiam Abderrahmanus Rex Cordubæ primus decessit, anno vigesimo nono. Nullus inter Mauros feliciùs vnquam regnauit. Insignem illam Mesquitam ędificauit, quæ hodie Cathedralis Ecclesia est, & inter Hispaniæ ędificia pro miraculo. Successit Isem, pulso maiori fratre Zulemano, quem viuens Pater Toleto præfecerat, & successorem designauerat. Quem cum altero fratre Abdalla, qui res nouas moliebatur, datis sexaginta millibus aureorum, quo pretio illi Zulemanus iure Regni cesserat, in Africam pepulit. Regnauit annos septem & menses totidem.

Mauregatus Alfonsũ expellit. Tributũ Virginũ iterum. Mauregati vitia. 788. *Abderrahmani mors. Isem.*

Successit Mauregato Veremundus, cognomento Diaconus, quòd adolescens illo fuerat ordine initiatus. Incertum cuius fuerit filius. Alijs Froila, alijs Alfonso Catholico natum placet. Regnauit tres annos, & sex menses. Ramirum, & Garsiam ex Vsenda, (Alijs Numilone) illicito matrimonio sibi copulata sustulit, à qua sanior vitę reliquum abstinuit: vir ingenio moderato, & qui temerè periculosissimis temporibus, sine vsu, aut experientia rerum, ad rempublicam accesserit. Laude tamen dignus, quòd spoliatum Alfonsum ad Regni consortium reuocauit, bono publico, anno 791. Cuius virtute res Hispaniæ, pręteritorum Regum ignauia iam inclinatæ, steterunt, & quinquaginta duobus annis, quibus regnauit, suis carus, & perpetua belli, pacisque prosperitate, hostibus formidabilis, respirarunt, imperij diuturnitate confirmatę.

Veremũdus Rex. Alfonsus iterum Rex. 791. *Regni diuturnitas. Gesta Alfonsi.*

Tertio regni anno, cum Regi Maurorũ Isemo tributũ centum Virginum denegasset, irritati Mauri innumerabili exercitu in Regnum ferociter irruperunt. Obuiam ab Alfonso itum, & acriter vtrinque pugnatum victoria memorabilis penes Christianos stetit, cæsis Maurorum septuaginta millibus. Isemus cladem illatam vindicare non potuit nouo bello implicitus. Reges Vasconum, & Carolus Magnus, illa Hispaniæ parte, multa Mauris oppida eripuerant, compulerantque Isemum, omnem belli apparatum in illos conuertere. Missus Abdemelichus magni nominis dux, qui Gerundã, Narbonemque expugnauit. Indeque terram ad perficiendũ Cordubense templum, quod pater inchoauerat, humeris Christianorum asportare fecit. *O quam insolentiores reddit barbaros felicitas!* Moritur Isemus anno 795. Alhaca filio successore, qui Regnum viginti septem annos tenuit, prudentia, & æquitate apud illam gentẽ celebris.

Alfonsi victoria ingens.

Isemi mors, & Alhacæ Regnum 795.

Bello tamen cum Mauris feliciter gesto, intestino malo ceptum laborare. *Adeò sunt res humanæ vicissitudini obnoxiæ.* Elipandus Toletanus presul exorsus de religione prauas opiniones in Hispania serere, rempublicam nouo genere belli perturbare. Accessit Felix Episcopus Vrgelitanus. *Semper enim malis malorũ annexa catena est.* Hæresis Ephsino Cõuentu extincta & ab his nuper excitata fuit, Filium Dei, qua homo, filiũ adoptiuum dici debere. Multis tamen locis, Conciliis celebratis, Caroli Magni annitente, dãnata hæresis est. Quid tamen actum de Elipando, non ita certum, ac Felicem in errore decessisse. Probabilius Elipandum resipuisse, cùm fuisse ab Episcopatu depositum ob hæresin non constiterit. ¶ Ergo ad Regem: Castum illi nomen fuit, quòd purioris vitæ studio, ab vxoris Bertę amplexibus abstinuerit. Quapropter non mirandum tam seuerè in Comitem Sanctium, & sororem Ximenam animaduertisse, propter occultas nuptias; illum scilicet oculis priuasse, perpetuoque carceri mancipasse, illam in sacrarum Virginum cœtum compinxisse.

Elipandi & Felicis hæresis.

Damnati ambo.

Con-

Constat enim viros castos seueriores (ne dicam crudeles) fuisse. Semper enim meminisse debemus intra nos ipsos cum carnis illecebris natos perpetuæ militiæ dedisse nomen: quibus qui victus aliquãdo non succubuit, cauere debet, se in maiori elationis animi periculo versari, ne cum stultis Virginibus ab infirmiori hoste vincatur.

Bernardum Carpensem ex hoc concubitu natum, rerum gestarum gloria æuo illo clarissimum à nostris Scriptoribus celebratum produnt annales Hispaniæ. Addunt miraculo pium Regis animum ad religionem accensum. Nam cùm Oueti templum aliquot præclaris reliquijs sanctorum, & alijs pretiosis muneribus exornare statuisset, duos angelos tanquam aurifices Crucem auream insertis pretiosissimis gemmis obtulisse, qua accepta nusquam comparuisse. Faciunt humana monumenta fidem, cùm talia Romanæ prodant historię, quæ cum hoc miraculo componantur. Eo tempore Zulema, & Abdalla, cùm hucusque se in Africa tenuissent, ad spem Regni erecti, contra Alhacam in Hispaniam transmiserunt. Affirmant quidam ab his copias sollicitatas à Gallia, sed commisso prœlio cecidisse Zulemanum: alterum fratrem se patruelis voluntati permisisse, à quo benignè acceptum sustentandæ vitæ copiosum impetrasse vectigal.

Bernard. Carpẽsis.

Miraculum de Cruce.

Zulemanus contra Albacam.

Alfonso non defuerunt intestinę discordiæ, ob quas fuga ad Abeliense monasterium elapsus, ope Theudi potentissimi viri restitutus est in Regnum. Nulla tamen re Alfonsi Regnum fuit felicius, quàm Apostoli Iacobi corporis inuentione. Quæ sic breuiter exponitur.

Theodemiro Episcopo Iriensi renuntiatur, in vicino nemore noctu splendidissimum lumen emicare. Erat Episcopus eximiæ sanctitatis vir, qui veritus oculorum esse ludibria, ad locum ipse perrexit. Totum nemus nocturnis coruscare luminibus animaduertit. Ergo virgultis circum euulsis, effossa terra, inuentum pretiosum thesaurum tumulo marmoreo, cum instrumentis

Inuentio Corporis S. Iacobi miraculosa.

ad fidem. Adfuisse testes angelos, omni exceptione maiores, attestantur annales Hispaniæ, & alia miracula. Episcopus properè se ad Regem conferre, qui accurrens omnia studio religionis amplificãdæ peragere: publica instrumenta reperti corporis Apostoli conficere. Et in primis opere subitario, rudique materie, vt Regij ærarij tenuitas, & tempora patiebantur, constructum templum, cui attributa prædia, reditusque ministris, & sacrificis instituti, & Episcopalis dignitas, Iriensi cò translata. Pro miraculo habitum, temporis momento innumerabilem ex omni Europa hominum multitudinem conuenisse, ad Corpus Apostoli, ac si omnibus eodem tempore fuisset reuelatum. Inde consuetudo manauit in concipiendis votis Iacobi corporis visitandi, quæ in Ecclesiastica iura concessit.

CAROLVS MAGNVS IN Hispania.

CAPVT VI.

INTER vtriusque gentis Hispanicæ, Gallicęque scriptores constans opinio est, & fama vulgauit, & vestigia monstrantur, Carolum Magnum in Hispaniam semel, aut ter venisse. Primò Ibnabale Mauri precibus, spe Mauris eripiendę Hispanię, eaque expeditione Pãpilonem expugnasse, plurimosque Mauros fecisse vectigales, cum ipsa ciuitate Cęsaraugusta: sed in Pyrinæi transitu thesauris, & omni prędà nudatũ in Germaniam redijsse. Postea Gerundam, & Barcinonem in Caroli potestatem venisse, & Comitum vtriusque populi, gentis Catalaunicę Principum, originem inde emanasse: cùm populi Catalaunici à Narbonensi Gallia in Hispaniam ad sedes nouas commigrassent. Thomichus illius gentis nobilis scriptor est author,

Caroli Magni gesta in Hispa.

Ca-

Carolũ denuo venisse, & cum Mauris, erepta Narbone, in valle pugnasse, cui à pugna nomẽ: & corpus Apostoli Iacobi inuisisse. Factum deinde Imperatorem, ab Alfonso, cùm ipse prole careret, anno 801. euocatum cum magnis copijs Hispaniã repetijsse. A Regni proceribus, Bernardo duce, Regis Alfonsi conatibus itum obuiam, & Pyrinęi faucibus insessis, amisso exercitu, Imperatorem vix fuga elapsum in Germanian paulo post fatis concessisse. Resistunt commentaria Eginhardi Caroli à secretis, & certâ probat Chronologiâ Magnus Baronius multa hic fabulosa contineri à Tudensi, & Roderico Toletano ducto errore, à fabuloso Turpino decantato. Quem subodoratus Morales paululùm substitit, hæsitque. Certe amicitia, quæ inter Carolum, & Alfonsum intercessit, vetat ea consensu Alfonsi fuisse facta. Clades præterea illa contigit anno 778. vt rectè supputatur ex Francorum annalibus, & ab eodem Baronio notatur anno 812. Et ibi Spondanus. 801. *Maurici motus.*

Multa prætereà hic de Rolando, deque alijs Francorum fortissimis viris nobiles poetę fabulantur: sed poesis est. Certam de Francis victoriam ad Ruscidam vallem, illa pugna nobilem, fecit Regis Alfonsi pęnitentia (vt fertur) ne grauius Hispanis à Frãcis, quàm à Mauris iugum imposuisse diceretur, vt Bernadus, & proceres querebantur.

Anno 802. Alhaca Regi Arabum Toletani ciues molesti, prudentia tamen, & simulatione repressi, in præfectos culpa reiecta. Admissum præsidium cum Ambrocio duce æquè sagaci, versutoque, qui in conuiuio quinque millibus trucidatis, rebellionem vindicauit. Anno deinde 810. exercitus Maurorum, qui bipartitò in Callecos irruerat, magnumque Christianis terrorem iniecerat, virtute nostrorum deletus est. Non multo post, Mahumetes vir inter eam gentem nobilis (causa incerta est) cum valida se manu Regi Alfonso credidit. Locus illi Regia liberalitate in Callecia ad habitandũ datus: sed octauo anno illi rediens ingeniũ premе-

802.

810. *Nostrorũ victoria.*

meditatũ scelus prodidit. *Nec facilè credendum transfugis, & peregrinæ religionis hominibus, quorũ perfidiæ, & insidijs sæpissimè Regna patuerunt.* Mahumetes ergo peccatum apud gentem aliquo præclaro facinore expiare tentans, correptis armis S. Christinæ oppidum occupare, & apertè rebellare. Præoccupauit Alfonsus Rex magna celeritate consilia Mauri, & grauissima inita pugna, cæsis quinquaginta hostium millibus, intestinam flammã, antequam Regnum corriperet, extinxit. Anno 815. multi Hispani cum suis Comitibus, dira Maurorum persequutione vexati in Gallias ad Ludouicum Imperatorem confugere. (*Et profectò Hispanus ego fatebor, multa à Francorum Regibus, Hispaniam beneficia tulisse.*) *At ingentia quoque mala nobis intulit Gallia. Fatebor. Sed pro illa Maro.*

Insignis Alfonsi victoria. Hispani Francorũ auxilio sæper adiuti. 815.

Non ignara malis miseris succurrere disco.

Ergo ad Imperatorem, à quo benignè acceptos æquo iure cum Francis in Septimania, agros colere, immunes esse; ô pietas! iussit. Cùm verò paulopòst accepisset à suæ gentis potentioribus miseros Hispanos exules malè haberi, & in seruitutem abduci, (nonne miraris homines precario viuentes effrænes, & superbos ?) nouo diplomate tantam immanitatem repressit.

Interea Cordubæ Rex Alhaca decessit anno 821. successore filio Abderrahmano natus annos quadraginta vnum, regnauitque annos triginta vnum. Quo tempore Bernadus Carpensis, quòd neque rebus præclarè gestis, neque Reginæ precibus Regis animum permouere potuisset, vt patrem vinculis exolueret, canicie, & situ horridum, à Rege desciuit. *Et certe nimia Regum seueritate rebus publicis inuecta multa sunt mala, quibus curandis parum sequuta lenitas profuit. Errant Principes, qui seueritate, quàm clementia maiestatem tueri malunt. Grauius ab illis peccatur, cùm ob leuius crimen, seuerè in eos animaduertunt, quibus respublica multum se debere fatetur. Sed viris magnis comes inui-*

Alhacæ mors. 821. Abderrahman Rex. Bernardi defectio, & ira.

inuidia est. Sic Bernardus in oppidum Saldaniam hereditatis paternę se recepit. Indeque ad Alfonsi obitum, Regni finibus, prædis, & rapinis molestus perseuerauit. Obijt Alfonsus ætate decrepita anno 844. vitæ octuagesimo quinto, Regni quinquagesimo secundo, & semestre. Designato Regni successore in procerum conuentu Ramiro Veremundi Regis filio. Nemini Hispaniæ Regum vnquam tam diuturnum stetit Regnum, nec feliciùs regnauit temporibus periculosissimis. *Alfonsi obitus.* 844.

RAMIRVS REX.

CAPVT VII.

REGNI diuturnitatem non tempore, sed rerum gestarum gloria in Ramiro metimur: cuius Regnum, non tam diuturnum tempore, quàm perpetua victoriarum serie immortale putamus. *Ramiri Regnum felix.* Primò ergo Comitem Nepotianum, qui noui Regis absentia, cùm opibus, clientelis, & authoritate plurimum valeret, correptisque armis apud Astures Regnum inuaserat, pugna vicit desertum à suis, *vt par est, perfidiam perfidià pensari*: Capto effossi oculi, monasterium carcer, & vitę finis fuit. *Ramiri gesta.* *Magicas cantiones ignis pœna sustulit. Latronibus erutis oculis ampliùs furandi facultatem ademit, notando, & imitando supplicio.* *Pœna in latrones notanda.* Excepit intestinos motus grauissimum cum Mauris bellum. Abderrahmanus, quòd Barcinonem Christianis eripuerat, quòd patruum Abdallam, Valentię rebellantem oppresserat, quòd copijs, & potentia superiores Reges non solùm æquasse, sed superasse videretur: missa legatione superba, tributum olim cum Mauregato pactum, centum Virginum reposcere. Aliter bellum Ramiro iubet legatos indicere. Negauit Rex

pri-

primum (vt par erat) & secundum admisit. Et vt erat excelso animo, indicto totius Regni delectu, à quo nulla ętas idonea bello exempta, præter cultores agrorum, ne simul cum fame, hostibusque pugnaret, prior in hostium fines irrupit, & Mauros, qui innumerabilem exercitum conflauerant, prouocauit, ad pugnamque elicuit. Magna fuit vtriusque gentis expectatio. Pugnatum ad Aluendam oppidum ea tempestate munitum. Pugna fuit memorabilis, diuturnaque, quam nox diremit victoria dubia. Christiani, quòd non vicissent, quasi victi Clauisium proximum collem occupant. Ibique se muniunt, animis fracti. Qua nocte Regem curis anxium, defessumque grauis oppressit somnus. Dormienti S Iacobus Apostolus apparuit formâ humanâ augustiori. Macte animo esse iubet, se Hispaniæ patrocinium diuinitùs suscepisse. Se que duce, die sequenti magnam de Mauris victoriam reportaturum promittit. Rex hac visione perterritus pariter, & summa experrectus alacritate, in conuentu somniũ exponit, & omnes corpora curare iubet, animoque esse præsenti: cibo, somnio, exhortatione ad certam victoriam confirmat. Primo mane aciem instruit. Obstupuere Mauri, mirati ab illis prouocari, quos tanquam victos, & ad lanienam obsessos à superiori pugna habebant. Initâ pugnâ, Apostolus somnium, vt promiserat, confirmauit. Nam repente Hispano exercitui, albo insidens equo, vexillo quoque albo, rubra distincto cruce, conspicuum se contra Mauros ducem prębuit. Tanto ergo duce Hispani certa iam victoria promissa, tanto irruerunt ardore pugnandi, vt qui ante tanquam agni ad carnificinam inclusi videbantur, tanquam leones, animos faciente Deo, in agmina Maurorum tam magno impetu insilierint, vt statim infinitam illam perruperint multitudinem. Maurorum agmina dissipantur qui per suorum stragem sese pręcipites in fugam effundunt. Passim fœda strages, & cadentiũ gemitus. Ad sexaginta Maurorum millia illa pugna cęsa memorantur. Castra direpta eodem impetu, di-

Ingens pugna.

S. Iacob. dormienti Regi in somnis apparet.

Apparet S. Iacob. & pugnæ ducem se præbet. Ingens de Mauris victoria.

ues

nes inuenta præda, partaque gloria immortalis. Inde in tanti beneficij memoriam rea voti Hispania Iacobo Apostolo, pendendi Compostellano templo ex singulis iugeris modium vnum, & in diuidendis hostium manubijs, suam æquam partem Apostolus tanquam vnus è militibus sortiretur. Sed hęc omnia in desuetudinem abierunt. Tributum aliquot Hispanię oppida hucusque pendunt. Inde etiam emanauit Hispanis consuetudo inclamandi S. Iacobi nomen ineuntibus pugnam. Sic nostris auctas vires, fictos animos, victorias ad miraculum partas nostri produnt annales. Ætate nostra disputatum Diuum Iacobum diuinitus Hispaniæ patrocinium suscepisse testimonio prædictę reuelationis factæ Ramiro: vt merito non ab hominibus introductum, sed à Deo datum tantum munus sibi glorietur Hispania. Hæc me coram acerrimè asserta contra eos, qui alium Regni patronum posse Hispanos inducere, defendebant.

Votum S. Iacobi. Consuetudo Hispanorum inclamandi S. Iacobi in pugna vnde. S. Iacobi patrocinium Hispaniæ de iure diuino.

Pugnatum anno 846. Effodiuntur adhuc armorum in Clausio reliquiæ, tantæ victoriæ argumentum. Secundùm hanc victoriam Alvelda, Calagurris, Mauris ereptæ. Tunc duo Reges Ramirus, & Abderrahmanus ad externa bella distracti. Nortmani gens barbara, feraque studio siue nocendi, siue quęrendi nouas sedes, Belgas primùm, Galliam deinde à septentrione ingenti classe inuaserunt. Galli prima pugna victi sedes ex fœdere Nortmanis eam Galliæ partem concessere, quam suo nomine Nortmandiam dixerunt. Inde cōparata magna classe Hispanię litora infestare, prædas agere, & arma prouocare Ramiri, à quo nauali pugna superati, multis amissis, & disiecta classe, mox reparatis viribus Vlisiponem tentarunt, Hispali terrorem iniecerunt, cuius fines Assidoniam vsque vastarunt. Eo Maurorum arma conuersa, quorum ingens numerus desideratus nostris quietem dedit.

846. Nortmani vexāt Hispan.

Nortmani quoniam Abderrahmani cum magnis copijs aduentus nuntiabatur, in patriam ingenti præda

Alderedus, & Piniolus rebelles. onusti sublatis anchoris soluerunt. Regem deinde Ramirum intestinæ discordiæ turbant. Alderedus Comes, Piniolusque (causa non proditur) viri opibus, clientelisque potentes, contra Regem arma corripiunt. Regi fortunato belli facilis fuit exitus. Eruti Alderedo sunt oculi, Piniolus cum filijs interemptus. Tandem Ramirus optimus Princeps, septennio in Regno absoluto, fatis concessit, Oueti, anno 851. *Mors Ramiri. 851.* Quo tempore in Christianos ab Abderrahmano Cordubæ sæuitum tanta crudelitate, vt plurimos à fidei constantia persequutio deiecerit; multos verò glorioso testimonio inuexerit cęlo triumphantes. *Abderrahmani persequutio in Christianos.* Causa quęsita Mauris contra vetus fœdus, quo cautum, vt Christiani suis legibus viuerent, vectigalia, tributaque solita, aut imperata grauiora soluerent. Datum crimini, quòd seruitutis depellendæ secreta consilia inijssent, quòd publicè in circulis Mahometum superstitiosæ religionis parentem maledictis incessissent. Mihi certa causa videtur Christianorum concursus Cordubam confluentium, vt mos est vndique ad Regiam conuenire. Adde vtriusque sexus religiosæ disciplinæ magnam frequentiam, nobilissimam ciuitatis partem occupasse. *Felix Cõplutensis martyr.* Veritus ergo Rex barbarus tantam Christianorum multitudinem, eam statuit sæua persequutione minuere. Inter illos, quos ista crudelitas in cælum transmisit, Felix Complutensis noster à successore filio combustus, purissimum spiritum reddidit: cuius cineres à Christianis collecti, nostra ætate Compluto restituti, ad sanctos Martyres Iustum, & Pastorem asseruati, pia veneratione coluntur. Passus est etiam Eulogius, qui hanc Cordubæ persequutionem, & vidit, & accuratè descripsit eo libro, quem Memoriale sanctorum inscripsit, contra pseudosynodum quorumdam Episcoporum qui barbaro Regi adhæserant: in qua decretum, non esse dicendos Martyres, neque in numero sanctorum habendos eos, qui sponte se Martyrio non de fide rogati obtulissent. Videas ergo quales Ecclesiarum Rectores inter Mauros erant. Non tamen inultam

inultam Martyrum cędem passa diu est ira diuina. Abderrehmanum ergo quorumdam Martyrum corpora pendantia deponere, comburereque iubentem repente vltio cœlestis oppressit, ineunte Regni anno trigesimo secundo. Reliquit quadraginta quatuor filios, filias ferè totidem. Successit Mahomad filius, qui regnauit annos triginta quinque, Patre sæuior, quòd initio Regni pios omnes abegit ab aula, quorum fidei superiores Reges multum detuleraat. Hic prædictum Felicem Complutensem occidit.

mors repentina. Abderrahmani Mahomed Rex.

ORDONIVS REX.

CAPVT VIII.

RAMIRO Regi iustis persolutis, Ordonius filius paternas virtutes imitatus Regnum suscepit Ingenio fuit miti, suauissimis moribus, & modestia singulari. Iuris, & ęqui amantissimus. Quibus virtutibus tam procerum, quàm populi studia vehementer sibi deuinxerat. At honestissimis moribus inusta nota bono Principe indigna. Sycophantæ, hominesque improbi, qui adulando, & criminãdo principum gratiam consueuerunt aucupari, Athaulphum Episcopum virum sanctissimum maiestatis apud Regem accusarunt. Accersijt Episcopum Rex, qui magis innocentia, quam falsi criminis defensione munitus, sacra priùs se communione muniuit Peracto sacrificio, sic infulatus, & Pontificijs vestimentis venerandus ad causam dicendam accessit. Quod timorem, reuerentiamque Regi debuit incutere, animo exacerbato, (quòd non tam cito, vt imperatum fuerat, adfuisset,) iram accendit, & (ô ira præceps, impiaque! fuit tamen præceps) indomito tauro, stimulis, & canibus irritato, sanctum Episcopum objicere præcipit. Vir sanctus intrepidè tauro irruenti, signo se crucis muniens, quietus

Athaulphus Episcopus accusatus, & tauro obiectus. Innocentia probata miraculo.

occurrit. Miraculo probata innocentia est. Cornua taurus Episcopi manibus reliquit, & abijt inermis. *Sic bruta sæpius innocentiam probarunt.* Rex proceresque ad genua viri sancti veniam apprecari, quam ille facilis dedit: sed Episcopali dignitate abijt, & studio vitæ quietę, arctiorisque in Astures secessit. Ibique vitam innocentia dignam peregit. Interea Muza gottorum sanguine Maurus, tam Regis Cordubæ, quàm Ordonij arma prouocare rebellione memoranda. Prin ò à Cordubensi Rege palam deficiens, incredibili celeritate, Toletum, Oscam, Cæsaraugustam, & multa alia oppida occupauit. Inde in Galliam arma transfert. Duo Francorum duces magna strage superat, tantumque terrorem gentibus vtriusque nationis iniecit, vt Carolus Caluus Francorum Rex muneribus, & legationibus Maurum leniendum iudicauerit. Reuersus in Hispaniam contra Ordonium arma conuertit. Armis authoritas quæsita, se tertium Hispanię Regem dixit. Pugna tandem, quę diu dubia fuit, victus, decem millibus amissis, vix fuga euadens ex vulneribus paulo post moritur. Mahomad comparatis copijs in communem hostem, contra Toletum, cui Lupus à Patre Muza præerat, vsus, biennio ciuitatem, incendijs, populationibusque vexare. Tandem attritis hostium viribus Toletum recuperauit ad annum 857. quamuis Ordonij auxiliis, icto fædere, sępius in hosticum irrupisset Lupus. Eodem tempore Nortmani sexaginta nauium classe Hispanię litoribus assueti, multis illatis cladibus, infinitas in patriam prædas auexerunt. Mauri in Ordonij Regnum irruptione facta, repulsi non mediocri clade, nulla memoranda re tempus hoc triuere.

Muza rebellio.

Victoria

Victus, & mortuus.

857.

Maurica dissidia.

Hoc tempore Maurorum Regnum in varias partes diduci, & distrahi. Multi suo, quàm alieno imperio ciuitates sibi commissas gubernare. ¶ Agentis ergo perfidia occasio bene gerendę rei Ordonio data Reithum, qui Caurum, Mozerum, qui Salmanticã obtinebat, bello superauit. Vrbes captæ, milites ad vnum interfecti, im-

imbellis turba sub corona venijt. Sic Maurorum Regnum in varias lacinias discissum, Christianæ reipub. commodo in interitum quasi ruebat, cùm Rex interijt Ordonius, morte intempestiua, ex neruorum dolore. Felicitati victoriarũ vna infelicitas obfuit, amissi exercitus ad Toletum; sed sancti Episcopi temerè damnati flagitium hac expiatum clade, vulgus interpretabatur. Ex vxore Munia Alfonsum, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam suscepit. Sepultus est Oueti, anno 862.

Ordonij obitus.
Filij.
862.

ALFONSVS MAGNVS REX.

CAPVT IX.

Crevit Alfonsus hereditarium Regnum, & illi rerum gestarum gloria Magni nomen accreuit. Regnauit (Sampiro Authore) annos quadraginta octo. Principia turbida fuerunt, à Froila Veremundi filio Callecię Comite, Regis ętate contempta. Sed cum occupati Regni contra ius, fasque, res publicas, & priuatas in suam tantum vtilitatem, domumque auertisset, Oueti suorum insidijs occubuit. Sumpto ergo de sontibus supplicio, Alfonsus pacificè regnat. Sed publica pax turbata, Zenone Cantabrię Comite rebellante, ex Eudone Aquitaniæ duce sanguine antiquo prognato; Zenonis propinquus Eilo Alauæ præerat. Vtriusque arma iuncta, studio rerum nouarum. Victus tamen vterque Oueti carcerem vitę finem habuit. Suscepit Zenon duas filias, Todam Eneci Aristæ Vasconum Regis, Enecam Zurię Cantabriæ Principis vxores. Inde Vasconum Regibus origo trahitur.

Vasconii Regum Origo.

Alaui Comiti Vigilæ, Castella Comiti Didaco Porcellos tributa. Maior belli moles anno sequenti dissipata. Immundarus, & Alchama Mauri duces Legionem arcta obsidione prementes, cum ingenti clade in Regnum compulsi. Cum Vasconibus, Francisque fœdus ictum, & vt esset stabile, Francorum sanguine

Alfonsi victoria.

Regio

Regio vxor sibi copulata, nomine Amelina, postea Ximena dicta. Nati ex ea Garsias, Ordonius, Froila, Gundisalius Archidiaconus Ouetensis. Interea Toletani Cordubensis Regis crudelitate commoti, Præfecto duce rebellante, corripiunt arma. Sed Regis celeritate ad officium reuocati. Lupum, fratresque fuga elapsos Alfonsus Rex acceptos benignè fecit amicos. Qui Francorum, Vasconumque auxilijs auctus, in Mauricam ditionem irruit. Sed exercitus nulla re memorabili, præter abactas prędas, dimissus. Anno sequenti 874 Toletani vt se aliquo pręclaro facinore Regi Cordubensi probarent, armis ad amnem Durium penetrare. Sed subito Regis aduentu, iuxta Pulueratiam ad duodecim millia trucidata. Sequebatur Almundarus Regis filius. Ibenguninus præcipuus copiarum dux, cum exercitus robore, qui cognita suorum clade, & alterius exercitus, qui diuersa grassabatur, internecione, fortunam experiri noluerunt.

Toletana rebellio.

874. *Alfonsi victoria.*

Petitæ à Barbaro induciæ, & triennales concessæ. Eo ipso tempore Rex magnis copijs in hostium irrupit, & vltra Tagum Mauris iniecto terrore, vaga populatione, resistente nemine, latè prouinciam vastauit. In his expeditionibus Bernardi virtus enituit: cuius virtute in ætate Regis tenera Regnum stetit. Sed cum pro Patre Regem iterum interpellasset, iterum, inuidia ne procerum, an Regis consilio, ne superiorum Regum sententiam mutasse diceretur, passus repulsam, cum valida suorum manu, iratus Regi discessit è curia, quibuscum, duodecimo ab Vrbe Salmantica lapide, Carpium arcem ædificauit, à qua illi nomen. Inde vocatis in auxilium Mauris crebris incursionibus Regem à sententia deterruit; sed iam obierat Pater in vinculis: mortuumque, quem viuum non potuit, recepit.

Bernardi virtutes, & repulsa.

Excepit hæc intestina, domesticaque discordia. Froila Regis frater (causa non proditur) in caput Regis coniurare. Sed capto effossi oculi, perpetuusque carcer fuit pœna. Eadem mulctati Nunius, Veremundus, Odoarius,

Alfonsi fratres rebellãt.

quòd

quòd cum fratre sēsissent. Pœna videtur crudelis, at quibusdam necessaria. Mens nostra semper ad clementiam prona est. Veremundus carcere elapsus cum factiosis Asturicam occupare, & cum Rege signa conferre ausus: victus, ad Mauros defecit. Nata inde Regi honesta satis occasio Mauros ardentiùs infestandi; præcipuè Toleranos, quos cladibus fractos, ad redimendas triennales inducias magno auri pondere compulit. Auxit Ouetensem Ecclesiam Archiepiscopatus honore. Templum Compostellanum ex lapide quadrato iam perfectum, coacto Episcoporum Concilio sacrauit.

Veremũdus ad Mauros defecit.

Opera.

Anno 882. Hispania terrę motu concussa, nulla omissa piacula ad auerruncandam caelestem iram. Mahomad sacra sua superstitiosa operāti fulmen allapsum non paucos adusit. Proximo anno filius Lupi Abdalla, rupto fœdere, Regnum Alfonsi inuadere: sed à Pancoruo clade non mediocri repulsus in Regnum est. Paulò tamē post Cæsaraugustam expugnauit. Quo tempore Vigila comes, & Didacus Porcelos contra communem hostem arma sociare. Almundarus Regis Cordubensis filius, & Abuhalitus missi, cùm Cæsaraugustam non potuissent recuperare, conuerso in Christianos impetu, fines Regni vastare: duorum tamen Comitum armis cum ignominia repulsi. Moritur interea Mahomad, anno 886. Reliquit filios triginta quatuor, & filias viginti.

882.

Terræ motus, & prodigia.

Mahomad mor.

886.

Successit Almudar filius biennio Rex. Cuius filijs prętermissis, Abdalla defuncti frater suffragio militari Rex dictus, anno 888. regnauitque vigintiquinque annos. Initia Regni turbida fuere. Quo tempore in Alfonsum Zuria Princeps Cantabrię rebellauit, Ordoniumque missum à Patre, acie vicit, Cantabrięque Principatum locorum asperitate confisus retinuit, & vindicanda rebellione Regem intestinas discordias reuocasse putandum. Maiora tributa imperata subditorum animos alienarunt à Rege. Regina ipsa infenso in Regem animo Garsię filio contra Patrem subdere facem. Regis

Almudar filius.

888.

Garsiæ in Alfonsũ patrẽ rebellatio.

gis tamen celeritate oppressa filij arma. Ipse in custodiam datus. Quod compescere debuit semel commotas populi voluntates, magis accendit. Nunius Fernandius Castellæ comes, vir potentissimus Garsiæ socer, vinctæ matris, & fratrum opibus biennio contra Regem successu vario bellum aluit. Rex ætate grauis, & tædio rerum, studia pacis amans, cessit filio, sponteque Regno abijt, & vitæ reliquum animo procurando peregit. Vnam tantum expeditionem in Mauros, permittente filio suscepit: adeo in ætate præcipiti bella tractare non destitit.

710. *Mors Alfonsi.* Moritur tandem Zamoræ, quam ipse, cum alijs ciuitatibus, incredibili sumptu refecerat; in quibus, & templis ædificandis ærarium exhauserat. Sed dum Regnum oppidis, & religione propagata illustrat, & auget, quòd tributis maioribus rempublicam vexasset, non auxisse, sed minuisse vulgus interpretabatur. *Actiones enim Regum, vbi tributa creuerint, vulgo malè audiunt.* Regnum Garsias anno 910. habuit. Ordonio alteri filio Callecia Principatus attributus. Moritur etiam Abdalla Cordubæ. Sed quid de filio Lupi non traditur. Regum Ouetensium auxilio Cæsaraugustam tenuisse fama est. Indeque Cæsaraugustæ Regulorum seriem trahi. Regnauit Cordubæ Abderrahmanus, Abdallæ, ex Mahomade filio nepos, annos quinquaginta. Arabica lingua vocatus est, *Almansor ledin Allah. I. E.* Defensor legis Dei. Inter Mauricos Reges nemo illi, & felicitate, & Regni diuturnitate comparandus: quòd magnos sumptus reficiendis vrbibus, quòd pacandæ genti bellis ciuilibus æstuanti, quòd Regno in factiones diuiso componendo, quòd æquissimè iuri dicundo curam omnem, opesque contulerit.

Abdalla mors. Abderrahmanus Cordub. Rex. Laus.

GARSIAS,

GARSIAS, ORDONIVS REGES.

CAPVT X.

Victoria & mors Garsiæ.

QVAM sit potentia breuis parta scelere, breue Garsiæ Regnum triennale docuit. Nihil dignum memoria reliquit præter vnam in Mauros expeditionem, vastatis agris, victo, & capto Aiola pugnare auso, & paulo post negligentia custodum è vinculis elapso. Mortuus est Zamoræ, sepultus tamen Oueti, anno 913. Successit Ordonius frater, inter bona, malaque alternante rerum naturâ; modò fortunatus, bonusque, modo non ita. Prima fuit expeditio in Carpentanos Mauros, & ad Talabricam vrbem, quam incendit, diruitque, penetratũ. Abderrahmanus ab illa expeditione suę gentis periculum prudenter coniectans, euocatis ab Africa magnis auxilijs; duce Abolalpasso, ad amnem Durium vsque prouinciam vastare. Ad Castrum S. Stephani Gormatij obuiam habuit Ordonium. Pugnatum ibi maiori mole, quàm antea, dubia victoria diu. Tandem strage Maurorum, duobus ducibus Africano, Cordubensique cadentibus, penes Ordonium stetit. Victos placuit vrgere victoriæ ardore.

913. Ordonius Rex. Expeditio.

Ordonij victoria.

Per Lusitanię ergo fines exercitus Christianus ad Annam fluuium effusus, qua latè prouincia patet vastata, Pacis Augustę, & Emeritæ finibus populatis. Mauri fracti, & attriti, magno pretio, pacem victoris arbitrio redemerũt. Sic Rex Ordonius triumphans diuite præda rem i[illegible]tauit. Anno 918 Legionem vrbem, Oueto sede translata Regiam appellare iussit: quam ædificijs, templisque exornauit, muroque cinxit. Anno sequenti Rex Almansor, vt præteritæ ignominię notã deleret, habito totius Regni delectu, per Lusitaniam in Gallecos irrupit. Occurrit Ordonius, & ad Mindoniam vtrinque magna mole pugnatum, & incredibili pertinacia. Nox pugnam diremit, victoriam ad se quisque traxit, aqua

918. Ingens pugna.

T clade,

clade. Mauri quòd toties victi ad noctem pugnam susti nuissent, Christiani, quòd Mauros finibus expulissent. Rex Cordubę opinione victorię ferox, viribus reparatis, nouis auxilijs ab Africa, in Cantabros, Vasconesque mouit. Erat Rex Vasconum Sanctius Garsia cognomento Abarca, qui se Mauris imparem iudicans; Ordonium summis precibus exorare vt communi periculo subueniret. Ordonius ergo, Garsiasque iunctis viribus, cum potentissimo hoste, ad vallem Iuncariam pugnarunt, anno 921.

Ingens pugna.

Prælium atrox.

921.

Nulla his temporibus atrocior pugna, nec minor quàm preterita strages. Sed victoria non tam dubia, Fortunio Ximenio Aragonię Comite cadente. Alana Cantabrię pars in Maurorum potestatē venit. Capti Episcopi Dulcidius Salmnaticensis, & Hermogius Tudensis. Qui datis obsidibus, dum aurum appenditur, pretio sunt redempti. Pro Hermogio sororis filius Pelagius, ætatis flore, eximiæ pulchritudinis puer, à barbaro Rege, ferreis forcipibus dilaniatus, deinde membratim discerptus, & in fluuium Bethim præcipitatus glorioso testimonio euolauit in cælum. Causa, quòd stuprum barbarum Regem intentantem, & vim parantem impacto in faciem pugno, repulerit, nullisque blanditijs, promissisque ad nefariam libidinem potuerit adduci, anno 925.

Christiana clades

Pelagius martyr.

925.

Sacra Gottica à Pontifice probata.

Eodem tempore Zanelus legatus Pontif. Max. sacra Gottica, quibus Hispania vtebatur, recensuit, Pontificique probauit. Posterioribus tamen sęculis, vsum Romanum in sacris Hispania recepit. Ambo deinde Reges Ordonius Legionis, & Sanctius Nauarræ, sociatis viribus, in Mauricos fines irrumpentes, acceptam cladem vindicare. Mortuę Meninæ Eluiræ Reginæ Rex Argontam superinduxit, susceptis ex superiori filijs, Sanctio, Alfonso, Ramiro, Garsia, Ximena. Repudiauit tamen Argontam ob leuem, temerariamque suspicionem, Sanctiua Regis Vasconum filia ducta.

Finis Libri Tertij.

MA-

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII.

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ Anacephalæosis.

LIBER QVARTVS.

REGNI VASCONVM, ET Aragoniæ, vel Suprarbis Origo.

CAPVT PRIMVM.

Ex reliquijs Hispanorum, qui cladi à Mauris illatæ superfuerant, multa sunt constituta Regna, veluti ex magnæ domus ruina dissipataque materie domus plures construi solent. Et prima Vasconij, & Aragonij Regni tractanda origo est: cum hucusque ad Ordonium tertium à Pelagio,

Oueti, Asturumque Regum sedes deducta sit. Nauarræ, Aragoniæque rebus Lusitaniæ se principatus miscebit, & rerum ordo seruabitur ad nostrorum auorum seculum, quo sub vnius Regis imperium omnia Hispaniæ Regna coierunt, & omnes istæ magnæ vestis laciniæ, cum nouis Regnorum incrementis, ad magnum potentissimumque Hispaniarum Regni corpus aptatæ, assutæque, imperium terrarum orbi formidabile stabilierunt.

Ioannis Eremitæ memoria.

Regni Nauarræ initium paruum: sed quia religione fundatum, ab vno sinapis grano creuit arbor excelsa. Ioannes quidā eremita vir integer, sanctusq; secretioris vitæ studio, propè Iaccam vrbem, ad Pyrinæos, in Vruela monte, sacello Ioannis Baptistæ sacro constituto, cœlesti contemplationi se dedit. Non diu latuit vicinos populos fāma sanctitatis. Factus ergo vndique ad illum concursus. Ex omnibus quatuor illi se adiunxerunt socij. Vixit magna sanctitatis opinione. Mortuus magnificè vicinorum expensis elatus, ad funus vniuersa circum gente commota. Inter omnes sexcēti viri nobiles, casu, an consilio, incertum, conuenerunt. In circulis (vt solet) iactatus de dura Hispaniæ seruitute sermo.

Erat recens Pelagij memoria ad res nouas exemplum. Paratis animis dux quærebatur, cum à tergo Gallorum auxilia prompta sperarent. Maurorum impetus illi primi, & belli ardor refrixisse videbatur. Acceptis cladibus eorum vires accisæ existimabantur ab ijs, qui extra pericula solent alienas vires metiri. Aderāt plures nobiles digni, quibus belli, pacisque principatus cōmitti potuisset. In vnum tamen Garsiam Ximenum (quem Hispanum, non Gottum (vt nomen sonat) putamus) omnium oculi coniecti. Erat is Regulus Amescuæ, & Abarsuzæ, vxor Eneca pari nobilitate. Ergo ex Regulo Rex Vasconum electus vsque ad annum 758. quo defunctus est, aliquot oppidis Mauris ereptis, & ad famam noui Regis facto concursu gentis vicinæ, species aliqua maiestatis acquisita est. Successit Garsias Enecus filius, vir magni spiritus, qui Vascones omnes, quorum magna

Garsias Ximenus 1. Rex. 758. Garsiæ Eneci & cæterorū series.

pars

pars Asturibus, Mauris, & Francis parebat, Regno adie- 758.
cit. Hoc Rege Aragoniæ, & Barcinonis Comitatus ini- *Aznari' 1. Aragoniæ Comes, fi. i' Eudonis Aquitaniæ.*
tia iacta. Aragoniæ ab Aznario (cuius mentio supra,) qui annuente Rege Garsia se Aragoniæ Comitem dixit: & proximis locis Mauris ereptis, Aragoniæ Regibus fuit origo. Mortuo Aznario successit filius Aznarius, huic Galindus, huic Ximenius Aznarius. ¶ Barcino Ludouici Imperatoris armis recuperata, Bernardo natione Franco data anno 801. ab illo series Comitum. *Comitatus Barcinonēsis. 801.* Quo anno Garsias Enecus obijt. Sequitur Fertunius Garsias, de quo Vascones multa præclara fabulātur, Quem aiunt prælio illo interfuisse memorabili ad Roscidam vallem, in quo Francorum exercitus à nostris trucidatus est: sed tempora resistūt. Quę victoria cadente Comite Aragoniæ Aznario Ximeno fuit funesta: cuius soror Theuda Garsię Regi matrimonio copulata erat. Huic successit Ximenius Garsias patru'. Fortunius Rex obijt an 815. 815.
successore Sanctio Garsia filio. Bernardus Comes Barcinonensis obijt ex impatientia, falsi criminis apud Imperatorem accusatus adulterij cum Augusta, anno 839. 839.

Sanctius Garsia Rex Nauarrę in bello, quod Muza contra Mahomad gessit, occubuit, anno 853. 853. cui Ximenum Garsiam successisse fertur, sed obscurè. Quo tempore Forum, quod *Suprarbis* vocatur, conditum, instar tribunitię potestatis, quod hodie *Iustitia Aragoniæ* dicitur. *Iustitia Aragoniæ.* Quapropter prædictos Reges non Nauarræos, sed Suprarbienses nominari contendunt Scriptores. Sed vicinitas locorum conciliat vtrumque, Suprarbis & Ripagorsę dictos, à cruce supra arborem apparente in argenteo clypeo Regi Garsiæ Ximeno primo, cùm aduersus Mauros diuinam opem implorasset, produnt Annales. Garsiæ Regi Nauarræ successit Enecus cognomento Arista, à velocitate, qua ignis aristam corripit, vel à celeritate in Mauros. Constat hunc Aristam, cum Vascones hucusque contra Mauros naturâ loci, quàm viribus se defendissent, in planitiem arma transtulisse, & expugnata Pampilone se Regem Pampilonen-

Comitatus Barcinonēsis ius. lonensem dixisse. Addita Regno Alaua creuit maiestas. Eodem tempore Vuifredus, alterius Vuifredi, Comes Barcinonensis, cognomento Villosus, Caroli Crassi Imperatoris beneficio Barcinonem hęreditario iure obtinuit, retento more ad Imperatorem prouocandi, anno 884. Hoc tempore Garsias Aznarius Aragonię Comes
884. filium Ximenium Garsiam moriens heredem reliquit.
888. Aristę Regi filius Enecus Garsia successit, anno 888. Habuit vxorem Vrracam Fortunij Ximenij Aragoniæ Comitis filiā, aut sororem plerisque. Ex coniugio Fortunium & Sanctium Abarcam, & Sanctiuam prędicto Regi Ordonio iunctam. Obijt Enecus Garsia anno
905. 905. Ad vallem Ayuarem occisus à Mauris, dum se temerè pugnantibus ingerit. Successere Fortunius, & Sanctius, quo tēpore male pugnatum ad Iūcariam diximus.

DE CASTELLÆ COMITIBVS.

CAPVT II.

Rodericus 1. comes. CASTELLAE Comitibus eadem ferè, quæ Regibus origo. Primis Regibus vires infirmę, ni se quibusdam principibus in tuenda, & augenda maiestate, sociarent, quos Comites appellarunt. Quis enim sine comite, & socio Regni molem sustineat? Hoc primis Hispaniæ Regibus libertatis assertoribus contigit Oppidis ereptis à Mauris defendendis primus à Rege Præfectus, Comesque Castellę Rodericus inuenitur, Alfonso Casto Rege. Didacus huic filius cognomento Porcellos successit, Rege Magno Alfonso, qui filiam Nunio Belchidi Sullam Bellam iunxit Patre dignam. Erat is natione Germanus, qui voti, & religionis ergo S. Iacobi visendi in Hispanias venerat. Hoc ergo coniugio communicatis opibus aucta potentia est, & ab illis Burgos ciuitas condita, nomen à pagis, lingua Germanica, in ciuitatem allectis Prętet Iacobum

Didacus Porcellus 2. comes. *Nunnus Belchides.* *Burgos condita.*

Iacobum Porcellos erant & Comites alij, Ferdinandus Ansurius, Almondarus Albus, & huius filius Didacus. Inter omnes Nunius Fernandius principem locum habuit. Huius filiam Garsiæ Ordonij Regis fratri matrimonio vinctam diximus. Cui Comiti Regio matrimonio creuerunt opes, potentiaque. Suspecta hæc Ordonio; *Regibus semper magna potentia suspecta erit.* Subdidere faces inuidiæ adulatores, Regiæ sorices. Rex ergo alienissimo reipublicæ tempore percitus inuidiæ furore, Comites ad conuentum Regni, quasi de Rebus magnis acturus, conscientia securos vocat. Conuenerunt illi, nullum subesse dolum rati. Rex ergo insigni perfidia, truncatis capitibus, Regni propugnacula deiecit. Sic Ordonius Regnum, seque non expiabili macula fœdauit. Sequutus luctus Castellæ, & animi in vindictam irritati, sed in ipso belli apparatu Rex Ordonius ad maius tribunal vocatur de innocenti sanguine effuso rationem redditurus, Zamoræ anno 923. Hoc tempore celebris fuit memoria Sisnandi quarti Episcopi Compostellani, cuius tanta fuit sanctitatis opinio, vt se Pontifex summus (Ioannes X. Vaseo est) ei per literas commendaret. In eius obitu cantus cœlestes auditi. *Veni electe Dei, intra in gaudium Domini tui.*

Ordonij perfidia. Comitũ nex. Ordonij obitus. 923.

FROILA LEGIONIS, Sanctius Abarca Nauarræ.

CAPVT III.

FROILA frater Ordonij armis, in quibus plerique Reges Regni iura constituunt, Regnum inuasit. Infame fuit, licèt breue. Quatuor decim tantùm menses regnauit, impia crudelitate. *Timere multos, quem multi timent necesse est. Amore*

Aet

stat Regnum odio breue semper, & instabile. Ex Munia vxore Alfonsum, Ordonium, & Ramitum, ex stupro Froilam patrem Pelagij, cognomento Diaconum, habuit.

Obitus Regis.

Obijt Rex morbo lepræ deformis, Regno tamen deformitate multò deformior. Tunc enim apertè Castellæ bibliligiam Comitum recens desciuit à Regibus.

Castellæ iudices.

Ex procerum numero duo iudices suffragio gentis electi, Nunius Rasura, & Lainus Caluus nobilissimi, fortissimique viri. Generat Nunio Lainus, cui tanquam iuniori belli, Nunio tanquam seniori pacis, æqui, iuris dicundi cura mandata. Ex his iudicibus nobilissimi fortissimique viri procreati, qui rerum gestarum fama nostrum Hispaniam, aut potiùs orbem impleruntt.

Nunius Rasura, & Lainus Caluus.

Nam Nunij Rasuræ filius Gonsalus Nunius nobilium domi seminarium instituit, quo belli, pacisque artibus ingenuitas informata, præstantes, & fortissimos viros aluit. Quo instituto totius gentis studia vehementer sibi deuinxit. Habuit vxorem Ximenam filiam Nunij Ferdinandi ab Ordonio interempti. Ex eo coniugio Magnus ille Castellæ Comes Ferdinandus Gonsalius natus est, priscis heroibus comparandus. Sed ad Reges.

Ferdinandus Gonsalius.

Sanctius Abarca æditus prodigioso partu est, si vera est historia, quam non pauci dubiam putant. At non omittenda. Patrem Garsiam Enecum à Mauris diximus interemptum. Vrracam vxorem eandem fortunam passam vterum ferentem produnt historiæ. Per acceptum vulnus exertam infantis brachium Sanctium quendam Gueuaram, qui explorandi causâ pugnæ superuenerat, argumento vitæ ad rei miraculum allexisse. Exenterata matre infantem eductum, & secreto alitum tanquam rusticum, à peronibus, nos *Abarcas* dicimus, nomen illi datum: Gueuaræ Latronis nomenclaturam, quod latenter infantem enutriuerit, fictam. Deinde post annos decem in procerum conuentu de creando Rege, Gueuaram illo habitu pastoritio, & rustico productum Infantem Regno monstrasse, probasseque: à cunctisque ob miraculum stupentibus Regem proclamatum.

Sanctij Abarcæ natales.

Hierony-

Hieronymus Blanca affimat, probatque ab hoc Sanctio Abarcâ Regum Aragonensium originem, eumque Nauarræ, & Aragoniæ Regem asserit. Ad Regesque Nauarrę Aragoniæ Comitatum recidisse iure hæreditario. Hoc tamen constat, Rege Abarca Regni fines propagatos, multis oppidis in Suprarbe, & Ripagursa Mauris ereptis, & Cantabrię Principatus illac adiectus ditioni, & ad Cæsaraugustam armis penetratum, vltraque Pyrinæos arma translata. *Sanctij gesta.*

. Mauri, capta occasione Regis absentia, Pampilonem obsederunt. Venisset in eorum potestatem brumali tempore, Pyrinæis alta niue, geluque rigentibus, & inaccessis, ni Rex peronibus assuetus, milites indutos peronibus, frigora, niuesque superare fecisset; quo euentu Abarcæ nomen illi datum probabilius iudicat Mariana, quàm à superiori historia. Sic tempore, quo non putabatur, Mauros victos Regno eiecit. Æquare potuit magnos Principes, ni libidine dominandi, arma, quibus hostes vinci potuerunt, in Christianos conuertisset.

ALFONSVS IV. RAMIRVS, Reges.

CAPVT IV.

ALFONSVS IV. professione Monachus Regnum suscepit, filius Ordonij secundi, vt plerisque maioris diligentiæ viris probatur, anno 924. Hoc Regno Ioannes Toletanus Præsul Vuistrimiri, & Boniti successor sanctitate clarus decessit; in quo desijt Archiepiscoporum Toletanorum series, Barbaris vetantibus, eligi viros qui Christianam inter eos religionem sustentarent afflictam. Deinceps S. Iustę Curioni sacerdotes obtemperare. 924.

V Hoc

Ferdinandi Gonsalij gesta.

Hoc tempore Comitis Castellæ Ferdinandi Gonsalij illustris fama per omnium ora volitabat. Eius armis Regum Legionensium vltra fluuium Pisoricam ditio coercita. Sanctij Abarcæ Regis Nauarræ, qui in Castellæ fines populabundus irruerat, & legationibus superbè responderat, audacia repressa. Dimicatum diu victoria dubia. Regis tamen, & Comitis prouocatione ad singulare certamen, pugna dirempta. Vterque hastarum impetu prostratus: Comes saucius, Rex lethali vulnere. Sic resumptis viribus Castellani facilè Vascones vicerūt, qui à Comite Tolosano reuocati ad pugnā iterum vincuntur. Comite altero Tolosano singulari certamine ab eodē Comite Ferdinando cęso. Regi, Comitique concedente Ferdinando Gonsalio, honos sepulturæ datus anno 926 Successit Abarcæ filius Garsias Sanctius, qui quadraginta regnauit annos. Alfonsus Rex prorsus ignauus, Regnoque indignus (& quid Monacho cum Regno?) cum subditorum inuidia laboraret, Ramiro Zamoram vocato Regnum de manu tradit, atque ad monachos, magis otij, quàm pietatis studio redijt. Ramirus susceptam Regni curam, statim in Mauros conuertit. At apparatum belli contra se auertit Alfonsus: qui tędio vitæ priuatæ redire cogitabat ad Regnum, Legionemque se receperat. Filij quoque Froilę secundi tumultuantes in Asturibus Regem compulerunt, vt omnes vires ad intestina mala componenda reuocaret. Sed belli finis vtriusque factionis supplicium fuit. Alfonso, & Froilæ filijs eruti oculi in custodiam datis. Mox arma in Mauros conuersa, & vsque Madritum ventum. Quod nobile municipium incenderunt nostri, dirueruntque. Exercitus interim diuite pręda onustus in patriam reductus est. Mauri contractis magnis copijs iniuriam vindicaturi, in Castellę fines irrumpunt. Comes Ferdinandus superioribus bellis attritus, Regem Ramirum exorat, vt communi periculo, condonatis priuatis iniurijs, Christianorum causę adesse, quàm Hispaniam prodere mallet. Rex precibus flexus

Regis Abarcæ nex.

Duplex Ferdinandi comitis victoria.

926.

Ramirus Rex.

Alfonsi inconstantia.

exercitum

exercitum mittit. Ad Vxamam cum Mauris collatis signis pugnatum acriter. Victis, cæsisque Mauris nostri milites diuites, auro, argentoque onusti domos abierunt. Ex eo tempore suspicātur multi Castellæ Comites in Regum gratiam redijsse, & erat opportuna satis occasio.

Ferdinandi, & Ramiri victoria.

Sequuta Ramiri expeditio altera, & Cæsaraugustam ventum. Rex Benaiah beneficiarius Cordubensis Regis Abderrahmani ciuitatem obtinebat. Aderat Comes Ferdinandus. Benaiah viribus impar, vt periculū declinaret, Ramiro se vectigalem fore promisit, grandiq́ue auri pondere fœdus ictum, & ab armis discessum. Paulo tamen post, cùm Abderrahmani exercitus affulsisset, Abenaihæ pœnitentia subijt. Vtrinque ergo collatæ vires, & maiori belli mole pugnatum. Nulla maior eo tēpore pugna. *Sed barbaris domandis datum Ramiris.* Triginta millia hostium trucidata memoratur. Alij numerum duplicant. Forte quia Ferdinandus absens, victoriæ superueniens, sparsos per agros Mauros integer ceciderit, & internecione deleuerit. Duos angelos in eo prælio apparuisse, ducesque se nostris præbuisse proditur. *Sæpe nostris insperatæ victoriæ miracula fecerunt.* Pugnatum anno 934. sexta Augusti, die Sanctis nostris Patronis, & Martyribus Iusto, & Pastori sacro. Et quid, si dicamus duos illos Angelos, duos Pueros Iustum, & Pastorem fuisse. Argumentū, Infirma mundi fortia confusa. Magnus gentis sacerdos, Alfaquinum vocant, in potestatem venit Ferdinandi Comitis. Abderrahmanus vix fuga cum paucis elapsus. Rex ergo Ramirus à bello ad studia pacis conuersus, breui rursus ad arma reuocatur. Ferdinandus Gonsalius, & Iacobus Nunius, iniuria (vt putatur) prouocati à Rege iterum disciuerunt. Et quia vires contra Regem infirmæ videbantur, Mauri in auxilium attracti. Bellum tamen Ramiri virtute, prudentiaque, comprehensis seditionis authoribus, benigneque habitis, & iureiurando præstito dimissis, locataque Vrraca filia Comitis Ordonio

Ramiri victoria ingens.

934. Iusti, & Pastoris sacro parta victoria.

Altera Ramiri victoria. *Ramirus Regno abijt.* *Mors.* 950.

Regis filio, & successori, restinctum, & pax firmata. Ergo Rex expeditione in Mauros repetita, ad Talaueram cum illis pugnauit, cæsisque duodecem millibus, & septem in seruitutem abductis, reuersus in Regnum est. Quibus preclare gestis preclarius facinus adiecit. Optimus ergo inter bonos Princeps cum nondum viginti regnasset annos, viuens Ordonio filio Regnum tradidit, seque pijs operibus, & cęlestibus meditationibus addixit. Pieque, & sanctè obijt anno 950.

ORDONIVS III. LEGIONIS Rex.

CAPVT V.

Sanctius frater rebellat.

RAMIRO Patri successit Ordonius filius, eo nomine tertius: breuitate tamen vitæ magni Regis specimen, quod monstrauerat, publicę vtilitati præbere non potuit. Quinque tantùm annos, & septem menses regnauit. Sanctius frater, seu prouocatus iniuria, seu regnandi libidine, iura fraternæ charitatis violare: Ferdinandum Gonsalium Castellæ Comitem, Garsiam Sanctium Vasconum Regem & auunculum adire, & contra fratrem sollicitare non erubuit. His armis in fines Legionenses Sanctius irrupit. Ordonius nondum Regno firmato, locis natura munitis tandiu se tenere decreuit, quousque militaris ardor, cum quo venerant milites, refrixisset. Qui bellum impium detestati, mutata sententia, deserto Sanctio, domos abierunt. Ordonius Comitis Ferdinâdi odio, quod nullo respectu affinitatis arma sociarat, Vrracam repudiauit vxorem innocentem, ductaque Eluira Veremundum genuit. Tales ferebat mores ætas illa militaris, & rudis. Calecorum motus Sanctij studio concitati Regis armis repressi. In Mauros deinde, qui Lusitaniam tene-

Vrraca repudiata.

tenebant, arma Vlisipporem vsque promotam: nullo tamen iusto prelio commisso, ingenti abacta preda reductus est exercitus.

Abderrahmanus quamuis ætate grauis, in Comitem Ferdinandum Gonsalium, quòd Carrausio castro occupato, præsidio Mauro depulso, vnde multis illatis cladibus, vniuersam, Maurorum gentem exacerbarat, totius Regni vires contraxit. Idem Comes facit, & omnem militarem ætatem conscribit. Maurorum exercitus octoginta millibus constabat. ¶ Erant copiæ ad prelium paratę. Nostrorum (quòd tanta multitudine posse obrui timebatur) consedere duces, & de belli summa consultant. Sententiæ dictę (vt solet in magno periculo) pro metu, aut honestate, audaciauè. Gonsalus Diacius turpem redimendi fœderis auro sententiam dixit, & præcipuam ad se consultātium partem traxisset, ni magno animo Comes assurgens, Periculosior, ait, sed honestior sententia placet, dixisset. Armis partam gloriam, seruandam armis, non turpi conditione redimendam ignauiam. Assensere omnes, *& magno stant, & intrepido duce momenta rerum semper.* Ergo vt pugnandi sententia sedit. Ipse Comes à reliquis auulsus venatum abijt. Aprum insequitur, qui fugiens in proximum, secretumque in monte sacellum, tanquam in asylum, se recepit. Ingresso Comiti, & loci sanctitatem venerabundo, in genuaque prono, diuinumque numen pro futura victoria exoranti, Pelagius Eremita cum socijs duobus astitit. Macte animo esto Comes, ait. Vinces. Comes genua Sanctorum exosculatus, alacerque ad suos reuersus, corpora curare iubet, & exposita prædictione cęlesti, depulso timore ad pugnam confirmat. Qua commissa, numerosa Maurorum multitudo à nostris paucis profligata victoriam illustrem dedit. Pelagio predę pars data, cuius manubijs excitatum est ab illo templum ad flumen Arlanciæ, S. Petro Apostolo dicatum.

Nostrorum trepidatio.

Ferdinādi comitis animus.

Reuelatio victoriæ.

Ferdinādi victoria.

S. Petri Arlanciæ templū.

Reparatis viribus Mauri, ad ignominiam depellendam

sic

ſic interpretabantur ab vno comite vinci) rurſus de Caſtella cogitare ceperunt, cùm Ordonius Luſitanica expeditione perfunctus, in Comitem ob iniuriam ſuperiorem arma parabat. Heu arma, cùm tanta bella vndique inſtarent, conuerſa in viſcera! Comes in tanto periculo ad clementiam Regis recurrere, ne propter priuatas iniurias communis cauſa deſeratur, orat. Se non affectu priuato, ſed communi fraude deceptum arma ſumpſiſſe. Flexus Rex, & ad modeſtiam compoſitus precibus annuit, copiaſque dat. Quibuſcum collatis ſignis audacter conflixit. Idem euentus qui ſuperior. Ad S. Stephanum dimicatum: ingens Maurorum ſtrages fuit.
955. Ordonius victoriæ nuntio lętus obijt, anno 953. Zamoræ, Legione ſepulturę Patris illatus.

ORDONIVS. IV. SANCTIVS Craſſus Reges.

CAPVT VI.

INOPIA Scriptorum, & fœda negligentia factum, vt penitus ignoretur, vbi gentium Sanctius fuerit, fraterno bello victus. Hoc conſtat. Poſt defun-
956. ctum Ordonium, Sanctium à pinguedine Craſſum
Sanctius appellatum, ad Regnum aduolaſſe. Homo fuit ingenio
deſertus. non malo, ſingulari patientia. Anno ſecundo, qui & 956.
Ordonius deſtitutus ab exercitu, ad auunculum Vaſconum Regem
Rex. 4 fugere compulſus eſt. Intereà ſtudia gentis in Ordo-
cognomẽ- nium Alfonſi monachi filium propenſa, Regnum cum
to Malus. Vrraca à patrueli Ordonio repudiata, concedente Comite Ferdinando, contulerunt. Erat Ordonius ingenio prauo, & ob id cognomento, Malus. Inde gentis odium contractum. Interim Sanctius Cordubam ſe contulerat, curandę atuinę cauſa. Suſcepit barbarus Rex benignè, medicorum peritia corpus habile, ſimul, & copias

copias ad recuperandum Regnum dedit. Quibus ignauus Ordonius non ausus resistere, fugere in Astures, & tandem ad arma Magni Comitis Ferdinandi confugere. *Sed malè partum Imperium non potest esse diuturnum, miserosque vbique fortuna destituit.* Pulsus à socero prope Cordubam miseram finijt vitam. Excepere hęc noui Callestæ motus. Vigila, ex alterius Vigilę, quem Alauæ præfuisse diximus, nepotibus, ętate ferox, opibusque, & clientelis nixus, contra Comitem Ferdinandum omnis insolentiæ impatientem arma corripuit. Magnus Comes victos nullo loco consistere passus, ad Mauros deficere compulit. Qui postea magno detrimento fuere Castellæ, sed auxere Comitis Ferdinandi gloriam immortalem. Horum precibus, vt putatur, Alhagibus Almansor habito ex vniuerso Regno delectu, contra Comitem omnes suas vires armare. Magni belli moles, & formidabiles erant copiæ hostiles. Comes de belli euentu sollicitus, veterem amicum S. Pelagium reuisit. Inuenit iam decessisse: sollicito tamen in somnijs apparuit, & prænuntiauit victoriam. Et quia præsentem promissionem superiori confirmarat exemplo, magna fiducia, cum innumera multitudine ad Petram Hitam pugnare. Pugnatumque triduo. Vltimo die S. Iacobus conspicuus apparens Christianis victoriam dedit. Maior hostium quàm vnquam clades. Fugientes Comes biduo persequutus omnem ferè Maurorum exercitum deleuit. Confestim ab vniuersa Hispania gratulatum honorificę venere legationes. Missa tamen à Sanctio Legionensi Rege, quamuis speciosa, visa suspecta. Vocabat Comitem Legionem, quasi de rebus magnis procerum conuentum acturus. Habitus conuentus est, anno 958. Quid fuerit decretum non proditur.

Ordonij mali mors.

Ingens pugna & illustris victoria Comitis.

Therasię Reginæ viduæ astu ad vlciscendum patrem composito, Sanctia soror, quę apud Regem Vasconum Garsiam erat, Comiti viduo pacta fuit. Calliditas fœminæ in alienę culpæ delictum astuta. De his Vasconum

958.

Terasiæ Reginæ astus.

conum Rex, nihil rescierat, (sic enim proditur) sed iniuriarum memor, in Castellam populationes, admonitus, prohibere noluit. Ventum ad arma. Victus Rex, & Comes victor ad promissa matrimonia properauit. Comes ergo cũ nuptiali pompa inermis magno animo se victi Regis fidei credere: sed ab infido Rege, & armato comprehensus, Sanctiæ sponsę, cuius amore tenebatur, & in tantum periculum venerat, industria solutus, cum illa, fuga elapsus, Burgis nuptias celebrauit. Rex Vasconum sororis arte delusus, bellum apertè Comiti indicit. Accepit Comes, & iterum ad confinia Regni pugnatum. Victoria penes Comitem stetit victo, vinctoque Rege, anno 959. Quo Abderrahmanus obijt Cordubæ, Alhaca filio successore, qui Regi Sanctio S. Martyris Pelagij corpus, hucusque à patre negatum, concessit. Postea Comes compositis cum Vascone rebus, Regem liberum in Regnum abire iussit. Vxoris lacrymę, & procerum preces infensum Comitis animum flexere. Quo successu Therasię Reginæ animus induratus ad vindictam magis efferbuit. *Adeò fœminæ sunt ad iram præcipites, & ad vindictam animo impotenti.* Sãctium filium, vt iterum Comitem ad conuentum procerum venire cogeret permouit. Venit ille inuitus animo futuri pręsago. Venienti, manum ad osculum de more poscenti acerbè responsum, & negata manus. Iniecta illicò vincula. Quod vt Sanctia resciuit, fœmina in virum insigni pietate, ad eum iterum liberandum iter aggressa, hoc astu liberauit. Fingit ad S. Iacobum peregrinationem; & quia Legio ciuitas erat in via, à Rege (vt par erat) apparatu Regio, Regiaque magnificentia excepta, precibus tandem ab illo visendi viri copiam obtinuit. Concessit Rex noctem vnã, (& quis negaret?) Multo mane Comes vxoris veste tectus, vxoremque simulans, è custodia egressus in paratum equum insiliens, euasit. Sanctia factum renuntiat Regi, seque pro viro remansisse in vinculis. Quid ageret Rex? Sanctiæ consilium, & charitatem in virum, animumque virilem admiratus,

Sanctiæ industria

Comitis victoria.

959.

Abderrahmani mors.

Alhaca Rex.

Therasiæ fraus.

Comes in vinculis.

Sanctiæ Calliditas.

miratus, ad virum cum honorifico remisit comitatu. *Sanctiæ amor in virum.*

Recuperata vxore Comes, etsi animo in Regem infenso, bello tamen, tanquam contra Christianos, abstinuit. Speciem verò, coloremque bello prętendisse produnt historiæ patriæ, licèt nonnullis de fide suspectę. Referam tamen; & profectò probabile mihi videtur, vt ętate illa rudi dignum, qua tantum arma in pretio erant. Vendiderat Regi Comes accipitrem vsuraria conditione, vt quandiu Rex pretium non solueret, elapso statuto tempore, summa duplicaretur, an quotidie, an quotannis non liquet; quotidie putandum. Comes pretium cum vsura petijt; moras (vt mos) à Rege prætensas, à Comite arma. Nec mora. Pugnatum. Rex victus & ad rationes compulsus. Excreuerat summa supra Regis ærarium. Ad pacta ventum. Rex cùm soluendo non esset. Heu quid Regum tarda solutio, negligentiaque! Pro pretio Comiti Castellæ à Legionensibus Regibus immunitas, & prouocatio condonata, remissaque. Inde Castella sui iuris esse cœpit, anno 965. Sequenti anno moritur Garsias Sanctius Nauarræ Rex: reliquit filios ex Therasia, Sanctium, Ramirum, Vrracam, Ermenesildam, Ximenam. *Accipiter Ferdinandi.* *Libertas Castellæ.* *965.*

Sucessit Sanctius Garsias, & Ramirus æquata potestate, qui sine prole defunctus liberum fratri Regnum reliquit, qui annos viginti septem regnauit, nulla re memorabilis, præter Cantabrię ducatum Regno adiectum. Vxor illi Vrraca, ex qua filium Garsiam Sanctium, cognomento Tremulum, quòd initio pugnæ contremisceret, suscepit. Sanctius ergo Rex veneno in pomo medicato, à quodam Comite Gonsalio nomine Lusitano rebelli, & in gratiam recepto, extinctus est anno 967. anno Regni duodecimo. Sepultus est Legione. *Sanctius Garsias, Rex.* *Sanctij nex.* *967.*

RAMIRVS III. LEGIONIS REX.

CAPVT VII.

QVINQVENNIS Ramirus à Patre relictus, in Therasiæ matris, & Eluiræ (Geloriam malunt alij) tutela, quindecim regnauit annos. Prudentissimæ profectò fœminæ. Sed fœminarum imperium vix patiuntur viri, præcipuè militares. Hæc tamen sunt à Deo ludibria Regnorum, vt quando Christiana respublica, tot conflictata bellorum tempestatibus, respirasse videbatur, & viro Principe opus erat, puer, & fœminæ Principes ad Regni gubernacula, contra Maurorum impetum, consedere. Vigila, quem à Comite Ferdinando expulsum diximus, Alhacam contra Castellanos, à quibus infinita fuerat mala perpessus, incitare. Hoc bello, ciuitates non paucæ, oppidaque qua capta, qua incensa, qua diruta. His malis accessere Nortmani Hispaniæ litoribus assueti, qui comparata classe ab occeano Callecos inuaserunt. Tam à Mauris quàm Nortmanis multi mortalium in seruitutem abducti; præter ingentes prædas. Accessit quoque his malis Magni Ferdinandi Gonsalij obitus, cuius virtute Regnum steterat. Garsias Ferdinandus filius paternæ virtutis hæres, ignominiæ gentis impatiens, correptis armis, primùm Nortmanos prædis onustos adoritur, & subito palantes opprimit, occiso duce Gunderedo, & exercitu trucidato. Et vt esset lætior victoria, naues omnes partim incensæ, captæ partim. Præda recuperata, restitutaque. Parta victoria est, duce Gonsalo Sanctio Comite, ad bellumque delecto, anno 979. Quo anno Alhaca Rex Cordubæ decessit. Alijs, triennio ante.

Alhacæ victoria de Castellanis.

Ferdinandi Gonsalij obitus.

Victoria de Nortmanis.

979.

Alhacæ obitus.

Floruit eo tempore Rasis Arabs, qui commentaria de rebus Hispaniæ concinnauit. Successit Hisem, annos natus decem, menses quatuor. Regnauit triginta tres annos

Rasis Arabs.

Hissem Rex.

annos solo nomine. Ad Mahomadem Alhagib, virum industrium, & fortissimum eo tempore ducem, belli summa deuoluta, qui postea nominatus est Almansor. Rex Ramirus imbellis, & in Callecos asper, homines feroces, rebellandi causa fuit. Veremundus patruelis, tertij Ordonij Regis filius, dux rebellionis erat. Pugnatum, & æquata clade vtrinque discessum, hoc pacto, vt Veremundo Callecia cederet, Compostella noua sedes Regni esset, reliqua Ramirus teneret. Eo tempore Pelagius Episcopus homo prauo ingenio, Roderici Comitis filius, à Rege propter scelera loco deiectus, Patris armis, & Maurorum auxilio se in sedem restituit. Fœda Christiani nominis nota, & insatiabilis ambitionis pestis, quę patriam tam miserè infecit. Ascitis Mauris Callecia vexata, Compostella capta, & pene diruta; Templum Apostoli toto Christiano orbi augustissimum solo æquatum. Hæc omnia vna lues ambitionis miseris Callecis attulit. Vltio tamen diuina desæuijt in Mauros. Dissenterię morbus cum ingenti dolore in exercitum grassatus magnam peremit multitudinem. Causam barbaro percontanti, responsum, Apostolum ibi sepultum. Tunc Maurus conclamatis vasis propere fugam arripuit, sed in itinere fugientem idem morbus oppressit. Alhagib deinde repetita expeditione, ciuitates, & oppida non pauca Christianis ademit, ipsumque Ramirum acie vicit. Qui paulo post obijt Legione, anno 982.

Pelagij Episcopi temeritas.

Calleciæ calamitas.

Vltio diuina.

Ramiri obitus.

VEREMVNDVS PODAGRICVS REX.

CAPVT VIII.

RAMIRO sine prole defuncto Veremundus secundus Patruelis successit. Regnauit annos septendecim, à morbo cognomento Podagricus. Eo tempore Garsias Fernandius Castellæ Comes cum Mauris ad Durij ripam pugnauit,

Miraculosa victoria comitis.

& miraculosa victoria hostiles copias cæcidit. Ferdinandus Antolinus vir fortissimus, & nobilis, sed vitæ probitate, & sanctitate nobilior, ante pugnam (de more, & ô Christianis militibus exemplum salutare) audiendo sacro sancto Missæ mysterio, & orationi se dedit.

Ferdinandi Antolini miraculum in pugna

Commissa interim pugna, bonus Antolini genius; eiusdem Antolini armis, equo, & facie sumpta, formaque terribilis hostibus, & formidabilis apparens, Maurorum agmina, qua confertissima erant, perrumpit, disijcit, & proterit ita, vt partæ victoriæ laudem penes vnum Antolinum omnes vnanimes faterentur. Post victoriam omnium gratulatum ad Antolinum concursus factus. Interim ille rubore suffusus, quod pugnæ non interfuisset latitare, prodireque in publicum vereri. Res vulgata auxit admirationem. Pugnæ vestigia, equus exsudans, vulneratusque, arma crebris ictibus perforata, pugnasse argumentum. Abeant nunc, & nobis victorias à cælo datas inuideant exteri.

Lęta hęc: funesta, quę sequuntur. Mahometes Alhagibus, qui pro Isemo rem Mauricam administrabat, impulsore Comite Vigila, cum valida Christianorum manu, quæ prędicti Comitis authoritatem sequebatur, Mauro exercitui adiuncta, proh pudor! in Christianorum fines irrupit. Veremundus animo, & viribus, impar, raptim exercitu collectitio cum hoste nihil tale cogitante congreditur. Captis castris inter impedimẽta tumultuaria pugna pugnatur. Multis cadentibus Mauris, Christiani vicisse videbantur, cùm Mahometis virtute multis locis restituta pugna, & integris ordinibus in dissipatos irruens, victores in fugam pęrcipites egit, & miseranda strage cæcidit. Paucos cum Rege Legionem fuga seruauit. Eodem impetu Regia ciuitas caperetur, ni frigus, & hyemis asperitas hostes ingenti abacta pręda redire compulisset, reuersuros appetente vere. Pugnatum ad Asturam anno 984.

Christianorum clades.

984. Alia valida Maurorum manus per Gerundensem tractum

tractum impune vagata, Borellum Comitem ad arcem Moncadam superauit, desideratis è nostris quingentis. Rex Veremundus rebus diffisus, cum pretiosioribus rebus Ouetum se contulit, Legione Guillielmo Gonsalio Comiti cũ valido præsidio commendata. Sequitur annus 985. duarum ciuitatum quibus res Christiana stabat, duplici casu funestus, Legionis, & Barcinonis. Barcino tamen breui recepta est Borelli Comitis virtute, qui licèt acie victus, iusto comparato exercitu, iterum cum hostibus dimicauit, quos acie victos, recuperata Barcinone, prouincia expulit. Post octo tamen annos fatis concessit; reliquit filios Raymundum, cui Barcinonem; & Armengaudum, cui Vrgeliam vrbem, testamento legauit. Ab his Armengaudorum Comitum Vrgeliæ nobilissima origo trahitur.

Annus 985. funestus.

Borellus comes Barcinonis.

Armengaudorũ origo.

Maior, miserabiliorque Legionis clades. Mahomad Alhagib, superiori victoria ferocior, denuo Legionem obsidere. Arcta obsidio fuit anno integro virtute Comitis Gonsalij sustentata. Diruto muro hostes in ciuitatem irrumpunt. Guillielmus Gonsalius lectica se oppresus morbo ad eam partem deferre pręcepit; milites sua pręsentia hortatus pugnam instaurauit, triduoque sustinuit. Quarto die accipiens Mauros in ciuitatem irrupisse, memor virtutis pristinæ, & infirmitatis immemor, captæ ciuitati superesse noluit. In hostes ergo se ferociter ingerit, fortiterque vndique petitus occubuit.

Legionis clades.

Guillielmi Gonsalij virtus, & obitus.

Capta misera ciuitas heu quot mala passa à barbaro est! Quanta sine discrimine cædes, pręda quanta! Horret animus memorare. Omnes in vna ciuitate superiores vindicaræ clades, non in homines vtriusque sexus, & ætatis tantùm, in muros, ædificia, remplaque barbarâ crudelitate sæuitum. Quis nesciat multa alia oppida capta, incensaque? In Castellam arma conuersa multis alijs ciuitatibus extremam cladem attulerunt.

Captæ Legionis misera facies.

Accesit

Accessit his malis intestina discordia, qua semper externa potentia creuit. Nam anno sequenti septem illi decantati fratres Laræ Principes Roderici Velasquij fraudibus perierunt, licèt è Sanctia eiusdem Roderici sorore nati; ad Comites Castellæ originem referrent. Ex Nunio enim Belchide, præter Nunium Rasuram, Gonsalius Gustius, filius Gonsalij Gustij Laræ Regulus. Pater horum septem fratrum, quos Garsias Comes, militari, solénique ritu, equites armauerat. Sic ad Comites Castellæ, Didacumque Porcellos originem referebant paternam. Causa tantæ cladis leuis, (& sæpe solet incendium ab vna excitari scintilla) Rodericus Velasquius Villareni Regulus vxorem Lambram Principe loco natam duxit, & nuptias Burgis celebrauit. Interfuere, Comes Garsias, Gonsalius Gustius cum septem filijs. Inter Gonsalium natu minimum & Aluarum Sanctium propinquum Lambræ rixa orta est. Iniuriam sibi factam querebatur Lambra. Et vindictam meditata, in itinere, prope Barbadillum oppidum, cucumerem sanguine suffarcinatū in Gonsalium iubet proijcere, illoque virum nobilem respergere. (Ea iniuriæ satisfactio illo sæculo.) Excanduit vir nobilis in ministrum, quem in Lambræ confugientem sinus ira præcipiti trucidauit. Aberat Rodericus Velasquius, qui certior factus, & ad vindictam ab vxore subdita face inflammatus, Gonsalium Gustium (iniuriam simulans) cum literis, pro repetendis pecunijs, quas illi barbarus Rex promiserat, Cordubam ablegauit. Arabicè scriptum in illis, vt legatum occideret. Rex caniciem miseratus, & innocentiam viri tandem in libera custodia habuit. Ex confabulandi consuetudine Regis soror amore Gonsalij capta, cum ad stuprum sollicitare. Quid captiuus faceret in Regiæ puellæ potestate, à qua illi vitæ salus, & libertas? Consensit ergo & Mudarram Gonsalium ex ea genuit, quem nobilissimæ Manricorum familiæ volunt fuisse parentem Hispanicæ nobilitatis Scriptores. Sed de his non est otium disputare. In Arauianæ Campis ad

Septem fratrum Laræ principū memoria

Manricorū origo.

ad Almenaram, Rodericus simulans in hostiles agros incursum, septem fortissimos fratres compositis Maurorum insidijs obiecit, feroces, cupidosque laudis. Qui Nunio Salido pædagogo, qui dolos præsenserat, & insidias monenti nolentes parere, cum equitibus ducentis irruerūt in hostes. Pauci ab infinita multitudine fortiter obtriti non sine magna strage Maurorum ceciderunt. Abscissa nobilissima capita Cordubam remissa gratum barbaro munus, Patri monstrata, & agnita. Doloris impatientia Gustium extinxisset, ni Rex, & Mahomad, oblata libertate in solatium, dolorem mitigassent. Ergo Mudarra Gonsalius postquam adoleuit, parentem, & rerum seriem à matre perdoctus, in Castellam veniens Rodericum in fratrum vindictam occidit. Lambram tantorum malorū causam obrutam lapidibus, cum domo incendit. Et à nouerca Sanctia in paternam hęreditatem allectus ritu solenni, genti dedit successores egregios, qui hoc ordine produntur. Mudarræ filius fuit Ordonius, huius Iacobus Ordonius de Lara, qui ex prouocatione cum filijs Gonsalij Arię pugnauit ad Zamoram. Iacobus Petrum genuit. Huius Amalaricus de Lara Molinæ Regulus. Inde gens Manricorum, & Regum Lusitanorum genus maternum, cùm Malfada Amalarici filia primo Lusitaniæ Regi Alfonso nupserit.

Mudarræ facinus.

Laræ series.

Reges Lusitani Maurici

Quieuit fessa malis Hispania ad annum 993. Quo Mauri noua in Callecos expeditione Compostellam captam diripuerunt. Sed cum ab Apostoli sepulchro impias non abstinuissent manus, repente fulgur obortus sacrilegia repressit. Campanæ Christianorum humeris, (proh ignominia! eluenda tamen postea) Cordubam auectę in Mesquita aliquot sæcula vsum lampadum ministrarunt. Ad fuit vltio diuina, quæ dissenteriæ morbo, & Veremundi gladio agminum extrema carpente, omnem fere Mauricum exercitum absumpsit. Quo successu Rex lętus, sollicitatis Castellę Comite, & Vasconum Rege Sanctio Garsia Tremulo ad arma contra Mauros sociandа,

Cōpostella capta.

Vltio diuina in Mauros.

socianda, magnis copijs expeditionem adornans, ad oppidũ Calacanasorium, in confinio Castellæ, Legionisque Mauris occurrit. Pugnatum diu, victoriaque dubiâ discessum. Pro nobis tamen stetisse probauit euentus, cùm silenti nocte, data tessera, tanquam fugientes Mauri, rerum suarum iactura, citato agmine sint profecti, tanta Mahomadis impatientia, vt rei male gestę dolore, pertinaci se inædia necauerit in Valle Begalcoraxo, vir magni spiritus, & fere semper victor. Pro Rege otioso viginti quinque annis Rem Mauricam administrauit perpetua in bello felicitate, ad annum 998.

Obitus Mahomadis. *998.*

Hoc memoriæ dignum. Eo die, quo pugnatum est, quendam habitu pastoritio prope Cordubam ad Bethis ripam apparuisse canentem modo Arabicè, modo Hispanicè hæc. *Ad Calacanasor amisit tympanum Almansor.* Malum genium fuisse aiunt, (sed cur non bonum?) in tanta locorum distantia victoriæ nuntium. Argumentum quòd è manibus tenere cupientium elapsus euanuerit. A Mahomadis morte res Maurica deterior, in vno magno duce Regni momenta stare, aut deprimi monstrauit. In administratione successit Mahomadi filius Abdemelichus, at non paternæ felicitatis hęres. Prima illi expeditio in Callecos, & Legionenses principio felix, exitu non ita. Oppida incensa, & quidquid Legione instauratum à nostris erat, dirutum, disturbatumque. Affuit Castellæ Comes, qui Mauros illata clade fugauit. Vexauit Hispania sequens annus dira fame. Quo Rex Veremundus obijt ex Podagra, ad oppidum Beretium, sepultus Villabonæ, postea Legionem translatus. Habuit duas vxores, Velasquitam, quam temporum licentia repudiauit; Eluiram, ex qua genuit Alfonsum & Therasiam. Iunior stupri consuetudine cum duabus sororibus, Ordonium, Eluiram, Sanctiamque.

Miraculum. *En Calacanasor Almanzor perdio el tãbor.*

Abdemelichus. *Mauri victi.* *Obitus Regis.* *999.*

AL

ALFONSVS V. LEGIONIS REX.

CAPVT IX.

ALFONSI V. teneram ætatem Regia disciplina instituendam Melendus Gonsalius Callecciæ Comes, & vxor eius nomine Maior, susceperunt, ex testamento Patris, & procerum consensu. Tanta in vno viro, prudentiæ, & æquitatis erat opinio! Regnum ergo ad Regis idoneam ætatem fidelissimè gubernatũ ab his. Cui, vt maior esset authoritas, filiam Eluiram matrimonio sociare, ex qua Veremundum, & Sanctiam genuit. Altero Regni anno seculari, qui fuit à Christi natiuitate millesimus, Sanctius Tremulus Vasconum Rex obijt. Cui Sanctius filius ob res præclarè gestas cognomento Maior, successit. Regnauit annos triginta quatuor. Alfonsus viginti nouem. Castella tunc erat in armis, diuisis procerum studijs, quod Sanctius Garsia ab authoritate Patris Comitis Garsię Ferdinandij, (incerta est causa,) discesserat. Fortè paterni imperij diuturnitatè fessum libido dominandi ad facinus impulit. Pugnatum vtrinque, & sic Castellæ vires discisæ, & debilitatæ ad eam inuadendam locum Mauris prębuerunt, Comes Garsias vt hosti communi occurreret, viribus impar cum eo pugnare: à quo victus, & occisus est. Tunc Sanctius filius adijt hæreditatem paternam, vir dignus imperio, fortitudine, & prudentia Patre non inferior, ni virtutes insignes vna in parentem impietate fœdasset. Eo bello multa Castellæ oppida incensa, dirutaque à Mauris, ad annum. 1006.

Melendi Gonsalij integritas.

1000.

Sanctius Maior.

Sanctius Garsia contra patrem.

Comitis mors, & Sanctij successio.

Nata interim dissidia inter Mauros Arabum imperium ad ruinam traxerunt. Mortuo Abdemelicho Alhagibo successit in administratione Abderrahmanus homo ingenio prauo, ignauoque, sed intra quintum mensem sublato, Mahomad Almahadius, correptis armis

1006.

Maurica dissidia.

armis Hisemum otio, & sagina inutilem comprehensum secretò custodit, simulans occisum, iugulato quodam ei simillimo, & Regnum occupat. Hi tumultus Zulemam Hisemi propinquum ab Africa cum magnis copijs euocarunt. Qui Comitis Sanctij auxilijs adiutus Almahadium ingenti clade superauit. Triginta quinque Maurorum millia cæsa, robur Maurici Regni. Sanctij Comitis virtute eo modo fractæ Cordubensis Regis vires. Almahadius inclusus in vrbem, vltimum, quod prudenter desperatis rebus remedium, prouiderat, Hisemum solutum, viuum, quem putauerant mortuum, militibus ostendit. Regem, quem ille occisum euulgarat, agnoscunt. At cùm occupati animi monita respuissent, vrbe relicta æmulo, Toletum se fugâ proripuit.

Atrox inter Mauros pugna.

Erat ab Almahadio Almaharius Alhagibus constitutus, qui ad Catalaunos supplex pro auxilijs profectus, magnis propositis præmijs, Raymundum Barcinonensem, & Armengaudum Vrgelitanum Comites ad auxilia permouit. Nouem Christianorum millia his ducibus eo bello, sub Maurorum signis militare. *Proh pudor, quanto æquius in occasione tanta fuisset, communi religioni, & Hispaniæ recuperandæ vires sociasse Christianas, quàm alienæ libidini militare!* Commisso ancipiti prælio vtraque cornua vicerunt. Zulema, Sanctiusque initio magnam hostium multitudinem strauerunt. Cecidit in his Vrgelitanus Comes, duo Episcopi,
1010. Æthius Barcinonensis, Otho Vrgelitanus. Almahadij virtute restituta pugna, victoribus erepta victoria est. Zulema victus, & fuga seruatus opportuniori se tempori reseruauit, Anno hæc 1010. Raymundo profecto, Almahadius insidijs Almaharij per summum flagitium interijt, & Hisemus in Regnum est restitutus. Zulema ad Sanctij Comitis auxilia recurrit. Præoccupauerat Hisemus, qui sex arcibus, quas Mahomad Alhagibus illi eripuerat, restitutis, Comitem in partes attraxerat.

Occupat

Occupat intereà Abdalla filius Almahadij Toletum, seque Regem dicit, & Therasiam, Alfonso fratre Rege Legionensi concedente, ducit vxorem, prætextu sectæ Mahometanæ abdicandæ. Fœmina nuptiarum nocte corporis copiam barbaro negare, ni prius, vt promiserat, se lauacro sacro lustraret. Ille libidinis impatiens vim attulit. Sed statim graui correptus morbo Therasiam fratri remisit. Zulema tandem contractis vndique copijs, Cordubam expugnat, Hisemo in Africam abire compulso. Breue fuit Regnum, & Maurorum in Hispania vires accisas ab Africa noua auxilia suppleruut. Omnia explicare narratio importuna fuisset, quia implexa res Maurica est, & molesta. Hoc tamen constat. Multa in Hispania Regna ex illa perturbatione Maurorum emersisse, singulasque principes ciuitates per se constituisse principatum, vt Cordubense Regnum in lacinias dilaceratum, agente diuino numine in perniciem, facilius interiret. Sed quod magis miremur, in illa rerum parturbatione nullos Christianis ad recuperandam Hispaniam spiritus affuisse. O gentis pudor, & priuati affectus ambitio, negligentiaque communis! Vna Regis ætas imbellis potuit hæc nondum aduertere.

Abdalla Rex Toleti.

Therasia Mauro nupta, & remissa.

Diuersa Maurorum Regna.

Sanctius Comes vnus exemplo fuit, quem si reliqui voluissent imitari, Arabum prorsus Imperium euertissent. Qui contractis copijs, tanquam Patris mortem vlturus, in Maurorum fines inuasit. Vastato agro Toletano, & nemine resistente, Cordubam vsque progressus. Vtraque ciuitas eodem impetu in potestatem veniret, si reliqui sociatis armis accurrissent. Tandem à Mauris redempta pax ijs, quas victor voluit imponere, conditionibus. In his corpus Patris restitutum. Oppida, superioribus bellis amissa, reddita. Præda retenta omnis. Tunc militaria stipendia sunt instituta, cùm antea sola prædæ spe, militia priuatis expensis exerceretur. Magna inde gratia Sanctio Comiti, & popularis fauor conciliatus. Fæda-

Sanctij comitis victoria.

Stipendia militaria quando cœpta.

Y 2 uit

uit victoriam cædes materna, minor tamen à materno scelere culpa. Necem illa filio veneno prior machinata fuerat, sceleri flagitio addito, quòd amore cuiusdam Mauri potentissimæ libidinis teneretur, & viuo filio nefariæ luxuriæ flamma restingui non posset. Venienti ergo à venatione fesso medicatum vinum obtulit. Sed insidijs detectis, simulatisque, officiosè matrem præbibere compulit. Bibit illa, licèt coacta, & sic mori proprio deprehensa scelere compulsa. Inde præbibendi, prægustandique potus in Hispania mos. Alfonsus Rex inter Maurorum discordias tantum studia pacis amare. Conuentum procerum Ouetum cogere, in quo de legibus Gottorum reformandis actum. Filij Vigilæ Comitis, à quibus tot mala nostris venerant, in gratiam recepti. Tandem Rex in Lusitaniam abijt, & dum incautus ciuitatis Visei muros explorat, emissa sagitta confixus obijt, anno 1028. Reliquit filios Veremundum successorem; & Sanctiam. Barcinonensem Principatum Raymundi filius Berengarius Borellus obtinebat, homo ignauus. Bernardus Tallaferrus rem Christianam eo tempore turabatur, Comes Besalu, cui merso in Rhodano successit Vuifredus Zerdaniæ Comes, qui Mauros victos ex ea prouincia eiecit.

Maternũ scelus.

Mos præbibendi.

Alfonsi nex.

1028.

Berengarius Borell.

VEREMVNDVS III. ET Sanctius Maior Vasconum.

CAPVT X.

EO anno mortuus est Sanctius Castellæ Comes, quo Veremũdus Patri successit. Sanctio successit Garsias filius magnæ spei adolescens, & à Vigilæ Comitis filijs per summum scelus interemptus breui est. Occasio hæc. Erant Garsiç duç sorores, Nunia (Eluira alijs) & Thetasia. Nunia Sanctio Vasconum

rorum Regi matrimonio vincta erat. Et ab ea nati iam Garsias, Fernandus, Gonsalius. Therasia Veremundo data. Sanctia Veremundi soror Garsię Comiti pacta. His matrimonijs Christiana respublica videbatur immota. Legio ciuitas Regia designata erat matrimonijs celebrandis. Rex Sanctius cum filijs interesse voluit. Comes Garsias adolescens, & amans moræ impatiens, visendæ sponsæ studio, relicto Rege, qui lento gradu, cum exercitu sequebatur, cum paucis Legionem se proripuit. Obuiam filij Vigilæ processerunt, officij gratia, genuaque tangentes, manum ad oscula poscentes, in Patris vindictam præmeditatum facinus peregerunt. In templi aditu quo nuptialis pompa conuenerat, à coniuratis repetitis vulneribus, interemptus est. Rodericus natu maior, qui Comitem è sacro fonte leuarat, primus ferire ausus: reliqui vulnera ingeminare. Sanctia priùs vidua quàm vxor, exanime complexa corpus, parum abfuit quin se cum marito viua eodem sepulchro conderet, omnia miseris eiulatibus complens, cælum, terramque in sceleratos obtestans. Sequuta rerum mutatio.

Vigilæ filiorum flagitiũ. Comitis nex.

Rerum mutatio.

Sanctius Rex Castellæ principatu auctus, Legionensi Regi suspectus esse. Nefarij parricidæ à Rege Sanctio conquisiti diligenter, comprehensi & combusti: heu quem fructum habuistis, perfidi, & scelerati homicidæ! Inter Veremundum, & Sanctium natum bellum his conditionibus finitum, & stabilita pax. *Sanctia Veremundi soror Ferdinando Vasconis Regis filio nubito. Quidquid eo bello fuerit amissum in Ferdinandi potestate esto, nomine dotis. Post obitum successorem renuntiato. Castellã Regni titulo, post patris, matrisque obitum obtineto.* Sic vniuersa Christiana respublica ad vnam familiã redacta est. Ita Sãctius non solũ Maioris, sed Imperatoris Hispanię nomen est assequutus, cùm Regibus magnificis titulis subditi blandiantur. Inde in Mauros expeditio à Sanctio adornata, & erat exercitata, promptaque militia. Cordubam vsque armis penetratum,

Pacta inter Veremundũ & Sanctium.

Castella in Regnũ transit.

Sanctius Maior Imperator.

tratum, & nemine resistente, longè, lateque vastata prouincia. Maiora tamen cogitantem domesticum infortunium reuocauit.

Garsiæ falsum crimen in matrem.

Nihil Hispanis ea tempestate charius equo, & armis. Generosum equum, quem domi reliquerat, Reginæ Rex vehementer commendarat. Eum Garsias filius petijt sibi dari, nec abnuebat mater, ni Regem id molestè laturum Petrus Sesius præfectus stabulo monuisset Reginam. Negati equi dolorem impius filius, obiecto matri adulterij crimine solari, conatus Ferdinandum fratrem in partes trahere, inuitum, & se neutri parti assensurum obtestantem. Rex vehementer commotus (vt par erat,) totum negotium ad conuentum procerum retulit. Decretum, more illo sęculo rudi seruato, *Reginæ innocentiam, armis probari. Reginam interim custodia teneri.* Erat Sanctio Regi filius extra matrimonium, Ramirus nomine, qui Reginæ casum miseratus, & falsum subodoratus crimen, singulari certamine se Reginæ innocentiam probaturum publicè spopondit. (Solenne id erat Hispanis.) Turbatus Rex, seu Regina vinceret, aut vinceretur, quid ageret ignorabat. Discussus timor est, cuiusdam viri Sancti crebris exhortationibus, quibus fratres ad explicandum, fatendumque crimen permouit, & ad veniam deprecandam impulit. Quam iram in filios; quam misericordiam in sanctam, innocentemque Reginam Rex conceperit, quiuis æstimet. Rex ergo negotium ad matrem reijcit, siue veniam, siue supplicium in ingratos filios pronuntiaret. Mater tamen procerum importunis precibus, filiorum lacrymis flexa est. Probata innocentia Regno dedit filios, sibi gloriam, Ramiro pro defensa pudicitia Regnum Aragoniæ datum. Sic inter opiniones à nostris scriptoribus expunctum Superiùs tamen diximus non ab hoc Ramiro Aragonios Reges, deduci, sed à Sanctio Abarca Nauarræ, & Aragoniæ Rege: ex Hieronymo Blanca, & alijs.

Criminis solutio. Sentētia.

Regni Aragonij initium.

Sanctius Iam ętate grauis ad studia pietatis conuersus, post.

post oppida à Mauris diruta, qua recepta, qua instaurata, Ouetú peregrinatione suscepta, ad inuisenda Sanctorum corpora, quę ibi multa erant, in itinere à quibusdam conjuratis interfectus est. Causa, & interfectores ignorantur. *Adnatum odium potentiæ creditur, & inuidia magnis accrescens rebus.* Necatus est anno 1035.

Sanctij Maioris nex. 1035.

FERDINANDVS CASTELLÆ, Garsias Nauarræ.

CAPVT XI.

INTER Sanctij Maioris filios, prauo consilio, & contra Regni naturam, quæ diuisionem vetat, ita diuisum est Regnum. Garsiæ natu maximo Vasconia, & Cantabriæ Ducatus. Ferdinando Castella Regni titulo. Gonsalio Suprarbe, & Ripagorsa. Ramiro ex impari matre, Aragoniæ Regnum cessit. Omnes isti noui Reges noua inter se bella gesserunt. Cùm Regnum indiuidua res, diuisum, bella, dissidiaque pariat. Legione Veremundus regnabat: cuius Regni terminus Pisorica fluuio definiebatur. Barcinoni Raymundus cognomento Senex dominabatur, qui corpore paruo magnos gerebat spiritus. Eius virtute multa oppida ignauia Patris amissa Mauris adempta. Duas habuit vxores Radalmurim, & Almarim. Ex priori Petrum, & Berengarium, cui cognomen Caput stupæ, suscepit. Interea Garsias Rex Vasconum, seu voti reus, seu obiecti matri criminis eluendi causa Romam ad Apostolorum limina proficiscitur.

Ramirus frater occasionem amplificandi Regni fratris absentia ratus opportunam, armis Vascones inuasit. Reuersus à peregrinatione Garsias Ramirum Tafallam obsidentem inuenit. Quem repente arreptis armis cum exercitu oppressit. Nudum in equum sine fræno, & Ephip-

Bellum fraternū

Ephippijs insilientem ad Suprarbem fugauit Aragonia spoliatum. *Necessario supplicio, vt qui alienis inhiat, amittat propria.* Rex Veremundus in Ferdinandum Castellæ Regem non satis æquus erat. Assentatores, pessimum, & assiduum in aulis hominum genus, inter eos bella serere. Veremundus ergo contra Ferdinandum arma mouit, amissa bello repetiturus. Ferdinandus viribus impar ad Garsiæ fratris auxilia recurrere. Ad Lantadam oppidum, & Carrionis ripam in Tamaronis valle pugnatum. Veremundus equi velocitate, & viribus confisus, magno impetu sese in medios hostes infert, Ferdinandum ad singulare certamen magna voce compellans. Sed dum temerè vagatur, lancea traiectus cecidit. Idem Regni, & vitę finis fuit.

Veremūdi nex.

Secundum hanc victoriam Regnum Legionense ad Ferdinandum deuolutum. Rex ergo Legionis, & Castellæ, magna gentis alacritate in eadem ciuitate Regia proclamatus, anno 1038. Regnauit annos viginti octo, & semestre. Ergo Ferdinandus, cui Magni cognomen, res gestę, vitæ probitas, diuturnitas imperij, numerosa filiorum proles, duo Regna in vnum contracta pepererunt, bellum sacrum Regno in Mauros indixit. Ex vtraque natione numerosus exercitus, duce Rege, in Extremaduram irrupit. Mauri cæsi, fugatique passim, ingens abacta prçda. Non pauca oppida in potestatem venere. Inter illa Viseum in Lusitania vrbs circumsessa, captaque. Lætior victoria, quòd captus ille sagittarius, qui Regem Alfonsum occiderat. Pœna oculi effossi, vtraque manus truncata, pes alter amputatus, membra iaculandi administra, sic punita omnia. Hæc anno 1040. Altero anno expugnata Conimbrica, & oppida alia, quibus imposita valida præsidia. Hostium plurima manubia Compostellam ablegata, quo Rex se contulit, Deo, B. Iacobo, Diuisque tutelaribus gratias acturus, triumphantisque honore Legionis, Castelleque ciuitates obiturus, & ad bellum, quod ingens meditabatur, subsidia. Interea Gonsalius Suprarbis Rex insidijs Ramoneti

Ferdinādus Castellæ, & Legionis Rex. 1038.

Ferdinādi expeditiones.

1040.

Gōsalius Rex Suprarbis occisus.

neti Vasconis occisus est; Regnum frater Ramirus suscepit. Qui viribus auctus Aragoniæ Regnum, a quo fuerat à fratre deiectus, repetere statuit. Inde bellum denuo fraternum exarsit, anno 1045. Quo Ferdinādi Regis arma victricia Carpentanorum agros longe, lateq́ue populabantur. Carraca, Complutum, Madritum, multęque aliæ vrbes intolerandis cladibus afflictæ. Toletanus ager vastatus. Vzeda, Talamanca captæ, & præsidio munitæ. Reges Mauri Toletanus, Cæsaraugustanus, Hispalensis terrore belli perculsi, magno auri. argentiq́ue pōdere, & annuo vectigali pacto, pacem redemerunt. Quàm gloriosum nomini Christano leges dare iam ijs, à quibus dudùm seruitutem durissimam patiebamur. 1045.

Eo tempore corpus D. Isidori diuinitus Aluito Legionensi, Episcopo monstratum est. Erat in fœdere quod Benabethus Rex Hispalensis cum Ferdinando percusserat, expressum. *Corpus D. Iustæ reddito.* Ad sacras asportandas reliquias Aluitus Legionensis, Ordonius Asturicensis Episcopi. Nunius Comes, Gonsaliusq́ue viri primarij, cum præsidio militari ablegati. Ciues Hispalenses, quamuis Religionis alienæ, coeuntes, inter quos non pauci Christiani conuenerant, contra pacta coniurant. Contenduntq́ue se non permissuros legatis Virginis corpus. Dubitantes legatos quid agerent, in alieno Regno, interq́ue barbaros ius gentium violare paratos, nox oppressit graui sopore. Tunc D. Isidorus forma augustior humanâ in somnijs Aluito apparuit. Diuinam voluntatem esse ait, vt pro corpore Virginis suum inde Legionem asportent. Locum, in quo adhuc ignotum iacebat, ostendit. Fidei argumentum fore, eum post inuentum corpus moriturum. Hæc omnia, vt monstrata sunt, euenerunt. Ergo refossum corpus Isidori cum Aluiti corpore statim cadente Legionem apectum. In itinere non pauca miracula contigerunt, quorum mentionem facere non est otium. Quæ omnia

Miraculum corporis D. Isidori.

1050. prope annum 1050. sunt acta. Quo tempore duę Regiæ puellæ, Mahometica superstitione abiurata, sacra nostra susceperunt. Casilda Regis Almenonis Toletani, & Zaida Benabethi Hispalensis. Casilda innata commiseratione Christianos captiuos clam Patre, cibo, potuque, blandis etiam verbis in miseria illa solari. Pater filiam in illo pio ministerio, suspicatus quod erat, deprehensam, quid ferret, exquirit. Illa explicata veste, quos ferebat cibos, in rosas conuersos Patri ostendit. Quo miraculo, & in somnijs admonita, si velit à sanguinis fluxu, quem patiebatur, sanari, se ad lacum S. Vincentij in agrum Veruiscanum conferret. Factum ita. Sacris nostris susceptis sanata, Domunculaque ędificata mirabilem egit vitam. Zaidę Hispalensis conuersio inter Isidori miracula computatur. Apparuit illi in somnijs augustissima forma, blādaque voce maturare, quod animo conceperat iussit (cogitabat illa Casildæ statim.) Pater cùm filiam pariter, & Regnum amaret, & animos subditorum à se alianere vehementer timeret, si filię precibus publice annueret, cùm illi negare, quod importunis precibus obsecrabat, noluisset: Re cum Alfonso Ferdinandi filio communicata, filiam ad condictum locum, recreationis ergo, ac si tuta omnia essent, perductam, compositis Alfonsi obiecit insidijs. Abductam ergo puellam, & sacro fonte lustratam consequenti tempore duxit vxorem, Elisabethamque nominauit, licèt concubinam Regis fuisse malint alij. Sed de hoc sermo recurret.

Duæ Regiæ puellæ cōuersæ ad fidem.
Casilda.
Miracula.
Zaida.

Anno deinde 1053. inter Garsiam Vasconum, Ferdinandumque Castellæ bellum ad Garsiæ perniciem exarsit. Ferdinandus Viruescæ agrum, & Riuogiæ partem tanquam sui iuris repetere. Contrà Garsias iniqua Regni diuisione iniuriam sibi factam queri. Ventum inde ad arma cupiditate regnandi. Prior Ferdinandus cum iam castra castris essent collata cōditiones pacis offerre, ne se fraterno bello pollueren. Iuris, & æqui sententiæ stare mallet, quàm tot innocentium sanguine cōtrouersias

Fraternū bellū.
1053.

ſias dirimere. Superbè ad omnia Garſias,& verborũ inſolentia, procerum, & pędagogi, qui primus in pugna cecidit, monita repulit. Sic Garſias in interitum ruebat! Commiſſa pugna, non diu victoria dubia. Nam cadente pędagogo impetum reliqui non tulere. Erat enim Ferdinandi exercitus ſuperioribus bellis induratus. Duo Vaſcones milites qui ad Ferdinandum antea defecerant, per cohortem Regiam irrumpentes, Garſiam haſta traiectum peremere. Fęda ſtrages,& ſequuta fuga. Ferdinandus Chriſtianis parcere, Mauros quos in auxilium Garſias attraxerat, perſequi iubet. Quorum paucos fuga ſeruauit. Corpus Regis in patriam à militibus auectum, iubente Ferdinando. Reliquit Garſias quatuor filios, filias totidem è Stephania vxore. *Garſiæ nex·Ferdinandi victoria.*

Sanctius natu maior Patri ſucceſſit. Mortui Regnum fraterno bello imminutum. Nam Ferdinandus, oppida tractumque Regionis, cuius cauſa bellum erat ſuſceptum, occupauit. Ramirus Aragoniam armis recepit, ditioneque auctus Maurorum reliquias extinxit in Ripagorſa. Inter eum, Sanctiumque honeſtis conditionibus ictum fœdus, cum vtrique Ferdinandi potentia formidabilis videretur. Anno deinde 1055. in Hiſpaniam à Pontifice, & Imperatore venere legati, qui Ferdinandum ab Imperatoris, quod vſurpauerat, nomine abſtinere, Ius imperij accipere, (quòd Hiſpaniam ad Imperatores pertinere, pertinuiſſeque ſemper, conſtaret,) iuberẽt. Aliter eum, cæteroſque parere nolentes anathematis gladio ferirent. Rex pius rem ad Procerum conuentum reiecit. Dictæ in eo ſententiæ, pro religione, aut metu, aut audacia. Erat eo tempore Rodericus Diacius, cui poſtea cognomẽ Cid à Mauris impoſitum, vir cui nemo par, conſilio bonus, manu promptus, & admirandus militari virtute. Occiderat hic paulo ante Gometium Comitem Gormatij, cuius fortitudinem admirata Ximena Comitis filia Regem adierat, obtinueratque vt, vel lege in Rodericum ageret, vel eum ſibi maritum daret. Duxit ergo Rodericus Ximenam,

Sanctius Nauarræ.

1055.

Legatio Põtificis & Imperatoris.

Roderici Diacij virtus.

nam, qui ditione auctus priuatis viribus quinque Mauros Regulos vicerat, dimiseratque ea lege, vt ex fide ad statam diem impositum sibi vectigal afferrent. Quod cum illi statuta die in procerum conuentum intulissent, Rodericumque suo idiomate Cidum appellarent, id est, Dominum, multorum contraxit inuidiam. *(Indiuidua est illa comes felicitatis aliena.)* Aberat ergo tunc à Regni conuentu, cum Rex, proceresque quid responderent, consultabant. Visum Regi, antequam quidquam diffiniretur, Roderici sententiam expectare. Accersitus ergo: & ille. Armis, ait, partam libertatem, armis oportere tueri. Et vt erat ingenio ardenti, & feroci, magna voce Patriæ proditorem appellare eum, quicumque contra sentiret, & ad singulare certamen prouocare, seminudumque ensem ostendens: hoc, dixit, gladio, singulos, qui contra sentitis, sentire mecum compellam. Extimuere omnes, & contra ire ausus nemo, neque mutire. Tanta in Roderico fortitudo bellica, & admiranda virtus, vt vnus homo libertatem, & immunitatem nobis attulerit!

Roderici libertas, & audacia.

Secundum hanc sententiam dimissi legati, & Regni delectus haberi, si quid Imperator molIretur. Grandis in armis exercitus erat, & Rodericus omnia curare iussus. Placuit ad vires ostentandas Tolosam vsque penetrare in Galliam. Missa inde ad Pontificem honestissima legatio à Roderico; inter legatos res maturiùs disputata, & in Cardinalium conuentu discussa. Tandem secundùm Ferdinandum pronuntiatum, & Hispania ab Imperatoris iure exempta. Tantæ libertatis momenta ab vno Roderico sententias Patrum ad Hispaniam inclinarunt! Exercitus absentia, Mauri oblatam occasionem rati, contractis viribus Ferdinandi Regnum inuaserunt. Erat Rex ætate grauis, bellis superioribus fessus, exhaustum ærarium.

Hispania libera ab Imperatoris iure.

Sanctia Reginæ animus.

Sanctia Regina virili animo fœmina, Religionis propagandæ studio incensa, omne aurum, quod in priuatos vsus habebat, liberaliter in stipendia, vsusque mili-

lita-

litares effundere, quo Rex in Mauros expeditionem adornauit. ¶ Populationes vbique, cladésque Maurorum! Catalauni, Valentinique agri vastati. Eodem impetu, in Carpentanos irruptum: vi, ferro, flammáque grassatum, præda ingens; Reges solitum vectigal pendere compulsi. Tandem Rex Ferdinandus gloriosus meritis, pietate, religione, & militari disciplina clarus obijt, anno 1065. Obitus Christianis Principibus exemplo fuit. Cilicio indutus, cinere consperssus, lacrymarum fonte perfusus, quàm vana hęc, & inania fassus, sacramentis omnibus procuratus, Regnorum lamentis, veroque luctu, pater patriæ, vindex libertatis, Christianę religionis assertor accerrimus, magis Regni dolore, quàm funeris pompa sepulchro illatus.

Vltima Ferdinãdi expeditio.
Victoria
Obitus. 1065.
Notãdus Regibus obitus.

Tanti Regis vitæ sanctitati confirmandæ non defuere miracula. Græculo cuidam neganti D. Iacobum in bello vnquam Hispanis apparuisse, quòd piscator, non miles fuisset, in expugnatione Conimbricæ, eadem hora qua expugnata est, incredulo Iacobus apparuit habitu militari, Regi tradens ciuitatem. Ante obitum à D. Isidoro finem vitæ instare admonitus est. Omitto alia multa, quæ tanti Regis mortem precesserunt. Sanctia vxor biennio superuixit, orationi, pijsque operibus dedita, & tanto viro digna.

Miracula.
Regina obitus.

SANCTIVS CASTELLÆ, RAMIRVS Aragoniæ.

CAPVT XII.

SANCTIO natu maximo Castella. Legio Alfonso. Callecia, & Lusitaniȩ pars, quæ nostris parebat, Garsię. Zamora, Vrracę; Taurus Eluiræ, testamento Patris obuenere. Regni diuisione

uisione pax non potuit esse diuturna. Sanctium Regem virum mitem, & ingenio facili adulatores corruperunt. Inde querelę, à querelis ira, iræ ab aulicis faces subditæ. Ventum tandem ad arma. Causa prætensa, iniuria erat in Regni diuisione: quod integrum sibi deberi Sanctius affirmabat. Suppressa hæc ad matris obitum. Post mortem Legionense Regnum dotale matri Sanctius ad se pertinere disputabat. Quærebatur occasio inferendo bello. Ramirus interim Aragoniæ Rex armis è tota ditione Mauros expellere. Oscæ, Cæsaraugustæ, Illerdę Reges vicerat, & vectigales fecerat. Celtiberi, & Carpentani dudum Ferdinandi armis domiti rebellare. Sed à Sanctio celeri expeditione Carpentani ad officium reuocati. Celtiberi non prius, quàm armis domiti. Cęsaraugusta ad deditionem ea lege compulsa est, vt quoniam à fœdere Aragoniæ discedendum erat, Sanctij armis, tam à Christianis quam à Mauris tuta esset. Inde belli semina iacta. Sanctius apertè queri, Regem Vasconum, & Aragoniæ Ramirum contra eum arma sociasse. *Quæsita occasio solet esse obuia.*

Ramiri gesta.

Sanctij gesta.

Interim Aragoniæ Rex Celtiberos, quos ad Castellam Sanctius pertinere asserebat, prior inuasit, & Gradus arcem obsedit. Sanctius ad soluendam obsidionem correptis armis accurrit subitò. Cuius improuiso aduentu, & simul ab oppido facta irruptione, à fronte, tergoque impetiti Aragonij, hostibus terga, necique latera nudarunt. Magna perturbatione dissipatus, cęsusque exercitus est. Rex ipse Ramirus in promiscua cæde necatus anno 1067 Gregorio septimo Pontifice in eius obitu, oratione habita, multa præclara, eximiaque in Ramirum congesta. Calamitosa Christianis, ipsique victori fuit victoria, quòd Regnum Sanctius à cæde patrui fuerit auspicatus. ¶ Suscepit Aragoniæ Regnum Sanctius filius pietate par. Patrueles erant in Hispania Sanctij Reges tres. Duo Sanctij Nauarræ, & Aragoniæ, in Sanctium Castellæ potentiorem arma iunxerunt. Ad Vianam in Vasconibus, quo Sanctius Castellæ

Ramiri nex. 1067.

Tres Sanctij Reges gessimul.

Castellæ penetrauerat, acriter pugnatum. Castellæ Rex victus, in patriam repulsus est. Amissa superioribus bellis eo prælio recuperata. Sic animis ad ciuilia bella conuersis, Mauri quiescebant. Sanctius Castellæ nulla iuris, æquique ratione rabiem vertit in fratres. Primus Alfonsus ausus pugnare victus à fratre est. Reparatis deinde viribus ad Golpe Laram, siue Vulpeculariam iterum dimicatum, contraria fortuna, victus est Sanctius, & fusæ Castellæ copiæ.

Sanctiu Castellæs victus.

Ex victoria nata securitas victorem Alfonsum perdidit. Sequebatur Sanctium Rodericus Diacius, cognomento Cidus, vir nunquam pro dignitate laudatus. Is retractos à fuga milites hostium castra summo mane iubet inuadere. Res, vt ille prouiderat, accidit. Alfonsi milites somno, vinoque sepultos, & nihil minus, quàm pugnam cogitantes oppressit, & Regem ipsum cepit. Quem Sanctius frater Burgos in custodiam misit, anno 1071. inde concedente fratre Sanctio in Cænobio S. Facundi, ea conditione, vt in monachum detonsus reliquam vitam ageret, est inclusus. Accepta conditio, sed ab inuito. Consilio deinde Petri Ansurij Comitis viri primarij, & Vrracæ sororis, posito monachismo, Toletum ad Regem Almenonem fuga elapsus est, barbari fidei, quàm fratris clementię se credere maluit, pro amicitia, quæ inter ipsum, patremque Ferdinandum intercesserat.

Sanctius victus, & victor 1071.

Alfonsi fuga.

Erat Barbaro gloriosum, Regem, cui parere debebat, in potestate habere. Sic tandiu apud se habuit, donec rebus mutatis verum dominum habere compulsus est. ¶ Vrraca soror pro amore erga fratrem sollicita, à Rege Sanctio tres fratres Ansurios, Petrum, Gonsalium, Ferdinandum, aliosque nobiles viros in exilij solatium impetrauit Alfonso, quibuscum viueret. Quos omnes Rex Almenon liberaliter susceptos militaribus stipendijs ad futura bella sibi conciliauit. Cui contra Mauros tantùm fidelem operam præstare ne contra Christianos expeditione suscepta, tantę nobilitati

Alfonsus apud Regẽ Toletanum.

cati notam inurerent. Ipse quoque Alfonsus suauissimis moribus, Regi assiduus comes, magnam sibi apud barbarum gratiam quærere. Vitæ tamen periculum adijt, quòd in Regis præsentia capillos erectos sæpiùs malum omen Mauris prænuntiare, eorum harioli diuinarunt, de medioque tollendum hospitem suaserunt. Barbarum tamen adducere non potuere, vt semel datam fidem violare voluisset, quam Rex Alfonsus perpetuam inter eos fore iuraměto sanxerat. Iuramento tamen ob metum renouato contentus Barbarus est.

Sanctius Regna occupat.

Sanctius interea fraterna Regna, qua vi, qua sponte occupat. Erat Garsias propter ignauiam, & vitam indignam Regno, omnibus inuisus, quòd se, suaque omnia cuidam scurræ permiserat. Ergo desertus à suis, & à Mauris, quos in auxilium euocarat, facilè in Sanctij fratris venit potestatem, commissa pugna ad vrbem Scalabim. Quem Sanctius Rex in arce Lunæ custodiæ tradidit, in qua homo ignauus, ore procax, & in squalore tetram vitam ad Regnum Alfonsi fratris perduxit: quo Regnante in libera custodia vitam finijt.

Garsias victus & Regno spoliatus

Tota ergo paterna ditione potitus Rex Sanctius, totius iuris humani, diuinique oblitus, neque sororibus parcere voluit. Vtracam primò aggressus Zamoram obsidere. Ciuitatem Arias Gonsalius vir summeprudentiæ, belli tempestatem præuidens, commeatibus, quos abundè congesserat, cæterisque ad tolerandam obsidionem necessarijs satis munire. Sed quæ vna ciuitas aduersus tantum Regem? Venisset profectò in potestatem, ni Regis intempestiua nex Vrbis direptionem auerteret. Vnus è ciuibus Bellidus Athaulphus, cùm pro patria se magno animo deuouisset, simulata fuga in Regis amicitiam admissus, quasi ciuitatis aditum, secretaque consilia communicaturus, muros, qua parte ferro possit in vrbem penetrari, Regi demonstrãs, attento, & loca exploranti, nihil minùs quàm insidias metuenti, librato venabulo, necem intulit. Exciti Regis voce milites accurrere, sed iam parricida in vrbem

In sorores bellũ

Bellidi Athaulphi facinus.

Sanctij Regis nex.

per

pernici cursu sese retulerat. Galleci, Legionenseſque impium bellũ deteſtati, domos abierũt. At Caſtellani pars Regem ad Oniense monaſterium detulere, pars in caſtris remanſerunt, ad vindictam animo pertinaci. Ex his Didacus Ordonius à Lara familia illuſtri, vir peritia militari, & rebus geſtis clarus, fulgentibus armis, inſigni equo, ſe in ciuitatis cõſpectum dedit, & vnde clarè poſſit audiri, contenta voce Zamoræ ciues, (vt mos Hiſpanis erat.) parricidas, proditores compellat, & ad ſingulare certamen prouocat, more patrio. Moſque erat noſtris, vt quicumque ciuitatẽ proditionis accuſaſſet, cum quinque viris, quos ciuitas ſelegiſſet, certamen armis iniret. Si prouocator vinceret litem obtinebat, ſin vinceretur, ciuitas ab impoſito crimine libera, purgataque erat. Conticuere omnes ad voces, nemóque auſus eſt ad certamen prodire, qui patriæ crimen obiectum depelleret armis. Vnus Arias Gonſalius, cùm propter ætatem ipſe non poſſet, quinque filios ad certamen armare. Quorum tres Didacus ſumma dexteritate peremit. Rodericus tamen quartus accepto lethali vulnere, cum præceps ad vindictam in Didacum irruiſſet, aberrante gladio equi habenas abſcidit. Vulneratus equus Ordonium extra metam, definitoſque terminos rapuit ferox fruſtra retinere conantem. Ita certamen diremptum eſt, cum iudices ad id delecti in neutram partem ſententiam dixiſſent. Sic victoria dubia diſceſſum ab armis. Mortuus eſt Sanctius anno 1073. & qui aliena inſatiabili cupiditate regnandi inuaſerat, propria pariter cum vita infelix amiſit.

Didacus Ordonius.

Mos prouocandi ad ſingulare certamen.

1073.

ALFONSVS VI. CASTELLÆ REX.

CAPVT XIII.

MORTVO Sanctio frater Alfonſus ab Vrraca ſorore fœmina prudentiſſima reuocatur in Regnum. Alfonſus ergo de nece fratris certior factus, qua ſe arte à barbari Regis cuſtodia

 libera-

liberaret dubitabat. Petrus Ansurius fugam suadebat. Timebat Alfonsus insidias, & erant viæ omnes infessæ. Extabant præterea à Rege in eum multa, promptaque beneficia. Iudicabat ingrati animi esse, si apud quē amicitia, & gratia tantū valuit, vltima consilia non deponeret. Magno ergo animo Regē adijt, consilia explicat, & oratione composita flectit. Barbarus ergo Alfonsum liberū abire permisit. Tantùm pro se, proque filio Hisemo iuramento renouare datam fidem, & amicitiam exegit. Sic dimissus, & pecunia adiutus totum negotium cum Vrraca sorore communicat. Legionenses statim alacriter susceperunt. Castellani communi gentis conuentu decreuerant Regem admitti, præstito iuramento, se nunquam in fratris necem consensisse, consiliumque, aut opem nunquam dedisse. Rodericus Diacius Cid iuramentum excepit: Inde illi Regis animus infensus, & aulicorum inuidiâ sæpiùs inflammatus.

Alfonsus ergo initio Regni anno 1074. memor Almenonis beneficij, eum de finibus cum Rege Cordubensi certantem, exercitu iuuit, Cordubensi agro vastato, diuite abacta præda. Quo tempore Agneti vxori mortuę Cōstantiam superinduxit à Gallia, ex qua filiam Vrracam suscepit, ad quam rerum summa postea deuoluta est. Anno deinde 1076 petente Rege, missus à Pontifice legatus Richardus Massiliensis Abbas, in Concilio nationis Romana in precationibus sacra, abrogatis Gotticis, ritusque in Hispaniam induxit: & quod magis miremur, sacerdotibus vxores detractas. Non satis miror ad hęc tempora perseuerasse tam alienam ab Ecclesia consuetudinem ab impio Rege Vuitiza inductam! Adeo graue est hoc tam grande malū radicitùs euellere, postquàm prauis se hominū moribus insinuauerit. Tentarunt hoc superiores Reges: & licèt tam perniciosa corruptela sæpius compressa videatur; mortuo tamen Rege ab impuris hominibus repetita est. Bella pręterea, quibus Catholici Hispaniæ Reges assiduè premebantur, causam interpretor, cur ad extirpandam tam improbam,

Inuidia in Cidū. 1074.

1076.

Sacerdotib. vxores detractæ. Cur tanto tempore sacerdotes vxorati.

bam consuetudinem animos non appulerint. *Sed ea sumus conditione nati, vt non nisi imperturbata, & inconcussa pace ad motus animi componendos curam adijciamus.* A nascente enim Ecclesia sacerdotibus cælibatus, tradito ab Apostolis exemplo, qui ad vxoribus abstinuerunt, semper stetit: vt Magnus Baronius in annalibus probat. Ergo ad Reges.

Semper in Ecclesia cælibatus.

Reges Cordubæ, Hispalisque pactum tributum superioribus bellis pendere recusabant. Missus Rodericus Cidus, qui eos ad officium, pro sui nominis fama reuocaret. Hispalensis, Granatensisque tunc de finibus contendebant. Granatensi Regi non pauci Christiani militabant, quibus confisus conditiones pacis ab Hispalensi, & à Roderico Cido, qui Reges inter Fecialis personam assumpserat, superbè reiecerat. Tunc Rodericus contra Granatensem pro Hispalensi stetit in acie. Vir ita natus ad bella, vt insita virtute ad iniurias vindicandas aliena defendenda suscipere non dubitaret, cùm instarent propria. Vbi autem Rodericus constitit, licèt inferior copiarum numero, virtute tamen superior, hostes ingenti strage fugauit, dissipauitque. Regem ad conditiones duriores compulit, qui mitiores accipere renuerat. Tam præclara Roderici eo bello gesta fuerunt, vt ab eo tempore communi vtriusque nationis consensu Bellatoris nomen obtinuerit. Inde noua materies inuidis ad odium.

Roderici virtus & vnde Bellatoris nomen.

Rodericus ergo nouo auctus honore, cum annuo tributo in patriam reuertitur. Qui nouis criminibus à proceribus appetitus apud Regem à superiori tempore alienatum, aut verò, aut simulato importuno morbo, inimicorum conspectum vitare. Accidit opportunè, vt Mauri Gormatij suæ ditionis fines inuaserint. Qui aduersus Mauros, aduersus Christianos non ità, omnis iniuriæ impatiens, subitaria manu in hostes onustos præda, solita celeritate impetum facit. Quibus dissipatis, fugatisque, & recuperata præda, victoriæ ardore ad Toletanum agrum excurrit. Præda ingens abacta, septem

Roderici victoria.

Maurorum millia capta. Inde noua inuidis occasio criminandi. Pacta, conuentaque inter Alfonsum, Toletanumque Reges, ab vno Roderico, homine superbo & indomito, in commune reipublicæ periculum violata. Ergo in procerum conuentu tantùm contra virum fortissimum, & sanctissimum, opinione hominum maiorem, imposita crimina valuerunt: vt Rex exilij sen-

Roderius in exiliū pulsus.

tentiam in eum dixerit, intraque dies octo Regni finibus abscedere iusserit. Ergo ille depositia vxore filijsque apud S. Petrum Cardeniæ, cum valida suorum manu, quam apud se bellis assuetam habebat, apud hostes diuitias, & honores, quos inuidi minuere conabantur, copiosiores habiturus, proficiscitur. Pri-

Gesta Roderici in exilio.

mum Carpentanos adortus, nemine iusto prælio auso occurrere, in Celtiberos penetrauit, & Alcocerium arcem fortissimam expugnatam sedem belli esse voluit. Duos duces cum exercitu iusto, à Valentiæ Rege missos, magna clade superat, & omnem circa regionem latè populatur. Vt verò animi magnitudinem, tam Regi, quàm inuidis, ostentaret: ex diuite præda triginta generosos equos pretiosissimis Ephippijs adornatos,

Roderici magnanimitas.

cum totidem validissimis Mauris captiuis, totidemque ornatissimis gladijs ab Ephippijs pendentibus, tanquam spoliorum primitias Regi dono mittit.

Obstupuere omnes ad legatorum in Rodericum eximias laudes, & captiuæ prædæ diuitias, animique magnitudinem admirantes, obmutuerunt. Sequuta po-

Roderici popularis laus.

puli acclamatio ingens, fausta Roderico omnia comprecantis, ipsum Patriæ parentem, assertorem libertatis, veteres heroas rebus gestis superantem, beneficijs maleficia vincentem, Christiani nominis decus, iniuste pulsum in exilium sæpius ingeminantis. I nunc ô infelix inuidia, vrere virtute, quam exilio, quam victorijs, quam probata fortitudine, auxisti! Rex tamen propter Toletani Regis querelas, exilij sententiam mutare non est ausus: facultatem verò dedit omnibus Cido militandi, vt sic reipublicæ bono consuluisse videretur. Boni multi certa-

ticerta-

ti certatim nomina dare, vt sub tam magno duce militasse dicerentur, à cuius schola fortissimi viri, bello, paceque clarissimi prodierunt, qui sibi, patriæque gloriam sempiternam rebus præclare gestis compararunt.

Interea Sanctius Vasconum Rex à fratre Raymundo, homine turbulento, & ingenio inquieto, regnandique cupiditate inflammato, insidijs appetitus interijt. Ramirus natu maior ad Cidum, duo reliqui fratres ad Alfonsum Regem confugere. Regni proceres contra tyrannum, Sanctium Aragioniæ in Vasconum Regnum, tanquam patruelem euocare. Qui accurrens magnam Regni partem occupauit armis. In ea perturbatione Cantabriæ Ducatus armis Alfonsi cessit. Parricida Raymundus, impurus homo, conscientiæ stimulis agitatus, desertus à Christianis, ad Regem Cæsaraugustanum contendere, apud quem miseram traduxit vitam. Anno 1077. Rex Toletanus Almenon obijt. Filius Hisemus anno, quo regnauit Alfonsi amicitiam persanctè coluit. Defuncto turbata omnia, fratre Rege Hiaiah homine impurissimo, imbelli, crudelique. Quibus vitijs tam Maurorum, quàm Christianorum odium incurrit. Quod Regi Alfonso ad bellum Toletanum, tanquam fœderis iuramento exoluto, quod Almenoni tantùm, filioque præstiterat, viam aperuit.

Sanctij Vasconis nex.

1077. *Almenonis, & Hisemi obitus.*

DE BELLO TOLETANO.

CAPVT XIV.

BELLVM Toletanum in procerum conuentu, post varias (vt assolet) sententias, decretum est. Ager vastatus ad annum 1082. magnam commeatus penuriam ciuitati attulerat, Fame domandam ciuitatem Alfonsus à Mauris in capti-

Bellū Toletanum. 1082.

captiuitate didicerat, cùm aliter inexpugnabilis videretur. Accidit præterea opportunè, vt in Bethica Maurorum motus res Arabum lacerarent. Almofala Regulus arcem Gradus armis ceperat. Adafirus ditione spoliatus ad Regem Alfonsum confugit. Qui non negligēdam occasionem ratus, validam præmittit manum, ipse cum exercitu sequuturus Mauros tempus trahere, iustam pugnare pugnam non audere. Alfonsum Rodericum vocare, belloque præficere, & ad expeditionem Toletanam redire. Affuit illi, quem Rex benignè susceptum, exilij pœna remissa, bellum illud suscipere iubet. Nec mora arx ab illo expugnata, Almofala in potestatem redactus, ad Regem plectendus remittitur. Deinde cùm in Celtiberiam reuertisset, Alfagium Dianij Regulum, & Sanctium Aragoniæ Regem in auxilium euocatum acie vicit, & ad Alfonsum inuitatus venit. Præmium victoriarum, Viruesca, Valeranica, Arcejonia fuerunt. Alfagius contractis vndique viribus rebellans ab Alfonso vastando agro Toletano intento iterum superatur ad Consaburonem, multis Maurorum millibus cæsis. Victoriæ lætitiæ detractum multum, cadente Didaco Viuar Cidi filio, qui iam paternas virtutes referebat. Iuuenilis ardor in confertissimos Mauros rapuit imprudentem.

Roderici Cid victoria.

Eodem anno Raymundus Comes Barcinonensis, ad oppidum Percham insidijs Berengarij fratris circumuentus occiditur. Successit filius Arnaldus infans, diuturnitate imperij, & gloria rerum gestarum illustris. Parricida principatu spoliatus, & subitò mutus factus, exul, & miser Hierosolymis obijt. Toletum interea toties agro vastato, fame, rerumque omnium penuria premi. Non minor in exercitu commeatus inopia erat, & iam omnes prolixum bellum detestari, desertaque obsidione domos fuisset abitum, ni Rex capiendæ nobilissimæ ciuitatis desiderio, summa patientia omnia incommoda superasset.

Raymūdi comitis Barcin. nex.

Ad belli famam à Gallia, Germania, Italiaque Christianorum

ſtianorum magna confluxerat multitudo, quibus Rex auctus ſepternis caſtris ciuitatem arctiſſimè cinxit. Sed quamuis muri pars machinis concuſſa ruiſſet, difficilis adſcenſus, & loci natura inexpugnabilis ab vrbe capienda noſtros vehementer deterruit. Iamque omnes abijcere ſpem tanti perficiendi belli, cùm ſomnium Epiſcopo Cypriano Legionenſi oblatum deſperantes confirmauit. ¶ Ergo Epiſcopo D. Iſidorus in ſomnijs, diſplicere ſibi ſolutionem obſidionis ciuitatis intra quindecim dies in poteſtatem venturæ, modò perſeuerarent, ait. Sic metus, deſperatioque diſcuſſa, ſummaq; alacritate prædictum tempus expectatum. Tunc Mauri cateruatim Regem adeuntes ad pacis conditiones quamuis inuitum traxerunt. A Mauris ergo de conditionibus dedendæ ciuitatis agi cęptum, & legati ad Regem miſſi. Quibus Rex Alfonſus, nullas fore conditiones, ni prius ciuitas dederetur, reſpondit. Itum vltro, citroque, & tandem fędus his conditionibus ictum. *Rex Maurus bona fide Valentiam commigrato. Mauri quicumque remanere nolint, quo velint, abeunto. Remanentes omnia ſua habento. Tributum Regibus Mauris ſolitum, Chriſtianis Regibus ſoluunto.* Aliæ non tanti momenti conditiones appoſitæ. Quibus ritu ſolenni firmatis, Regio apparatu, more triumphantis Rex Alfonſus in ciuitatem inuectus, non ſolùm Hiſpaniæ, & Galliæ, ſed Germanis, & Italię lætitia ſumma, anno 1085. alijs biennio ante, octauo Kal. Iunij.

Somniū Cypriani Epiſcopi.

Conditiones quib⁹ Toletum deditur.

1085.

Multi viri nobiliſſimi ex orbe Chriſtiano militantes, Regia magnificentia (& erat illi à liberalitate nomen Perforatæ manus) obligati, ſedes in Hiſpania fixerunt. Inter eos numeratur Petrus natione Græcus, domo Palæologorum imperatoria. Qui ampliſſimis poſſeſſionibus abs Rege in eadem vrbe donatus, Toletorum fuit illuſtris origo. Rex ipſe eodem Regiam transferre ſedem, multos mortalium præmijs inuitare, ad ſedes ibi deligendas. Sic Chriſtianorum familię multæ confluentes, ciuitatem, tanto partam labore, tutam ab omni rebellione

Alfonſi nomen perforatæ man⁹.

Toletorū Origo.

Alfonsus 6. Imperator. bellione reddidere. Secundùm hanc victoriam multa oppida in potestatem venerunt. Quibus Alfonsus, nouoque Regno auctus Imperatorem Hispaniæ se dixit.

RELIQVÆ ALFONSI REGIS actiones.

CAPVT X.

BIENNIO post receptam vrbem Toletum, Episcoporum, procerumque conuentum indixit Alfonsus Rex, resistente toto biennio Maurorum multitudine, quòd in eo de creando Præsule Toletano suscipienda deliberatio erat. Ergo creatus est Bernardus Abbas S. Facundi natione Gallus. Virtutum ornamenta, sanctitatis opinio, morum suauitas, multiplex doctrina virum exterum ad eam dignitatem euexerunt. *Et est Hispania in exteros liberalis.* Rex conuentu soluto, relicta Constantia Regina, Bernardoque nouo Præsule, Legionem proficiscitur. Interim Bernardus ægre ferens, Templum augustius Mahometicæ superstitioni in vrbe capta seruire: communicato cum Regina consilio, condicto tempore, armata manu Maurorum occupat Mesquitam, portas refringit, æs campanum suspendit, in templum à Mahometicis vanitatibus purificatū fideles conuocat ritu Christiano sacra facturus. Attoniti Mauri cōuenere templum contra pacta ablatū, queruntur, eiulatibus, & lamentis, magnisque clamoribus ciuitatem complent. Res ad rebellionem spectabat, & dies Christianis funesta videbatur, & promiscuis cędibus opportuna occasio erat, Mauris, & armis, & multitudine validioribus. A vindicta repressit barbaros Regis absentia, quòd eo inscio facta hęc persuasum. Expectandum aduentum, & tunc vel armis, aut iure certandum.

Bernardus 1. Præsul Toletanus.

Bernardi Zelus imprudens.

Tumultus Toletanus.

tandum. Rex factus certior magnis itineribus Toletum aduolat, memorandum supplicium Præsuli, Reginæque fulminans. Itum Regi obuiam à Clero cum infulis, & cæteris instrumentis sacris, quæ timorem, & reuerentiam irato incuterent. Stat immota vindictæ sententia. Turbata ciuitas, & suspensa omnia. Cùm repente Mauri aduocata concione, ad placandum Regem legationem decernunt. Timuerunt enim Barbari, ne, si quid grauius Rex in Reginam, & Bernardum statueret, mortuo Rege in eorum caput redundaret. ¶ Magna ergo Maurorum multitudo cum legatis obuiam prodit, cum Clerus, & Proceres iram Regis mitigare conabantur. Omnes de more se ad terram substrauere. Rex suspicatus eos ad vindictam processisse petendam, præoccupat. Non vobis, ô Mauri, datam fidem; sed meam violatam maiestatem vlturus adueni. Sanciam exemplo Regiam semel datam fidem, sartam tectamque seruandam. Non hoc, ô Rex; sed supplicium quoque deprecaturi, veniam impetraturi descendimus, respondere Mauri. Iniuriam, si qua fuit, lubentes, & sponte, Bernardo, Reginæque donamus. Obstupuit Rex ad Maurorum insolentem orationem; & à magna perturbatione animo ad imperium rationis reuocato, consilium è cœlo illis illapsum interpretatus, Toletum ingressus, atram diem in candidam versam, anniuersariam esse iussit, vt tantæ rei memoriam nulla possit vetustas abolere. Quotannis ergo in honorem Beatæ Mariæ *Pacis* nomine festum celebratur.

Mauri Regem placant.

Intereà Pontificis legatus abuti potestate. Bernardum in Episcopum sacrari potuisse negat. At Bernardus, vt erat ingenio acri, Romam profectus, à summo Pontifice obtinuit, vt ipse Toletanus Primas Hispaniarum diceretur; & legatus, abrogata potestate, ab Hispania discederet, Gottica etiam Gallia Toletano Primatui adiecta. Reuerso Bernardo, antequam ea, quæ facta fuerant, euulgaret, & legato visum, vt in conuentu, de abrogando in sacris Gottico precandi ritu, &

Legatus Pontificis potestate abutitur.

Bernardus Primas Hispaniæ.

de inducendo Ramano res agitata diu decerneretur, cum gens priscum morem mordicus hucusque defendisset. Rem non ratione, sed armis decerni placuit primoribus. Adeò sæculo rudi, bellacique, omne ius in armis esse videbatur! Duo fortes, & bello milites assueti deliguntur, qui pugna Romanus alter pro Romano, Gottus alter pro Gottico depugnarent. Et erant ambo Hispani. Vicit Gotticus Romanum: Victoria pro Gottico à gente proclamabatur. Sed cùm obnitente legato, & Bernardo diuersa studia conquiescere non possent, litem igne dirimendam tentatur. Vterque liber Romanus, Gottusque in ignem iniectus est. Romanus miraculosè ab igne illæsus exilijt. Gotticus quoque illæsus in igne remansit. Duplici miraculo probatum rudi sæculo, vtrumque placere deo. Sed Romanum tanquam ab Ecclesia Principe populariter accipiendum: Gotticum propter antiquitatis memoriam venerandam, aliquibus in locis seruandum. Ita lex hucusque seruatur.

Hispanorum certamen ridiculum.

Officium Romanũ admissũ.

1091. Anno deinde 1091. à Bernardo Legionem Episcoporum conuentus indictus, cui Raynerius Cardinalis legatus Pontificis præfuit. Actum in eo, vt sicut officium Gotticum, ita Gottici caracteres à publicis scripturis abrogarentur, inductis Romanis, aut Gallicis, idem enim erant. Deinceps ergo Latinis caracteribus vti cœptum. Rex Alfonsus ex Elisabetha duas filias susceperat, Sanctiam Comitis Roderici vxorem. Eluiram Rogerio Siciliæ Regi locatam. Ex qua Gulielmus Rex, & Alfonsus Capuanus Princeps nati. Ex concubina Ximena totidem filiæ natæ, Eluira, & Therasia, quæ data matrimonio est Henrico Lotharingio, vnde Lusitanorum Regum origo. Vrraca maior natu Regni hæres Raymundi Comitis vxor, Sanctiam, & Alfonsum, postea Regem, genuit.

Caracteres Gottici abrogati.

Alfonsi filij extra matrimoniũ

ALMORAVIDES IN Hiſpania.

CAPVT XVI.

HOc anno contigit Almorauidum in Hiſpaniam aduentus. Occaſio hæc. Hiſpalenſis Regis filiam Alfonſus Rex (vt ſuperius dictum) poſt alias defunctas vxores, Zaidam tunc, Chriſtianam factã Eliſabetham ſibi matrimonio copularat. Ea cognatione Regi Hiſpalenſi creuit ad totius Arabici in Hiſpania imperij ſpes, quod non ſine Africanis auxilijs obtineri poſſe iudicabat. Alfonſum Regem in ætate præcipiti vxorium, ad euocandum Iuzephum Thephimum Almorauidum Regem, qui ad fretum Herculeum in Africa latè dominabatur, magni nominis ducem, & Alauicinorum imperium occupauerat, impulit. Rex aduentum in Hiſpaniam diſtulit, miſit tamen Halıabenaxa, ſtrenuum ducem, qui cum Hiſpalenſi vires iungeret. Pax, & concordia breuis, orta leui de cauſa rixa. *Et eſt militare imperium ſicuti Regnum, res indiuidua.* Ventum à verbis ad arma, Hiſpalenſis Alfonſi ſocer & Rex victus ab Africano duce, & trucidatus. Regnum facile victores occuparunt. Hali Aben Axa ex duce, Miramamolinum, id eſt, Hiſpaniæ Regem, ſe dixit. Suo magis, quam alieno imperio (gentis more) Rem Mauricam gubernare maluit. Mauri Reges Alfonſo vectigales ad libertatem erecti pactũ tributum negare; & ſic in Hiſpania fluctuatum, cum nouę, & victrici genti foret obſiſtendum. Miſſa Chriſtianorum valida manus, ad oppidum Rodam à barbaris cęſa eſt. Alfonſus clade commotus, toto Regno habito delectu, cum Barbaro ad Czaliam oppidum pugnare. Victi Chriſtiani, & magno numero cæſi. Alfonſus præſenti

Haliabẽ axa in Hiſpan.

Almorauidum victoriæ. Chriſtiani victi.

animo vires reparat, auxilia conquirit vndique. Affuere multi exteri Hispaniæ periculo moti. His copijs Alfonsus ferro Cordubam vsque penetrat. Abdallam Regem prælio victum, captumque in conspectu ciuitatis combusit, cum alijs, in Benabethi soceri vindictam, ciuitatemque fecit vectigalē. Inde magno auri pondere ablato pro mulcta, ad obsidendam Cæsaraugustam contendit. Rex ergo capiendæ vrbis desiderio conditiones honestas respuere, cùm vtrumque amisit, nunciato Iuzephi Almorauidum Regis aduentu, qui magnis copijs in Hispaniam traiecerat. Hispalim, & eius exemplo cęteras Bethicæ prouincię ciuitates occupauerat. Omnesque Reges Mauri, ipsa Corduba dedita, in illius imperium transire, Alfonsique Regis fœdera rescindere.

Alfonsus victor.

Superiori exemplo permotus Alfonsus, ne ab Africa noua clades Hispanię immineret, iustitium indicere. Non profanæ solum, sed etiam sacræ militiæ habitus delectus. Excita extera quoque auxilia. Gallia sua magno numero misit. Raymundus Burgundionis Comitis frater, Henricus Lotharingius, Henrici propinquus, Raymundus Tolosæ cum exercitu affuerunt. Sanctius Rex Aragonius quoque affuit cum validæ manu: cum his omnibus Alfonsus Rex in Bethicam irrupit. Crebræ populationes, oppidorum incendia passim. Occurrit Iuzephus, sed pugnare timuit. Imo retro abijt fugienti similis, vt impedimenta relicta fuerunt argumento. Exercitus præda onustus, reductus. Satis ergo hac expeditione noui barbari impetus repressi.

Magni motus noua militia.

Hoc tempore Therasiam filiam extra matrimonium Henrico Lotharingio locauit Alfonsus, dos quidquid in Lusitania nostrum erat, Comitis titulo, datum. Raymundo Tolosano cessit Elruia. Raymundo Burgundioni Vrraca ex legitimo matrimonio. Roderico Comiti Sanctia ex Elisabetha data, ad quem Gironij, nobilissima in Hispania familia, referunt originem.

Gironij vnde.

Anno

Anno deinde 1094. Sanctius Aragonius Rex, post expugnatam Barbastrum, multaque alia oppida Mauris erepta, in obsidione Oscæ, sagitta à muro emissa, perijt; vir nomine Regio dignus, armis, &. pietate clarissimus. Succesit Petrus. Qui cum fratribus iuramento se adstrinxit, in Patris vindictam, non abscessuros ab obsidione, nisi expugnata ciuitate.

Sanctij Aragonij rex.
1094
Petrus Aragonia Rex.

Oscenses longa obsidione fatigati in auxilium Regem Cæsaraugustæ, Garsiam Cabræ Comitem, Gonsalium Principem virum, (Proh pudor nominis Christiani.) euocant. Accurrit infinitus exercitus hostilis. Petrus tamen pro iuramento, diuino numine fretus, corpus. D. Victoriani deferri mandat in Castra. Nocte oblata species augustior humana forma, victoriam Regi promittit. Hac visione confirmatus, vnius pugnæ aleam subire statuit. In primo agmine frater Alfonsus constitit. In media acie Lisana, & Bacalla viri primarij, & bellicosi. Rex in postrema parte aciem claudebat. Equites in fronte locati. Ab his initium pugnæ, mox legiones inuectę aduersus innumerabilem multitudinem. Nulla eo tempore pugna maior. Nec pertinacior fuit. Ad noctem producta est, incerta victoria. Cum in tanta Maurorum multitudine, cadentium ordines facilè nouis militibus supplerentur. In armis nox sequuta. Cognitum sequenti die Mauros castra deseruisse. Cæsa fugientium terga, nullaque in fuga occidendi satietas. Ad quadraginta hostium millia ceciderunt, è nostris mille. Garsias Comes captus. Spolia pro tam immani multitudine lecta. Ciuitas intra paucos dies capta. ¶ Mutarunt Aragonij Reges ex eo in clypeo insignia in crucem argenteo clypeo, circum eam capita quatuor sanguine rubra, totidem Principum eo prælio cadentium.

Memorabilis pugna.

Aragonij Regis insignia.
1069.

Quo tempore, prope annum 1096. Bernardus Toletanus præsul, Christiani orbis exemplum sequutus, in

bellum profectus sacrũ est, cũ antea in templo Toletano triginta Canonicos, totidem Portionarios celebrandis diuinis constituisset. Qui desperatione reditus, siue odio in exterum præsulem, collatis suffragijs aliũ Episcopum elegerunt, pulsa minori, sed saniori parte è ciuitate. Bernardus, vt à nuntio acta rescivit, expeditione intermissa magnis itineribus Toletum reuersus, pulsis facinoris authoribus, monachos ex S. Facundi Cœnobio, cui quondam Abbas præfuerat, in eorũ locum substituit. At cum propositi tenax Romam postea peruenisset, Pontificis iussu redire compulsus est. Cùm enim multa satis grauiaque bella superessent Hispanis, cur vires ad aliena distrahi debuissent?

Cidi victoria. Interea Roderici arma quieta non erant. Celtiberos de more cum priuata manu inuadere, capta occasione à Maurorum dissidio. Contra Hiaiam Valentiæ Regulum Toleto spoliatum arma mota: Dianij Regulus ciuitatem obsidebat. Cęsaraugustanus ex vtriusque ruina Regni sui incrementa captare. Cum Roderico Cido hac cogitatione arma sociare. Regulus impar viribus fugit. Rodericus adduci non potuit, vt contra Hiaiam pro eo staret. Erat enim contra fœdus cum suo Rege percussum. Abijt ergo retro Cæsaraugustanus. Interim Rodericus omnes Maurorum Regulos eo tractu stipendiarios facit. Tunc Hiaia Valentiæ Rex, in odium Christianorum, vel potiùs in suum caput, Almoraui des, qui iam (vti diximus) imperium latè protulerant, in ciuitatem aduocat. Venere illi parati, & Hiaia interfecto Valentiam summa perfidia occuparunt.

Valentia Cido deditur. Cidus occasionem vrbis capiendæ nactus, contra Valentiam omnem belli molem conuertit. Species, vt fœderati Hiaiæ necem vindicaret. Cui post arctam obsidionem Valentia deditionem fecit. O si Cido facultas retinendi esset, quanto sumptu postea in recuperanda, tuendaque Reges liberaret! Ex diuite præda Regi Alfonso bifcentum equi insignes, totidem ab Ephippijs gladijs Mauricis pendentibus, cum totidem

dem captiuis, aliaque multa pretiosa dono missa.

Cùm ergo Cidi fama per omnium ora volitaret, duo Comites Carrionis Reguli, Didacus, Ferdinandusque, duas filias, quas Rodericus è Ximena susceperat, tam à Patre, quàm à Rege summis precibus sibi vxores impetrare, homines ad munditias, delitiasque, quàm ad bella nati. Nuptiæ Regio apparatu Valentiæ celebratæ. *Sed cum Bellatore viro delitiæ, nuptiarumque blandimenta esse non possunt. Et est timida Venus in armis.* Sic metus, timorisque in quodam prælio à Comitibus data signa. Qui ne inter viros pugnaces malè audirent, infamiam à pugna contractam nouo, & infausto scelere conati sunt expiare. Petitam in patriam abeundi licentiam Rodericus timidis Comitibus grauitate verborum castigatis dat. In itinere vxores verberibus discissas, ligatasque relictas ab illis traditur. Vindicatum postea flagitium singulari de more certamine, cadentibus Comitibus; datasque Regibus Nauarræ, & Aragoniæ patriæ produnt historiæ. Quidam hæc inter fabulas computant, & vxores verberibus cæsas Reges accepisse rident, solutaque matrimonia iubente Cido cachinnos exprimunt. Ego non decerno. Certè multa in illo rudi sæculo sunt facta, quæ hæc vera fuisse suadeant. Hoc constat, quandiu Rodericus vixit Valentiam in potestate nostra mansisse, morientem testamento mandasse, vt Christiani relicta ciuitate in Castellam commigrarent, quando alium Rodericum, qui bello parta tueretur, post se relinquere non potuisset. Ergo post eius obitum, Christiani agmine facto, à Maurorum infinita multitudine omni obsessa via, Panico tamen terrore diuinitus illis iniecto, illæsi in Castellam euaserunt. Inde datus fabulæ locus, Rodericum mortuum etiam hostes vicisse.

Carrionis Comitum nuptiæ.

Comitũ facinus.

Arbitror hunc fortissimum virum perpetua contra hostes fœlicitate, veteres heroas, quorum gesta præclara fabulosa tempora celebrarunt, vel æquasse, vel superasse. Omnes enim illi communibus reipublicæ viri-

De Roderico iudicium.

bus

bus patriæ imperium, sibiq; gloriam pepererunt. Hunc priuatis tantùm, inter inuidos, in exilio, Reges domuisse, vectigales fecisse, tanto nominis terrore apud hostes, vt vbicumque staret in acie, ibi semper certa victoria fuisset. Victores sæpe hostes, vbi Cidum adesse fama vulgarat, desertâ victoriâ, fugâ salutem quæsisse. Solo nomine Roderici gesta quamplurima, quæ validissimis copijs perfecta non fuissent. Et, audeo dicere, si vnus Rodericus reipublicæ viribus pro patria pugnasset, omne in Hispania Regnum Arabicum radicitùs conuulsum extinxisset, prouinciaque omnis à Maurorum terrore quieuisset. Tanta est in vno duce fortitudinis, & felicitatis opinio, vt eâ solâ tantùm stare, vel cadere imperia soleant! ¶ Adde virum religione, pietate, & charitate supra mortales insignem. Nunquam inuidis, quibus annitentibus in exilium fuerat pulsus, iratum, neminem aut facto, aut dicto vnquam læsisse. Beneficijs maleficia pensare; probitate, & innocentia vitę tantùm crimina depellere. Egregijs factis acerba dicta confutare, omnibus charum, ipsis hostibus non solùm formidabilem, sed amabilem adeò, vt fortunatus ille iudicaretur, qui Cido stipendia faceret, tantique viri vmbra

Cidi obitus. tuta sua omnia ab omni formidine seruarentur. Sepultum in Diui Petri Cardeniæ. Incertus anni obitus est. 1098. Probabilius decessisse anno 1098. ¶ Auorum nostrorum memoria, anno 1541. sepulchrum reseratum, & *Translatio.* ossa translata solennitate mira, quòd Monasterium ope-

1100. re nouo refectum tumulus impediret. Ossa rubri coloris reperta; ex his quædam adhuc sicca obducta carne, cętera dissipata in feretro. Suauis odor adstantes afflauit: sanctitatis argumentum. ¶ Certè vir, à quo Hispaniæ, Galliæque Reges, imò & Germanię Imperatores sanguinis aliquam traxisse guttam glorientur oportet.

Sequitur annus sæcularis Hispaniæ lætus pariter, & infelix. Sic omnia hæc lętis, tristibusque miscentur. Lętus morte Iuzephi Almorauidum Regis, qui rebus Hispa

Hispaniæ duodecim annos præfuit, Africano Regno triginta ferme duos. Infelicissimus nece Sanctij Principis Regni heredis, qui Patris consilio prauo, cum propter ætatem prælio interesse non posset, sub tutela Comitis Cabræ, pugnæ Maurorum periculosissimæ expositus, pariter cum ipso Garsia Comite occubuit.

Hali Iuzephi successor cum copijs in Hispaniam transmittens, magno belli apparatu in Carpentanos, Toletanosque fines irrupit. Cui cum Rex propter extremam senectutem obuiam ire non potuisset, Cabræ Comitem Garsiam gerendo bello præfecit, & vt maior esset authoritas, Principem Sanctium adiunxit, qui eo prælio tyrocinia deponeret. Ad Vrcesiam collatis signis pugnatum. Balnea, & Mauricæ delitiæ nostrorum vires eneruarant. Cecidit Sanctius in pugna. Quem dum Comes Garsias clypeo, enseque defendit, & protegit, cùm nemo accedere auderet, propter insignem summi viri fortitudinem, eminus multis acceptis vulneribus concidit. *Hali victoria.* *Sanctij Principis nex.*

Regno luctuosa calamitas imperij spem in Alfonso nepote, quem ex Vrraca Raymundus Burgundus, anno superiori defunctus, reliquerat, posuit. Victoriam in Castella Mauricam, in Aragonia Christiani parta alia compensarunt. Interea Petrus Aragoniæ Rex Mauricis victorijs auctus, præmisso ad superos Petro filio, ipse quoque concessit fatis. Elisabetha filia duplicis funeris dolore (vt fertur) exanimata sequuta est. Successit frater Alfonsus, qui Vrracam Alfonsi filiam matrimonio sibi copulauit anno, 1106. *Petri Aragoniæ mors, & Alfonsi successio.* 1106.

Rex Alfonsus, vt filij necem Maurorum sanguine solaretur, iusto exercitu in Bethicam ætate grauis inuasit. Multi mortales, qua capti, qua occisi, proprio sanguine Principis manibus parentarunt. Agris magna vastitas illata. Exercitus præda diues dimissus. Reliquum vitæ in otio traductum. Obijt Toleti, anno 1109. Regni 43. octuagenarius. Prænuntia mortis *Alfonsi obitus.* 1109.

portenta multa. Legione precipuè ad maximam aram lapides aqua triduo manantes, veras Regni lacrymas portenderunt.

VRRACÆ REGNVM.

CAPVT XVII.

QVo tempore Rex Alfonsus decessit, Vrraca filia virum in Aragoniam sequuta procerum voluntates alienatas extimuit, quos matrimonium illud auersatos cognouerat. Petro Ansurio viro prudentissimo interim summa rerum commissa. At à Regina datum crimini, quod Aragoniæ Regem, & virum, Castellæ quoque Regem nominasset. Ea de causa virum innocentem, cuius prudentia, & æquitate Regnum in illa rerum perturbatione stare videbatur, à possessione paterna impotens fœmina deturbat. Quem Rex postmodum restituit; Reginamque de libidine suspectam grauiter increpat: quam etiam, quòd consanguinitatis gradu tertio tantùm distaret, dimisit, cùm se priùs Hispaniæ Imperatorem dixisset. A Bethica noui motus Regnum perturbare. Hali Rex Maurus magnis copijs agrum Toletanum vastare, ciuitatem obsidere, quæ se natura loci, & Aluari Fanij magni ducis industria, defendit. Multa ea expeditione oppida incensa, direptaque, dum Rex Aragonius oppidis à Mauris ablatis, aliâ parte, damna compensabat. Qui cùm in Castellam venisset, omnique officio subditorum animos conciliasset, Aragonia repetita, rursus alienati Castellani, exterum imperium recusare, præsertim cùm Vrracę filius Alfonsus extaret, quem auus testamento Regem esse iusserat. Quapropter multi hunc Alfonsum inter Castellę Reges non annumerant, qui septimus esse debebat. A Calecia Regni repudiati fuit initium, propter vetitas à lege nuptias: causa ad summum

Clades à Mauris

Alfonsus Aragoniæ, non Castellæ Rex.

Ponti-

Pontificem reiecta, â Pontifice Gelmiro Compostellano Episcopo remissa. Constat inde Regem, nullo respectu dignitatis, in Ecclesiæ Prælatos impiè sæuisse. Alfonsus ergo Compostellæ Rex inunctus Gelmiro ceremoniæ præsule. Ab Aragonia ergo mota in Calecos arma. Gometius Candespinę Comes, & Petrus Lara Reginę riuales, hem pudor! Rem perdiderunt atroci pugna cum Aragonijs commissa ad Sepuluedam. Initium fugæ à Regulo Larę. Gometius melior in prælio, in quo, cum diu hostilem impetum sustinuisset, fortiter occubuit. Henricus Portugalliæ Comes impudentis odio Reginæ, magna pars victoriæ fuit. Deinde omni belli iniuria Legionem vsque penetratum. Caleci, reparatis viribus, pugnam repetentes iterum ab Aragonijs vincuntur. In ea Petrus Comes Trauę captus. Puer Rex Alfonsus operâ Gelmiri Præsulis fuga vix euasit. Nulla ea ętate pugna Castellanorum strage nobilior. Legio, & aliæ ciuitates in Aragonij potestatem venerunt. Stipendia defuere militibus. Lusitani consilio in sacros Ecclesiæ thesauros iniectæ sacrilegæ manus. At sacrilegium diui tutelares, & indigetes non tulerunt.

Calecorũ clades.

Aragonij sacrilegium.

Grauibus inflictis malis, & versa belli fortuna, scelus vindicatum. Martinius Munio cum trecentis equitibus, subsidio veniēs Aragonio, captus. Regina interim bellũ reparare. Rex accepta clade perterritus, maioris periculi metu, in Carrionem locum munitissimum se recepit. Ibi obsessus aliquandiu. Pontificis vero legato suasore induciæ factę, & obsidio dissipata. Rex periculo liberatus in oppida Larę Comitis irruit. Qui Reginę consuetudine vulgo probrosis carminibus proscissus, magnum odium apud omnes contraxerat: ita vt à Gutierro Fernandio Castrio comprehensus, & coniectus in vincula, mox fuga elapsus, Barcinonem se contulerit, infensos extimescens. Interim puer Rex Alfonsus, Castellæ Rex renuntiatus impuram matrem inter suorum odia destitutam, abire Regni administratione compulit. Sicque

Vrraca impudicitia.

ad mortem priuata vita peracta. *Ea sunt malè actæ vitæ probrosa exempla.*

ALFONSVS VTERQVE CASTELLÆ, & Aragoniæ.

CAPVT XVII.

IMPERFECTO bello Castellæ Alfonsus Aranius in patriam redire compulsus est. Cęsaraugustani Mauri opibus, & potentia validi, crebris in Aragonios excursionibus à Castella Regem auocarunt. Vniuersumque belli apparatum in vnam
1118. Cęsaraugustam conuersum etiam exteri principes adiuuerunt. Anno ergo 1118. in campos Cęsaraugustanos irruptum: & quædam oppida, arcesque captę. Ad tanti belli famam omnes Mauricæ vires collatæ: Ab Africa excita auxilia. Duplici pugna barbari superati, octauo tandem mense ciuitatem summa totius Regni lętitia dediderunt. Amisso ergo illo fortissimo propugnaculo, nobilissimaque ciuitate, Arabum in Hispania Regnum concidisse videbatur, & Aragoniæ Regis maiestas, productis terminis aucta.

Cæsaraugusta capta.

Altero anno Imperatoris opera, Burdinus Bracharensis Episcopus summum Pontificatum inuasit, postea verò à Paschali Pontifice diris deuotus, & Calixti diligentia captus, in exilio ab omni Episcopali dignitate spoliatus miseram vitam finiuit. Anno deinde 1122. Pax inter Aragoniæ, Castellæque Reges facta, & Aragonia præsidia Castellæ detracta, annitente Calixto 2. summo Pontifice Alfonsi Regis Castellę propinquo, è Raymundi Patris sanguine. Anno sequenti in Bethicam irruptum: decem, cum Cordubensi, Reguli acie victi; multæque ciuitates, ne vastarentur agri, vectigales factę. Hæc apud Aragonios. Alia parte Rex Castellæ Mau-

Burdini schisma.

1122. Pax inter Reges.

Alfonsi victoria

Mauricam ditionem inuadere. Amissam Cauriam recuperare, ingentem prædam abigere, & omni belli iniuria Mauros vexare. At cum satis ad authoritatem Regiam vindicandam fecisse videretur, ad studia pietatis animum conuertit. Multa sunt in Hispania Cisterciensis ordinis Cœnobia constructa, & ab Rege pro temporis angustijs ditata, in propinqui sui Bernardi gratiā. Ipsumque Bernardum Hispaniam inuisisse multa monumenta probant. *S. Bernardus Propinquus Regis Alfonsi.*

INITIVM REGNI LVSITANI.

CAPVT XVIII.

HENRICO Lotharingio à Rege Alfonso sexto cum filia Therasia, quidquid in Lusitania barbaris erat ereptum, dotis nomine, Comitis titulo, datum diximus. Ex Therasia suscepit Alfonsum. Henrico mortuo Therasia eadem turpitudine, qua se poluerat Vrraca soror, Ferdinando Paecio Comiti Trastamaræ se substrauit, cum priùs Veremundo fratri Ferdinandi sui copiam fecisset, vt Lusitani Scriptores accusant. Ferdinandus ergo superbos genere spiritus, priuignum Alfonsum habere despectui. Tulit ad idoneam ætatē Alfonsus iniuriam. Qui iam grandior conciliatis proceribus arma in matrem, eius impuram consuetudinem, & vitæ turpitudinem detestatus, arripuit. Vicit Ferdinandum pugna cōmissa, quem cum matre in custodiam misit. Postea Ferdinandus è Lusitania iussus abscedere, matre in custodia retenta. Auxilia illa ab Alfonso Castellæ petere, pretium operæ nauatę Lusitaniam fore. Auxilia missa victa à Lusitano. Alfonsus habito delectu vindictę cupidus, Lusitanum Alfonsum acie victum obsedit. Nunius Egas Alfonsi Pædagogus, magnæ prudentiæ vir, iram Regis oratione composita mitigauit: & sic honestis conditionibus obsidio soluta est. Anno deinde 1126. Bernardus Toletanus prępsul obijt, postquam Complutum Fenario fluuio tunç immis-

Therasiæ impudicitia.

1126. *Compluta a Bernardo expugnata.*

imminentem proprijs expensis expugnauerat. Quod oppidum propterea Toletanæ sedi attributum traditur.

1129. Anno 1129. à Legato Pontificis conuentus habitus, in quo de Regis coniugio actum. Duxerat Rex Berengariam Arnaldi Comitis Barcinonensis filiam, & susceperat ex ea filios, Sanctium, Ferdinandum, Elisabetham, Sanctiam. Legitimas fuisse nuptias definitum. Tribus annis sequentibus crebris in Mauros populationibus grassatum. Capta oppida ad Marianos montes. Moritur Arnaldus Barcinonensis Comes, succedit Raymundus filius. Eadem fortuna in barbaros, & perpetua felicitate ab Aragonio pugnatum. Infausto tamen exitu. Nam cùm iter faceret cum trecentis equitibus, à Maurorum infinita multitudine circumfusa ex insidijs occisus est. Corpus nusquam repertum. Testamentum ante aliquot annos condiderat. In quo multa oppida, possessiones multæ legatę Ecclesijs, expilatos thesauros sic restituere fuisse animum quidam interpretantur. Mandatum insuper, vt quoniam prole careret, Regnum Templarijs, Hospitalarijsque militibus Hierosolymitani sepulchri custodibus ex triente diuideretur. Exemplum tantæ pietatis nunquam Regibus probabitur, neque Regnis videtur salutare. Habitus Vasconum, & Aragoniorum conuentus Petri Tisonij magno viri ingenio sententia dissolutus, ad segregata concilia vtriusque gentis traxit studia. Vascones separato conuentu antiquum Regni ius repetiuerunt, auctore Sanctio Rosa Pampilonensi Episcopo.

Alfonsi Aragonij nex.

Garsias Ramiri filius nepos Sanctij Regis, quem Raymundus frater occiderat, communi gentis suffragio Rex dictus. Aragonij Montioniaco conuentu, Ramirum defuncti Regis fratrem Regem inferunt, quantumuis monachum, & ex S. Facundi Abbate præsulem Barbastri, Sacerdotemque raro exemplo, vt Rex simul, & Sacerdos esset, & ad sedandos motus vxorem ducere compulsus. Agnes Gullielmi Pictauorum, & Aquitaniæ.

Ramirus Rex, & Sacerdos

taniȩ Principis soror illi vincta matrimonio est. Inde noua bella, Regnorumque dissidia nata: Garsiȩ imbecillitate, Ramiri senectute. Alfonsus Castellæ vtrumque Regnum ad se pertinere disputabat. Id in otio Iurisperiti, Rex in armis, in quibus plerumque iura Regnorum potentiores ponunt. Non deerant studia vtriusque nationis. Ab Alfonso ergo quidquid superioribus bellis fuerat ablatum, recuperatum, & Castellæ adiectum est. Garsias se, suaque Alfonso committere. Legione igitur habito conuentu, omnium in Hispania Regnorum Augusti nomine declaratur. Et vt nostri Scriptores affirmant, Pontificis assensu contra Germani Imperij authoritatem. Ira Pontificis in Germanos Imperatores fortasis erat occasio. Inde Toleto ciuitatis Imperialis nomen magnificum. Extant D. Bernardi literæ ad Sanctiam, quam Hispaniæ Imperatoris appellat sororem. Fœdus inter Alfonsum, & Garsiam Vasconem in hunc modum ictum. Vt Garsias Cæsaraugustam Regni titulo Alfonsi beneficio teneret, stipendiariusque illi esset. Arma in Aragonium, quem vitio creatum prædicabat, sociaret. Inde Vasconum, Aragoniorumque sequutȩ clades. Vtriusque nationis conuentus, in quo de pace agebatur, authore Eneco Aiuario, seminato rumore, contra Ramirum à Vasconibus insidias parari, dissolutus.

Regnorũ in Hispania dissidia.

Alfonsus Imperator Hispaniæ.

Toletum ciuitas Imperialis.

Ramirus despectui habitus, vt passim Rex cucullatus diceretur, Regiam authoritatem crudeli sanxit exemplo. Oscam procerum conuentum indicit: in eo Tomeriensis Abbatis consilio, ab antiquitate tracto exemplo, capita eorum, quibus Regia maiestas ludibrio erat, amputare. Quinque viros primarios ex Lunȩ nobili familia occidit; alios ex alijs. Tandem anno 1137. Petronilæ filiȩ Raymundo Barcinonẽsi nuptijs conciliatis, nouo fœdere cum Alfonso Castellȩ, in quo contra priùs ictum cum Vascone, Cæsaraugusta restituebatur, Regni curam deposuit. Raymundus Alfonso stipendiarius factus, pacem reipublicȩ dedit. Et cum illo publico vtriusque

Ramirus Rex cucullatus.

Crudele exemplũ 1137.

Raymũdus Aragonij Rex

vtriusque gentis conuentu, peractis omnibus Cæsaraugustam faustis acclamationibus est inuectus. ¶ In fœdere sanciendo Gullielmi Raymundi, Catalauniæ Seneschalis (nomen id anthoritatis) præcipua opera fuit. Merces oppidum Moncada, á quo Moncadarum origo familię nobili. Ex aliena discordia Portugalliæ Comiti Alfonso authoritas, opesque creuerũt. Rex á militibus proclamatus, anno 1139. á pugna cum Mauris; in qua quinque eorum Regulos profligauerat, & á strage Regnum, armaque Regni quinque distincta Castellis, á totidem Regulis deuictis (Quinque vulnera Christi ineptè quidam interpretantur.) Et profecto nulla magis patet ad Regnum via, quam illustris victoria, præcipuè á Lusitanis tantopere decantata: & est gens in suorum Regum laudes effusa nimis. Victoriam, Regnumque nouum, vincula matris fœdare, & ob ea, á Romano Pontifice diris deuotus perseuerare. Manrici Laræ Reguli filiam Malfadam thoro sibi copulat. Ex ea filios Sanctium, Vrracam, Therasiam suscepit. Secundum victoriam, oppida (vt solet) non pauca Mauris ablata. Dissidia eorum in Africa inter Almohades, & Almorauides, Mauris in Hispania otium dederunt: & ab otio liberales disciplinę in publicum ab illa gente manarunt. Tres præcipui graues authores eo tempore floruerunt, Auicena, Abenrois, Aben Zoarius. Semper Corduba vtriusque disciplinæ literariæ, & militaris altrix, parensque habita est.

Montadarum origo. *Alfonsus Portugallia Rex.* 1139. *Alfonsi Portugallia nuptiæ.* *Corduba ingeniorum altrix.* *Auicena floret.*

Alfonso ergo Portugalliæ, Sintria promontorium occupatum ad Vlisiponem, Regni caput, obsidendam viam aperuit, inuitatis exteris ad belli famam. Inter Castellæ, Vasconum, Aragoniæque Reges fœdera varia icta. In his Sanctij Castellę Principis, & Blanchæ Garsiæ Vasconum adhuc immaturæ nuptiæ pactæ. Cum Raymundo Aragoniæ, & Templarijs nouæ compositæ lites, vt Raymundo sine prole defuncto, Regnum ad Templarios, ex superiori testamento pertineret. Anno deinde 1144. inter Garsiam Nauarræ, & Alfonsum Imperato-

Varia fœdera. 1144.

peratorem pax nouo fœdere nuptiarum facta. Vrraca Alfonsi filia extra matrimonium habita Garsię iuncta est. Ex ea nata Sanctia, quę postea Gastoni Comiti Bearnensi nupsit.

Anno deinde 1146. inter Alfonsum, Garsiam, Raymundumque pax composita, & communibus armis in Mauros bellum decretum. Illi mari, Alfonsus terra tanto apparatu in Bethicam inuaserunt, vt multę ciuitates cum ipsa Corduba in potestatem venirent, quas cum conseruare non possent, Cordubæ Abengamia præfecto sub magno iuramento, Alcorano tacto, vt Alfonsum Regem cum annuo vectigali agnosceret, ad alia discessum. Eodem belli impetu capta Almeria concurrētibus Genuensibus tunc mari potentibus. Genuensibus ex prędа vas pretiosum smaragdinum, in quo Christus Dominus vltimam celebrasse cœnam, nullo firmo fundamento, traditur, merces nauatæ operę fuit. Quę omnia ad annum 1147. contigerunt. Quo tempore in Lusitania ab Alfonso capta Vlissipone, Mauri Christianorum armis vndique premebantur. Ergo Vlissipo Lusitani Regni caput amplissima ciuitas, portuosaque Mercatoribus Anglis, Gallis, & alijs nationibus opportuna, incredibili frequentia variarum gentium creuerat. Armis communibus commune Emporium est petitum. Incredibiles labores perpessi, & expugnatio difficilis celebriorem apud omnes fecere victoriam; qua nouum Lusitanum Imperium firmatum est, nobilissima ciuitate Mauris erepta, in Regni caput constituta, & Christianis omnibus Emporio securo. Multi exteri mercaturæ opportunitate inuitati sedes ibi fixerunt. Eo tempore apud Parisios à Raymundo Toletano Pręsule corpus S. Eugenij Martyris, & Patroni fuit inuentum. Anno deinde 1150. summus Pontifex Alfonso Lusitani Regni titulum confirmauit.

1146. *Victoria Christianorum.* *1147.* *Vlissipone capta.* *Corpus S. Eugenij repertum.* *1150.*

Dd AL

vtriusque gentis conuentu, peractis omnibus Cæsaraugustam faustis acclamationibus est inuectus. ¶ In fœdere sanciendo Gullielmi Raymundi, Catalauniæ Senescalis (nomen id authoritatis) præcipua opera fuit. Merces oppidum Moncada, à quo Moncadarum origo familię nobili. Ex aliena discordia Portugalliæ Comiti Alfonso authoritas, opesque creuerũt. Rex à militibus proclamatus, anno 1139. à pugna cum Mauris, in qua quinque eorum Regulos profligauerat, & à strage Regnum, armaque Regni quinque distincta Castellis, à totidem Regulis deuictis (Quinque vulnera Christi ineptè quidam interpretantur.) Et profecto nulla magis patet ad Regnum via, quam illustris victoria, præcipuè à Lusitanis tantopere decantata: & est gens in suorum Regum laudes effusa nimis. Victoriam, Regnumque nouum, vincula matris fœdare, & ob ea, à Romano Pontifice diris deuotus perseuerare. Manrici Laræ Reguli filiam Malfadam thoro sibi cõpulat. Ex ea filios Sanctium, Vrracam, Therasiam suscepit. Secundum victoriam, oppida (vt solet) non pauca Mauris ablata. Dissidia eorum in Africa inter Almohades, & Almorauides, Mauris in Hispania otium dederunt: & ab otio liberales disciplinę in publicum ab illa gente manarunt. Tres præcipui graues authores eo tempore floruerunt, Auicena, Abenrois, Aben Zoarius. Semper Corduba vtriusque disciplinæ literariæ, & militaris altrix, parensque habita est.

Montadarum origo.

Alfonsus Portugalliæ Rex. 1139.

Alfonsi Portugalliæ nuptiæ.

Corduba ingeniorum altrix.

Auicena floret.

Alfonso ergo Portugalliæ, Sintria promontorium occupatum ad Vlisiponem, Regni caput, obsidendam viam aperuit, inuitatis exteris ad belli famam. Inter Castellæ, Vasconum, Aragoniæque Reges fœdera varia icta. In his Sanctij Castellę Principis, & Blanchæ Garsiæ Vasconum adhuc immaturæ nuptiæ pactæ. Cum Raymundo Aragoniæ, & Templarijs nouæ compositæ lites, vt Raymundo sine prole defuncto, Regnum ad Templarios, ex superiori testamento pertineret. Anno deinde 1144. inter Garsiam Nauarræ, & Alfonsum Imperato-

Varia fœdera. 1144.

perato-

peratorem pax nouo fœdere nuptiarum facta. Vrraca Alfonsi filia extra matrimonium habita Garsię iuncta est. Ex ea nata Sanctia, quę postea Gastoni Comiti Bearnensi nupsit.

Anno deinde 1146. inter Alfonsum, Garsiam, Raymundumque pax composita, & communibus armis in Mauros bellum decretum. Illi mari, Alfonsus terra tanto apparatu in Bethicam inuaserunt, vt multę ciuitates cum ipsa Corduba in potestatem venirent, quas cum conseruare non possent, Cordubæ Abengamia præfecto sub magno iuramento, Alcorano tacto, vt Alfonsum Regem cum annuo vectigali agnosceret, ad alia discessum. Eodem belli impetu capta Almeria concurrentibus Genuensibus tunc mari potentibus. Genuensibus ex prędа vas pretiosum smaragdinum, in quo Christus Dominus vltimam celebrasse cœnam, nullo firmo fundamento, traditur, merces nauatæ operę fuit. Quę omnia ad annum 1147. contigerunt. Quo tempore in Lusitania ab Alfonso capta Vlissipone, Mauri Christianorum armis vndique premebantur. Ergo Vlissipo Lusitani Regni caput amplissima ciuitas, portuosaque Mercatoribus Anglis, Gallis, & alijs nationibus opportuna, incredibili frequentia variarum gentium creuerat. Armis communibus commune Emporium est petitum. Incredibiles labores perpessi, & expugnatio difficilis celebriorem apud omnes fecere victoriam: qua nouum Lusitanum Imperium firmatum est, nobilissima ciuitate Mauris erepta, in Regni caput constituta, & Christianis omnibus Emporio securo. Multi exteri mercaturæ opportunitate inuitati sedes ibi fixerunt. Eo tempore apud Parisios à Raymundo Toletano Pręsule corpus S. Eugenij Martyris, & Patroni fuit inuentum. Anno deinde 1150. summus Pontifex Alfonso Lusitani Regni titulum confirmauit.

1146.

Victoria Christianorum.

1147.

Vlissipone capta.

Corpus S. Eugenij repertum.

1150.

Dd AL

ALMOHADES IN HISPANIA,

CAPVT XIX.

DVM hęc in Hispania geruntur, Africa nouo Almohadum in Almorauides bello flagrabat. Erat Almohades nobilis Mahometicę superstitionis interpres, homo astutus, & ad inconstantia Maurorum ingenia versanda natus. Tumertus insignis mathematicus eum ad res nouas impulit, qui ex astris Abdelmoni cuidam nulla nobilitate nato Regnum Maurorum prædixerat. Ergo religiosa superstitione, qua homines vehementer capiuntur, & signis celestibus, quibus contraire Mauris nefas, duce Abdelmone, Almohade interprete, & vate Tumerto mathematico magna bella in Africa nata Imperium Almorauidum euerterunt. Inde ad ea, quæ in Hispania, animus adiectus: sic quidquid in ea Mauricum erat, in Almohadum iura concessit. Gens erat prorsus barbara, & fera, quæ noua in Christianos persequutione, qui ad hæc tempora misti Mauris, Muzarabes, corrupto nomine, vocabantur, exarsit. Compulsi omnes vel fidem abiurare, aut mutare sedes. Contigit id, quod in persequutionibus assolet. Multi fidem, proh nefas! deseruerunt, plures fortiter tormenta, necemque pro Christo subierunt. Et ab eo tempore quidquid inter Mauros Christiani nominis erat, prorsus hac est persequutione restinctum.

Almohadum origo.

Sæua persequutio in Christianos.

His in Hispania constitutis, Christianos tunc terra, marique potentes armis lacessere noluerunt, noua Regni cura in Africam reuocati. Hoc tempore prope Lorcam, Rex Nauarræ Garsias, equi casu afflictus ad rupem, obijt, & Sanctius filius successit. Alfonsus Imperator, & Aragonius Raymundus contra Vasconum Regem arma sociare, inito fœdere de Regno diuidendo.

Garsiæ mors.

do. Sed ad nouas nuptias distracti, Alfonso æquiore reddito, consilia praua Regnandi cupiditate excogitata refrixerunt. Imperator omnem belli apparatum conuertit in Mauros. Vastata latè Giennij, & Guadixij ditio, & diues auecta præda. Tandem anno 1157. Alfonsus obijt Rex, & Imperator longiori vita dignus, anno vitæ 51. gratissima in posteros memoria. *Obitus Alfonsi.* 1157.

SANCTIVS, FERDINANDVS Reges.

CAPVT XX.

SANCTIVS Castellæ, Ferdinandus Legionis, Regna testamento Patris adierunt Sanctius ingenio miti, benignoque, & ad conciliandos animos facili. Ferdinandus aspero, & qui procerum animos ab se alienarat. Inter eos Pontium Mineruæ Comitem spoliauerat bonis, virum inter Legionenses Principem, bello, paceque bonum. Quem Sanctius Rex benigne suscepit, & bello gerendo contra Vascones præfecit. (Irruerant Vascones Regni fines, & armis Burgos vsque penetrarant.) Quos duplici prælio victos fregit externis auxilijs fretos. Proceres omnes, Francos præcipuè, captiuos liberaliter dimisit. Se non pro vindicta, sed pro tuenda Regia authoritate pugnasse dictitās. Ea liberalitate magnam sibi gloriam, gratiamque apud omnes, præcipuè apud ipsum Regem Sanctium conciliauerat, qui minis fratrem Ferdinandum compulit, vt Comiti bona sua restitueret.

Eo tempore Calatrauæ militaris ordo cæpit celebrari. Oppido Calatraua in Oretanis à Christianis deserto, & à Raymundo Fiterij abbate, & altero monacho Didaco Velasquio recuperato, & in tutelam recepto. Res miraculi loco habita est. Duos monachos *Ordo Calatrauæ.*

portenta multa. Legione præcipuè ad maximam aram lapides aqua triduo manantes, veras Regni lacrymas portenderunt.

VRRACÆ REGNVM.

CAPVT XVII.

QVo tempore Rex Alfonsus decessit, Vrraca filia virum in Aragoniam sequuta procerum voluntates alienatas extimuit, quos matrimonium illud auersatos cognouerat. Petro Ansurio viro prudentissimo interim summa rerum commissa. At à Regina datum crimini, quod Aragoniæ Regem, & virum, Castellæ quoque Regem nominasset. Ea de causa virum innocentem, cuius prudentia, & æquitate Regnum in illa rerum perturbatione stare videbatur, à possessione paterna impotens fœmina deturbat. Quem Rex postmodum restituit; Reginamque de libidine suspectam grauiter increpat: quam etiam, quòd consanguinitatis gradu tertio tantùm distaret, dimisit, cùm se priùs Hispaniæ Imperatorem dixisset. A Bethica noui motus Regnum perturbare. Hali Rex Maurus magnis copijs agrum Toletanum vastare, ciuitatem obsidere, quæ se natura loci, & Aluari Fanij magni ducis industria, defendit. Multa ea expeditione oppida incensa, direptaque, dum Rex Aragonius oppidis à Mauris ablatis, aliâ parte, damna compensabat. Qui cùm in Castellam venisset, omnique officio subditorum animos conciliasset, Aragonia repetita, rursus alienati Castellani, exterum imperium recusare, præsertim cùm Vrracę filius Alfonsus extaret, quem auus testamento Regem esse iusserat. Quapropter multi hunc Alfonsum inter Castellę Reges non annumerant, qui septimus esse debebat. A Calecia Regni repudiati fuit initium, propter vetitas à lege nuptias: causa ad summum Ponti-

Clades à Mauris

Alfonsus Aragonia, non Castellæ Rex.

Pontificem reiecta, â Pontifice Gelmiro Compoftellano Epifcopo remiffa. Conftat inde Regem, nullo refpectu dignitatis, in Ecclefiæ Prælatos impiè fæuiffe. Alfonfus ergo Compoftellæ Rex inunctus Gelmiro cęremoniæ præfule. Ab Aragonia ergo mota in Calecos arma. Gometius Candefpinę Comes, & Petrus Lara Reginę riuales, hem pudor! Rem perdiderunt atroci pugna cum Aragonijs commiffa ad Sepuluedam. Initium fugæ à Regulo Larę. Gometius melior in prælio, in quo, cum diu hoftilem impetum fuftinuiffet, fortiter occubuit. Henricus Portugalliæ Comes impudentis odio Reginæ, magna pars victoriæ fuit. Deinde omni belli iniuria Legionem vfque penetratum. Caleci, reparatis viribus, pugnam repetentes iterum ab Aragonijs vincuntur. In ea Petrus Comes Trauę captus. Puer Rex Alfonfus operâ Gelmiri Præfulis fuga vix euafit. Nulla ea ętate pugna Caftellanorum ftrage nobilior. Legio, & aliæ ciuitates in Aragonij poteftatem venerunt. Stipendia defuere militibus. Lufitani confilio in facros Ecclefiæ thefauros iniectæ facrilegæ manus. At facrilegium diui tutelares, & indigetes non tulerunt.

Calecorũ clades.

Aragonij facrilegium.

Grauibus inflictis malis, & verfa belli fortuna, fcelus vindicatum. Martinius Munio cum trecentis equitibus, fubfidio veniẽs Aragonio, captus. Regina interim bellũ reparare. Rex accepta clade perterritus, maioris periculi metu, in Carrionem locum munitiffimum fe recepit. Ibi obfeffus aliquandiu. Pontificis vero legato fuafore induciæ factę, & obfidio diffipata. Rex periculo liberatus in oppida Larę Comitis irruit. Qui Reginę confuetudine vulgo probrofis carminibus profciffus, magnum odium apud omnes contraxerat: ita vt à Gutierro Fernandio Caftrio comprehenfus, & coniectus in vincula, mox fuga elapfus, Barcinonem fe contulerit, infenfos extimefcens. Interim puer Rex Alfonfus, Caftellæ Rex renuntiatus impuram matrem inter fuorum odia deftitutam, abire Regni adminiftratione compulit. Sicque

Vrracæ impudicitia.

ad mortem priuata vita peracta. *Ea sunt malè acta vitæ probrosa exempla.*

ALFONSVS VTERQVE CASTELLÆ, & Aragoniæ.

CAPVT XVII.

IMPERFECTO bello Castellæ Alfonsus Aranius in patriam redire compulsus est. Cæsaraugustani Mauri opibus, & potentia validi, crebris in Aragonios excursionibus à Castella Regem auocarunt. Vniuersumque belli apparatum in vnam
1118. Cæsaraugustam conuersum etiam exteri principes adiuuerunt. Anno ergo 1118. in campos Cæsaraugustanos irruptum: & quædam oppida, arcesque captæ. Ad tanti belli famam omnes Mauricæ vires collatæ: Ab Africa excita auxilia. Duplici pugna barbari superati, octauo tandem mense ciuitatem summa totius Regni lætitia dediderunt. Amisso ergo illo fortissimo propugnaculo, nobilissimaque ciuitate, Arabum in Hispania Regnum concidisse videbatur, & Aragoniæ Regis maiestas, productis terminis aucta.

Cæsaraugusta capta.

Altero anno Imperatoris opera, Burdinus Bracharensis Episcopus summum Pontificatum inuasit, postea verò à Paschali Pontifice diris deuotus, & Calixti diligentia captus, in exilio ab omni Episcopali dignitate spoliatus miseram vitam finiuit. Anno deinde 1122. Pax inter Aragoniæ, Castellæque Reges facta, & Aragonia præsidia Castellæ detracta, annitente Calixto 2. summo Pontifice Alfonsi Regis Castellæ propinquo, è Raymundi Patris sanguine. Anno sequenti in Bethicam irruptum: decem, cum Cordubensi, Reguli acie victi; multæque ciuitates, ne vastarentur agri, vectigales factæ. Hæc apud Aragonios. Alia parte Rex Castellæ Mau-

Burdini schisma.

1122.

Pax inter Reges.

Alfonsi victoria

Mauricam ditionem inuadere. Amissam Cauriam recuperare, ingentem prædam abigere, & omni belli iniuria Mauros vexare. At cum satis ad authoritatem Regiam vindicandam fecisse videretur, ad studia pietatis animum conuertit. Multa sunt in Hispania Cistercienfis ordinis Cęnobia constructa, & ab Rege pro temporis angustijs ditata, in propinqui sui Bernardi gratiā. Ipsumque Bernardum Hispaniam inuisisse multa monumenta probant. *S. Bernardus Propinquus Regis Alfonsi.*

INITIVM REGNI LVSITANI.

CAPVT XVIII.

HENRICO Lotharingio â Rege Alfonso sexto cum filia Therasia, quidquid in Lusitania barbaris erat ereptum, dotis nomine, Comitis titulo, datum diximus. Ex Therasia suscepit Alfonsum. Henrico mortuo Therasia eadem turpitudine, qua se poluerat Vrraca soror, Ferdinando Paecio Comiti Trastamaræ se substrauit, cum priùs Veremundo fratri Ferdinandi sui copiam fecisset, vt Lusitani Scriptores accusant. Ferdinandus ergo superbos genere spiritus, priuignum Alfonsum habere despectui. Tulit ad idoneam ætatē Alfonsus iniuriam. Qui iam grandior conciliatis proceribus arma in matrem, eius impuram consuetudinem, & vitæ turpitudinem detestatus, arripuit. Vicit Ferdinandum pugna cōmissa, quem cum matre in custodiam misit. Postea Ferdinandus è Lusitania iussus abscedere, matre in custodia retenta. Auxilia illa ab Alfonso Castellæ petere, pretium operæ nauatę Lusitaniam fore. Auxilia missa victa à Lusitano. Alfonsus habito delectu vindictę cupidus Lusitanum Alfonsum acie victum obsedit. Nunius Egas Alfonsi Pædagogus, magnæ prudentiæ vir, iram Regis oratione composita mitigauit: & sic honestis conditionibus obsidio soluta est. Anno deinde 1126. Bernardus Toletanus pręsul obijt, postquam Complutum Fenario fluuio tunc immis-

Therasia impudicitia.

1126. *Complutū a Bernardo expugnata.*

imminentem proprijs expensis expugnauerat. Quod oppidum propterea Toletanæ sedi attributum traditur.

1129. Anno 1129. à Legato Pontificis conuentus habitus, in quo de Regis coniugio actum. Duxerat Rex Berengariam Arnaldi Comitis Barcinonensis filiam, & susceperat ex ea filios, Sanctium, Ferdinandum, Elisabetham, Sanctiam. Legitimas fuisse nuptias definitum. Tribus annis sequentibus crebris in Mauros populationibus grassatum. Capta oppida ad Marianos montes. Moritur Arnaldus Barcinonensis Comes, succedit Raymundus filius. Eadem fortuna in barbaros, & perpetua felicitate ab Aragonio pugnatum. Infausto tamen exitu. Nam cùm iter faceret cum trecentis equitibus, à Maurorum infinita multitudine circumfusa ex insidijs occisus est. Corpus nusquam repertum. Testamentum ante aliquot annos condiderat. In quo multa oppida, possessiones multæ legatę Ecclesijs, expilatos thesauros sic restituere fuisse animum quidam interpretantur. Mandatum insuper, vt quoniam prole careret, Regnum Templarijs, Hospitalarijsque militibus Hierosolymitani sepulchri custodibus ex triente diuideretur. Exemplum tantæ pietatis nunquam Regibus probabitur, neque Regnis videtur salutare. Habitus Vasconum, & Aragoniorum conuentus Petri Tisonij magno viri ingenio sententia dissolutus, ad segregata concilia vtriusque gentis traxit studia. Vascones separato conuentu antiquum Regni ius repetiuerunt, auctore Sanctio Rosa Pampilonensi Episcopo.

Alfonsi Aragonij nex.

Garsias Ramiri filius nepos Sanctij Regis, quem Raymundus frater occiderat, communi gentis suffragio Rex dictus. Aragonij Montioniaco conuentu, Ramirum defuncti Regis fratrem Regem inferunt, quantumuis monachum, & ex S. Facundi Abbate præsulem Barbastri, Sacerdotemque raro exemplo, vt Rex simul, & Sacerdos esset, & ad sedandos motus vxorem ducere compulsus. Agnes Gullielmi Pictauorum, & Aqui-

Ramirus Rex, & Sacerdos

taniæ

taniç Principis soror illi vincta matrimonio est. Inde noua bella, Regnorumque dissidia nata: Garsię imbecillitate, Ramiri senectute. Alfonsus Castellæ vtrumque Regnum ad se pertinere disputabat. Id in otio Iurisperiti, Rex in armis, in quibus plerumque iura Regnorum potentiores ponunt. Non deerant studia vtriusque nationis. Ab Alfonso ergo quidquid superioribus bellis fuerat ablatum, recuperatum, & Castellæ adiectum est. Garsias se, suaque Alfonso committere. Legione igitur habito conuentu, omnium in Hispania Regnorum Augusti nomine declaratur. Et vt nostri Scriptores affirmant, Pontificis assensu contra Germani Imperij authoritatem. Ira Pontificis in Germanos Imperatores fortasis erat occasio. Inde Toleto ciuitatis Imperialis nomen magnificum. Extant D. Bernardi literæ ad Sanctiam, quam Hispaniæ Imperatoris appellat sororem. Fœdus inter Alfonsum, & Garsiam Vasconem in hunc modum ictum. Vt Garsias Cæsaraugustam Regni titulo Alfonsi beneficio teneret, stipendiariusque illi esset. Arma in Aragonium, quem vitio creatum prædicabat, sociaret. Inde Vasconum, Aragoniorumque sequutę clades. Vtriusque nationis conuentus, in quo de pace agebatur, authore Eneco Aiuario, seminato rumore, contra Ramirum à Vasconibus insidias parari, dissolutus.

Regnorũ in Hispania dissidia.

Alfonsus Imperator Hispaniæ.

Toletum ciuitas Imperialis.

Ramirus despectui habitus, vt passim Rex cucullatus diceretur, Regiam authoritatem crudeli sanxit exemplo. Oscam procerum conuentum indicit: in eo Tomeriensis Abbatis consilio, ab antiquitate tracto exemplo, capita eorum, quibus Regia maiestas ludibrio erat, amputare. Quinque viros primarios ex Lunę nobili familia occidit; alios ex alijs. Tandem anno 1137. Petronilæ filię Raymundo Barcinonēsi nuptijs conciliatis, nouo fœdere cum Alfonso Castellę, in quo contra priùs ictum cum Vascone, Cæsaraugusta restituebatur, Regni curam deposuit. Raymundus Alfonso stipendiarius factus, pacem reipublicę dedit. Et cum illo publico vtriusque

Ramirus Rex cucullatus.

Crudele exemplũ

1137.

Raymũdus Arageniȩ Rex

vtriusque gentis conuentu, peractis omnibus Cæsaraugustam faustis acclamationibus est inuectus. ¶ In fœdere sanciendo Gullielmi Raymundi, Catalauniæ Seneschalis (nomen id anthoritatis) præcipua opera fuit. Merces oppidum Moncada, à quo Moncadarum origo familię nobili. Ex aliena discordia Portugalliæ Comiti Alfonso authoritas, opesque creuerũt. Rex à militibus proclamatus, anno 1139. à pugna cum Mauris, in qua quinque eorum Regulos profligauerat, & à strage Regnum, armaque Regni quinque distincta Castellis, à totidem Regulis deuictis (Quinque vulnera Christi ineptè quidam interpretantur.) Et profectò nulla magis patet ad Regnum via, quam illustris victoria, præcipuè à Lusitanis tantopere decantata: & est gens in suorum Regum laudes effusa nimis. Victoriam, Regnumque nouum, vincula matris fœdare, & ob ea, à Romano Pontifice diris deuotus perseuerare. Manrici Laræ Reguli filiam Malfadam thoro sibi copulat. Ex ea filios Sanctium, Vrracam, Therasiam suscepit. Secundum victoriam, oppida (vt solet) non pauca Mauris ablata. Dissidia eorum in Africa inter Almohades, & Almorauides, Mauris in Hispania otium dederunt: & ab otio liberales disciplinę in publicum ab illa gente manarunt. Tres præcipui graues authores eo tempore floruerunt, Auicena, Abenrois, Aben Zoarius. Semper Corduba vtriusque disciplinæ literariæ, & militaris altrix, parensque habita est.

Montadarum origo.

Alfonsus Portugalliæ Rex. 1139.

Alfonsi Portugalliæ nuptiæ.

Corduba ingeniorum altrix. Auicena floret.

Alfonso ergo Portugalliæ, Sintria promontorium occupatum ad Vlisiponem, Regni caput, obsidendam viam aperuit, inuitatis exteris ad belli famam. Inter Castellæ, Vasconum, Aragoniæque Reges fœdera varia icta. In his Sanctij Castellę Principis, & Blanchæ Garsiæ Vasconum adhuc immaturæ nuptiæ pactæ. Cum Raymundo Aragoniæ, & Templarijs nouæ compositæ lites, vt Raymundo sine prole defuncto, Regnum ad Templarios, ex superiori testamento pertineret. Anno deinde 1144. inter Garsiam Nauarræ, & Alfonsum Imperato-

Varia fœdera. 1144.

perato-

peratorem pax nouo fœdere nuptiarum facta. Vrraca Alfonsi filia extra matrimonium habita Garsię iuncta est. Ex ea nata Sanctia, quę postea Gastoni Comiti Bearnensi nupsit.

Anno deinde 1146. inter Alfonsum, Garsiam, Raymundumque pax composita, & communibus armis in Mauros bellum decretum. Illi mari, Alfonsus terra tanto apparatu in Bethicam inuaserunt, vt multę ciuitates cum ipsa Corduba in potestatem venirent, quas cum conseruare non possent, Cordubæ Abengamia præfecto sub magno iuramento, Alcorano tacto, vt Alfonsum Regem cum annuo vectigali agnosceret, ad alia discessum. Eodem belli impetu capta Almeria concurrętibus Genuensibus tunc mari potentibus. Genuensibus ex pręda vas pretiosum smaragdinum, in quo Christus Dominus vltimam celebrasse cœnam, nullo firmo fundamento, traditur, merces nauatæ operę fuit. Quę omnia ad annum 1147. contigerunt. Quo tempore in Lusitania ab Alfonso capta Vlissipone, Mauri Christianorum armis vndique premebantur. Ergo Vlissipo Lusitani Regni caput amplissima ciuitas, portuosaque Mercatoribus Anglis, Gallis, & alijs nationibus opportuna, incredibili frequentia variarum gentium creuerat. Armis communibus commune Emporium est petitum. Incredibiles labores perpessi, & expugnatio difficilis celebriorem apud omnes fecęre victoriam; qua nouum Lusitanum Imperium firmatum est, nobilissima ciuitate Mauris erepta, in Regni caput constituta, & Christianis omnibus Emporio securo. Multi exteri mercaturæ opportunitate inuitati sedes ibi fixerunt. Eo tempore apud Parisios à Raymundo Toletano Pręsule corpus S. Eugenij Martyris, & Patroni fuit inuentum. Anno deinde 1150. summus Pontifex Alfonso Lusitani Regni titulum confirmauit.

1146. *Victoria Christianorum.* *1147.* *Vlissipone capta.* *Corpus S. Eugenij repertum.* *1150.*

Dd ALl

ALMOHADES IN HISPANIA.

CAPVT XIX.

DVM hęc in Hispania geruntur, Africa nouo Almohadum in Almorauides bello flagrabat. Erat Almohades nobilis Mahometicę superstitionis interpres, homo astutus, & ad inconstantia Maurorum ingenia versanda natus. Tumertus insignis mathematicus eum ad res nouas impulit, qui ex astris Abdelmoni cuidam nulla nobilitate nato Regnum Maurorum prædixerat. Ergo religiosa superstitione, qua homines vehementer capiuntur, & signis celestibus, quibus contraire Mauris nefas, duce Abdelmone, Almohade interprete, & vate Tumerto mathematico magna bella in Africa nata Imperium Almorauidum euerterunt. Inde ad ea, quæ in Hispania, animus adiectus: sic quidquid in ea Mauricum erat, in Almohadum iura concessit. Gens erat prorsus barbara, & fera, quæ noua in Christianos persequutione, qui ad hæc tempora misti Mauris, Muzarabes, corrupto nomine, vocabantur, exarsit. Compulsi omnes vel fidem abiurare, aut mutare sedes. Contigit id, quod in persequutionibus assolet. Multi fidem, proh nefas! deseruerunt, plures fortiter tormenta, necemque pro Christo subierunt. Et ab eo tempore quidquid inter Mauros Christiani nominis erat, prorsus hac est persequutione restinctum.

Almohadum origo.

Sæua persequutio in Christianos.

His in Hispania constitutis, Christianos tunc terra, marique potentes armis lacessere noluerunt, noua Regni cura in Africam reuocati. Hoc tempore prope Lorcam, Rex Nauarræ Garsias, equi casu afflictus ad rupem, obijt, & Sanctius filius successit. Alfonsus Imperator, & Aragonius Raymundus contra Vasconum Regem arma sociare, inito fœdere de Regno diuidendo.

Garsiæ mors.

do. Sed ad nouas nuptias distract, Alfonso æquiore reddito, consilia praua Regnandi cupiditate excogitata refrixerunt. Imperator omnem belli apparatum conuertit in Mauros. Vastata late Gennij, & Guadixij ditio, & diues auecta præda. Tandem anno 1157. Alfonsus obijt Rex, & Imperator longiori vita dignus, anno vitæ 51. gratissima in posteros memoria. *Obitus Alfonsi. 1157.*

SANCTIVS, FERDINANDVS Reges.

CAPVT XX.

SANCTIVS Castellæ, Ferdinandus Legionis, Regna testamento Patris adierunt. Sanctius ingenio miti, benignoque, & ad conciliandos animos facili. Ferdinandus aspero, & qui procerum animos ab se alienarat. Inter eos Pontium Mineruæ Comitem spoliauerat bonis, virum inter Legionenses Principem, bello, paceque bonum. Quem Sanctius Rex benigne suscepit, & bello gerendo contra Vascones præfecit. (Irruerant Vascones Regni fines, & armis Burgos vsque penetrarant.) Quos duplici prælio victos fregit externis auxilijs fretos. Proceres omnes, Francos præcipuè, captiuos liberaliter dimisit. Se non pro vindicta, sed pro tuenda Regia authoritate pugnasse dictitās. Ea liberalitate magnam sibi gloriam, gratiamque apud omnes, præcipue apud ipsum Regem Sanctium conciliauerat, qui minis fratrem Ferdinandum compulit, vt Comiti bona sua restitueret.

Eo tempore Calatrauæ militaris ordo cæpit celebrari. Oppido Calatraua in Oretanis à Christianis deserto, & à Raymundo Fiterij abbate, & altero monacho Didaco Velasquio recuperato, & in tutelam recepto. Res miraculi loco habita est. Duos monachos *Ordo Calatrauæ.*

cum suis clientelis, & militibus, qui eorum suasu se aggregarant, contra Mauros non solum oppidum defendisse, sed illustri Ordini militari nomen, initiumque dedisse: qui inde veluti ex arce sæpissimè magna strage è finibus Christianorũ barbaram gentem repulerint. Anno deinde 1158. Sanctius Rex, cognomento Desideratus, morte intempestiua decessit, anno Regni secũdo inchoato. Et erat magnus in Mauros collectus exercitus, qui ne frustra domos rediret, impetu facto in Bethicam Iuzephum Regẽ cum magna gentis clade vicit. Fadalla, & Homar duo Mauri strenui duces, cum eiusdem Iozephi copijs in Albulæ, Talauerę, & Placentiæ agros irrupere. Iam vero ingenti abacta præda in Bethicam remigrare, cùm Sanctius, & Gometius nobiles duces Ximenij filij, cum Albulensibus copijs ad Septem vada exercitum prędа graue consequuti ingenti pugna vicerunt, & dissiparunt, prædaque recuperata redierunt. Ab his nobilissimis viris Marchionibus de Velada trahitur origo.

Sanctij Regis mors. 1158.

Sanctius Rex moriens Alfonsum filium quadriennem Gutierro Fernãdio Castrio commẽdare, quo institutore regis tenera, ętas informata fuerat. Tulere cęteri Regni proceres grauiter vnum Castrium omnibus fuisse prælatum, eius arbitrio cuncta geri, & ex testamento ad quintum decimum annum rempublicam gubernari. Inter duas potentes familias Laras, & Castros cępta dissidia. Quæ ne armis decernerentur, Gutierrus insigni modestia puerum vnius ex Laris fidei contradit. Ferdinandus Rex Legionensis hęc omnia cum Regni cura sibi deberi disputabat, iusque suum armis repetebat. In Larę ergo ditionem cum exercitu Ferdinandus inuasit, omniaque late populatus Laras ad dedendum Puerum Principem compulit. Ne tamen dederetur, Nunij Almexiri viri nobilissimi fecit audacia, furto sublato in itinere infante: sicque Ferdinandi ars delusa. Eius tamen armis passim ciuitates, & oppida cedere. Ipsa vrbs Regia Toletum portas aperuit. Reges Vasco, Aragoniusque icto fœdere, Castellæ perturbationibus, tempus aduenisse rati,

Marchiones de Velada.

Dissidia in educatione Principis Alfonsi.

Nunij Almexiri facinus.

ti, quo impunitas superioris ętatis iniurias vindicarent: Oppida Castellæ ablata illis olim, sociatis armis inua serunt. Fœda rerum facies, & omnia in extremā deducta miseriam videbantur. Hæc ad annum 1162. Quo anno Raymundus Rex Aragonius gloria rerum gestarum nobilissimus obijt in Italia, cùm ad Imperatorem pro magnis controuersijs componendis festinaret. Successit Alfonsus filius nondum Regno maturus. Et quia Reginæ contemnebatur Imperium, impostori cuidam data tumultuandi occasio. Finxit se Alfonsum illum, qui tædio rerum Regnum deposuerat, incognitum bellis in Syria interfuisse, & ætas longęua, orisque lineamenta faciebant fidem. Sed Cæsaraugustæ comprehensus laqueo pœnas imposturæ dedit. *Fœda rerū facies, 1162.*

ALFONSVS VIII. CASTELLÆ REX.

CAPVT XXI.

ALFONSVS adhuc puer vndecim annorum Albula vbi hucusque latuerat, Regni precibus, è latebris prodiens ciuitates circuire, quæ tædio Ferdinandi passim deditionem fecerunt. Primo pauci proceres, qui in fide perstiterant, comitabantur. Albulēsis manus centum quinquaginta equitum cohors pręsidiaria erat. Placuit Toletum tentare. Præerat vrbi Ferdinandius Castrius, Manrico Comiti, qui Regē consilio, operaque gubernabat, infensissimus propter veterē ablatam tutelam. Huic tamen ex priuata contentione Stephanus Elianus nobilis Toletanus ciuis inimicus erat; qui cōmunicato cum Rege consilio ciuitatem tradidit. Vt res innotuit, Regemque ciuitatem occupasse, ad arma concursum. Regius fauor Ferdinandum Castriū è ciuitate deturbat, qui se fuga Optam subduxit, & cum Regis copijs conflixit. Manricus eo prælio Ferdinādum vicisse putans, militem eius insignijs armatum interfecit, qui postea pugnando fessus à Ferdinādo fuit occisus. *Raymundi mors. Impostor punitus. 1168.*

Detecta

Detecta fraude Nunius Manrici frater Ferdinandum proditionis accusat, & ad singulare certamen, de more, prouocat. Sanctis tamen viris annitentibus certamen diremptum est. Odium inter vtramque familiam æternum mansit, ita vt Ferdinandus Castrius abdicata patria transierit ad Mauros, dictitans aliquando, quem amicum repulerint, grauissimum hostem sensuros. *Sæpe læsa patientia magnos viros transuersos egit.*

1169. *Ferdinandus Castrius ad Mauros transit.*

Anno deinde 1169. Ferdinandus Rex Vrracam Alfonsi Portugalliæ Regis filiam, propter propinquitatem sanguinis repudiauit, cùm ex ea Filium Alfonsum successorem genuisset. Inde inter duos Reges datæ, & acceptæ clades multę. Anno deinde 1170. in conuentu Regni, quoniam ætas matura erat, ex testamento Patris, omnia concessa. Heleonora Filia Henrici Regis Angliæ matrimonio illi iuncta est. Albulę ciuitati, quòd fidem in seruando Rege, difficillimis temporibus, coluisset, priuilegia data memoriâ digna.

1170.

Duo Reges contra Petrum Asagram, nota.

Hoc tempore notatu dignum fuit fœdus inter Aragoniæ, Castellæque Reges contra Petrum Asagram, qui amicitia Reguli Murciæ, Albarracinum occupauerat. Quod oppidum Aragonius ad se pertinere, Castellæ Rex alia oppida Castellæ Asagram occupasse querebatur. Asagra loci naturâ confisus se, suaque ab vtroque Rege vindicare. Sed dum Reges diuersæ curæ distrahunt, Asagra vires, opesque confirmat. Aragonię Rex, dum Murcię bellum infert, â Vasconibus petitus alienissimo tempore reuocatus, Mauris attul t securitatem.

Ordinis D. Iacobi initia 1175.

Per hæc tempora, anno 1175. Ordo militaris D. Iacobi cæpit celebrari. Causa hæc. D. Eligij Canonici proprijs sumptibus iter ad D. Iacobum exteris securum à Mauris, prędonibusque, extructis xenodochijs reddiderunt. Quâ gratiam virorum potentium vehementer conciliare. Sic opes auctæ, potentiaque. Ad D. Augu-

Augustini normam instituta facta, & religio propagari cepta. Petrus Fernandus à Ponte Encalato Romam profectus legationis Princeps à Pontifice diploma ordinis abstulit, & priuilegia, primusque militię magister est dictus. Anno sequenti 1176. à Regibus Castellæ, & Aragoniæ, Chonca Vrbs obsessa, & quia locis condita inaccessis, duobus fluminibus cincta, inexpugnabilis videbatur, annonæ caritate Rex Castellæ compulsus Burgos properauit ad indictos conuentus Regni, si forte nouo vectigali Ærarij inopiam ad stipendia militaria supplere potuisset. Didacus Harus Cantabrię Regulus Ferdinandi Regis affinitate superbus, (Vrracam Lupi Hari filiam Ferdinandus Rex duxerat, sororem Didaci, ex qua Sanctium, & Garsiam susceperat) Regi Alfonso suasit, vt nobilibus quinque aureos marauedinos tributum quotannis imponeret. Restitit Petrus Lara Comes, & armis nobilitatis immunitatem, armis partam, tueri oportere dixit. Sic dissipatum consilium. Petro Laræ à nobilibus datum, vt is, posterique à proceribus conuiuio splendido acciperentur, quod nobilitatis defensæ illustri familiæ monumentum esset. Tandem nono obsidionis mense, anno 1177. Choucha nostrorum virtute expugnata est, oppidaque non pauca in potestatem venerunt. Regi Aragonio nauatæ operæ merces, sublata antiqua subiectio, qua Castellæ Regibus parere, & in eorum verba iurare cogebantur.

Concha obsessa. 1176.

Petri Laræ nobilitatis vindicis facinus.

Choncha expugnata 1177.

Aragoniæ immunitas.

ALFONSVS PORTVGALLIÆ captus à Ferdinando Legionensi.

CAPVT XXII.

NIHIL inconstantius vulgo, aut pauet, aut terret. Legionenses à Ferdinando alienati, correptis armis, exemplo pernicioso, tumultuari, lecto Nunio Rauia duce. Repressi seditiosi prelio

prelio victi. Et supplicium de Rauia more militari sumptum. Deinde Ferdinandus Castrius, quem ad Mauros transisse diximus, superatus à Rege, & ad meliorem mentem reductus, vt pro Christianis, quàm pro Mauris pugnare mallet. In gratiam ergo receptum cum exercitu ferocem, & iratum in Alfonsum mittit. Alfonsi copias vicit, Proceres plurimos cepit: inter eos Nunium Laram æmulum. Quos omnes magna comitate acceptos, amicitiam, fidemque iuratos liberaliter dimisit. Deinde repudiatâ priori vxore, Stephaniam Ferdinandi sororem duxit. Atque ita militari scientia clarus, Regis propinquitate nobilior euasit. Hęc omnia excepit Lusitanum bellum.

Bellum Lusitanū. Alfonsus Portugalliæ Rex ægrè ferre Ferdinandum Mirobrigam in finibus Lusitaniæ instaurasse, vel hac solà ciuitate Lusitanis Regibus compedes iniecisse. Ergo Filium Sanctium cum iusto exercitu Mirobrigam obsidere iubet. Quem Ferdinandus superauit, & milites abire liberos permisit. Alfonsus clade nuntiata, reparatis viribus, in Calecos irrupit. Capta oppida, Pax Augusta tentata; quæ quamuis in Maurorum potestate, Ferdinando fœderata erat. Pars magna ciuitatis iam capta fuerat, cùm Ferdinandus accurrit. Rex Lusitanus vndique petitus à Mauris, & Christianis, victus venit in potestatem, afflicto crure ad portæ vectem, qua fugere parabat. A Ferdinando liberalissimè, & apparatu Regio habitus, sanusque in Regnum est remissus: cætera vt antea manserunt. ¶ Anno deinde 1181. Ferdinandus Rex Alfonsum Lusitaniæ ab Almohadibus, quos ciues Pacis Augustæ in auxilium exciuerant, obsessum liberauit: Mauros fugauit, & oppida recepit ablata.

Rex Lusitanus captus. 1181.

Anno 1184. Almohades Aben Iacobo Rege duce, magnis copijs in Lusitaniam irruerunt. Alfonsus Rex quamuis in ætate præcipiti, & Sanctius filius gloriæ cupidus, habito totius Regni delectu, victoriâ, spolijsque insolentibus Mauris occurrere. Commissâ pugnâ Mauri ingenti clade prostrati: Rex ipse saucius, dum fugâ

Lusitanorum victoria. 1184.

fuga Tagi fluminis pertentat vada, vortice correptus perijt. Hoc anno Sanctius Vasco Rex, propter iniurias priuatas, vastatis Castellæ finibus graui abacta præda discedebat, cùm à Cardeniæ Abbate ablata restituere compulsus est, arrepto Cidi vexillo, Regique mõstrato, precibusque flexo. Rex enim Cidi proauum in vexillo veneratus, omnia illi cõdonare ait. Vexillumque ad eum vsque locum, vnde fuerat refixum, comitatus est. *Cidi vexillo honos.*

Anno 1185. Alfonsus Rex Lusitaniæ nonagenario maior decessit, Sanctio successore. Sequenti verò, Castellę, Aragoniæque Reges legem contra Petrum Asagram tulere, qua cuncti affines, propinqui, & necessarij illius, ab vtriusque Regni finibus arcebantur. Ratio, quòd in nullius verba iurare potuisset adduci, seque tantùm seruum B. MARIAE prędicaret. Regum discordia creuit illi potentia, & Albarracini natura munitissimi. Ludibrium Regię dignitatis videbatur, vnum hominem tandiu duobus Regibus restitisse. Anno 1188. Ferdinandus Rex Legionensis obijt. Vir bello, quàm pace melior, libidinis Regnandi inexhaustę. Reliquit Alfonsum filium Regni heredem. 1185. 1186. *Petrus Asagra nullum agnoscit Regem. Ferdinādi mors.* 1188.

Anno 1194. Sanctius 7. Rex Vasconum cognomento Sapiens moritur. Vir literis deditus, & exactæ sapientię, prudentiæque; vnde illi cognomen. Successit Sanctius filius cognomento Fortis. Anno sequenti nobis funesto, à nostris contra Mauros malè pugnatum, ad Alarcum. Martinus Toletanus Pręsul iussu Regis in Bethicam irruens Mauros magna clade affecerat. Quam cum Miramamolinus Aben Iuzephus resciuisset, (Imperium is in Africa eo tempore tenebat) innumera multitudine in Hispaniam traiecit. Rex Alfonsus periculo motus ad oppidum Alarcum, non expectatis Regibus Legionis, Vasconum, & Aragoniæ, quos in auxilium acciuerat, viribus impar cum infinita multitudine pugnare, à qua nostrorum virtus obruta, & oppressa est, & exercitus magna ex parte cæsus. *Sanctius Vasco Rex moritur.* 1194. *Nostri à Mauris victi. Aben Iuzeph. Almobadũ in Hisp.*

Regis publicum peccatum hac expiatum cęde vlugus

Regis Alfonsi turpitudo. interpretabatur: quòd cum Iudæa fœmina sacrilega se consuetudine miscuisset. Fertur Regi in libidinem furenti Genium bonum mortem minitantem, ni à nefario concubitu abstineret, apparuisse. Moritur anno sequenti
1196. *Alfonsus Aragon. moritur. Petrus Rex.* Aragoniæ Rex Alfonsus virtute militari clarus, Petro successore. Quo anno barbari superiori victoria elati, vastatis agris, oppidisque direptis, Toletum armis vsque penetrare; quam decem dierum obsidione terruerunt.

Anno sequenti Barbarus insolentior maiori belli mole, latè omnia vastat, & incendit. Alfonsus Rex ad externa auxilia respicere, cum Legionensis Rex, & Vasco diuersâ in Castellam irruperant. *Epiphonema.* *Heu turpis Christiani nominis nota! Amicos ab hostibus victos, & oppressos, quos opibus, & potentia iuuare debebatis, nouo bello in extremam infelicitatem, in interitum impulistis?* *Miser Castellæ status.* Misera erat Castellæ facies, & fœda omnia. Rex ergo Alfonsus cum Aragonio paciscitur, & grandem exercitum comparat. *Castellæ & Aragoniæ fœdus.* Et vt iniurias Legionensis, & Vasconis vlcisceretur, de sanciendo fœdere barbarum Regem interpellat. Gratus ad pacta barbarus præbuit aures, quòd eum Africani Regni, & Lusitani, à quibus multa mala gens Arabum patiebatur, auocabat cura. Sic
1200. ad annum sęcularem 1200. nulla re alia memorabili tritum tempus.

Quo inter Alfonsum Legionensem, & Therasiam Lusitanam vxorem, vetante lege propinquitatis, matrimonium diremptum, anathemate Pontificio, bello à barbaris illato, peste, fameque cogentibus. Tandem Castellæ, Aragoniæque Reges communibus armis in Vasconem impetu facto, eum ad Africana auxilia compulerunt. Ergo Vasco dum in Africam nauigat, Alfonsus Castellæ, Aragoniusque Regnum Vasconum à Rege destitutum inuadunt. Ciuitates oppidaque capta, & iure belli diuisa. Rex Vasco ab Africano repulsus, in Regnū magna ex parte diminutum reuersus, legatos de pace supplices mittere. Nihil tamen ab illis Regibus extortum

tum præter speciosa verba: & parum præsidij ab alijs Regibus erat, nouis ab eo coniugijs alienatis. Sic belli alienissimo tempore illati compensabatur iniuria. *Et ò Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.* Datę tamen induciæ, & ad annum 1209. suspensa omnia. Quo *Psal 2.*
Reges quatuor; Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & Vasconum, depositis hostilibus animis, in communem reipublicæ bonum, fecere fœdus, vt à ciuilibus bellis in barbaros animos auocarent. Quo anno à Rege Alfonso, hortante Roderico Toletano præsule, publicum literarum Gymnasium, Palentiæ constructum est: & nobilissimi exteri bonarum artium Professores præmijs inuitati ad erudiendam iuuentutem illam Martiam, & rude seculum informandum. 1209.

Palentina Academiæ initium.

DE BELLO MAVRICO.

CAPVT XXIII.

SEQVITVR in Mauros nobilissimum bellum, anno 1210. quo Castellę, Aragoniæque diuersâ mota sunt arma in barbaros. Aragonij Mauri ab Aragonio Rege vexati non pauca oppida amiserunt. Castellæ Regis filius Ferdinandus iussu Patris Bethicam vastare, magnaque hominum, pecorumque prȩda abacta remigrare: cùm Patrem obuium cum exercitu habuit. Mahomadem cum totius Africæ viribus traiecisse, quibus Hispaniæ quidquid erat Arabici Regni, suas quoque sociauerat, renuntiat. Spem illi occupandæ prouincię vniuersæ, firmumque animum gerere: iamque Regnum insuperabili multitudine penè obruere. Non solum Hispaniæ viribus, sed externis auxilijs opus esse. Nunquam Mauros tam ingentes copias coacerbasse. ¶ Exhorruit Rex ad tam infaustum nuntium. Funestius redditum sequutâ eiusdem Principis Ferdinandi paucos post dies morte, iuuenis 1210.

Ingentes Maurorũ copiæ, & metus Christianorum.

Ee 2 magnę

magnę spei, & qui superioribus bellis optimi Principis, & strenui ducis specimen prębuerat. Bellum in annum sequentem dilatum. Reges omnes Hispaniæ ad id vnum intentos, vires conferre, auxilia externa concire. Rodericus Toletanus Præsul Romam amandatus, vt à Romano Pontifice peccatorum indulgentias Hierosolimitanę expeditioni concessas, militantibus Hispanis obtineret. Quibus in Hispaniam auxilia externa excita plurima.

Magnus belli apparatus. 1212. *Sanctius Rex Lusitanus moritur.*

Anno, ergo 1212. Magna mortalium multitudo Toletum confluxit. Affuerunt Reges. Aragonium viginti peditum, equitum tria millia, & quingenta sequebantur. Lusitanus Rex Sanctius moritur hoc anno, successore filio Alfonso. Manus tamen Lusitanorum non contemnenda concurrit. Motis Toleto castris, magno impetu, qua ibatur, omnia ferro, flammaque vastata. Nulli ab exteris pręcipuè parcitum. Recepta Calatraua, & militibus, quibus adempta fuerat, restituta. Copiæ exteræ tędio prolixæ militiæ omnes ferè dilapsę, nostrorum animos vehementer perturbarunt, & Mahomadem qui se Gienniæ tenebat, tanti exercitus metu, in prælium exciuerunt.

Perturbationem discusſit Vasconis Regis aduentus cum valida suorum manu. Montes Mariani, qua nostris transitus, ab hostibus insessi erant. Vel aliâ in Bethicam prolixo circuitu penetrandum, vel retro abeundum, ne temerè in loca iniqua, & infessa præcipitarentur nostrę copię. Hoc in concilio disputatum. Vicit Alfonsi honestior, sed periculosior sententia. Plerique deserenda castra iudicare, temerariam Regis sententiam detestantes.

Rem prope disperatam Diui tutelares, indigetesque sustentarunt. Rustici ductu per occultos tramites (Genium bonum fuisse credidit ætas illa) insidias nostri euaserunt. Ventum ad planitiem. Biduum curandis corporibus, animisque sacra synaxi procurandis consumptum. Mauri formidinem interpretantes, Reges, exerci-

exercitúmque tanquam oues neci destinare. Sparsus rumor per Prouinciam Reges cum exercitu trucidatos, omnia timore occupauerat. Tertia tandem die instructa acies. Didacus Harus primum agmen in fronte ducebat. Mediam aciem Gonsalus Nunius procurabat. Postremam Castellæ Rex tutabatur. Reges Aragoniæ, & Vasconum in cornua reiecti. Commissa pugna est à medio agmine, Aragonij, & Vasconij à cornibus irruunt. Triplici impetu nulla facta in hostes impressio. Et nostri infinita illa multitudine obruti fugã respectare videbantur. Alfonsus Rex in medios irruere, rei indignitate commotus, parare: à Roderico tamen Toletano, retardatus; eius incolumitate totius exercitus salutem pendere dictitans. Extrema illata signa fessi iam Mauri non tulerunt. Sequuta fuga, & Maurorum incredibilis strages, ducenta eorum millia profligata memorantur, cum è nostris vigintiquinque (alijs quindecim supra centum) cecidissent. Ipse Rex Mahomades elapsus fuga magnis itineribus necem vitauit. Dominicum Paschasium crucem, quam de more Roderico Episcopo præferebat, per conferta hostium agmina illæsum circumtulisse. Crucem præterea rubram in aere apparentem Mauris terrorem, nostris animos fecisse: multa hostium millia sine vllo vulnere, sine sanguine profligata, miraculosam victoriam fecere.

Acierum ordo.

Pugna.

Ingens victoria.

Nunquam Christiano nomini gloria maior, nec Mauris maior luctus vnquam. Orbem vniuersum tam insignis victoriæ fama peruasit. Romæ dies festi decreti tota vrbe, cui priùs ad puluinaria Diuûm summus Pontifex supplicationes, ieiunia, & nudipedalia indixerat. Rex Vasconum tam magnæ victoriæ monimentum, catenas, quas in Castris Maurorum fortiter abruperat, clypeo circum limbum addidit. Præda militibus diripienda data. Mahomadis tentorium auro, gemmisque distinc-

diſtinctum Regibus Aragoniæ, & Vaſconum conceſſum. Alfonſus ſola gloria contentus, qui deinceps homine maior eſt habitus. Haſtarum, & ſagittarum tam ingens multitudo reperta, vt biduo, quo in Caſtris diripiendis immoratum eſt, ad ignem applicata non fuerit conſumpta. Toleti ab Alfonſo triumphatum. Omnes honorificentiſsimè in Patriam remiſsi. Dies victoriæ inter ſacros relatus, anniuerſaria celebritate colitur.

Finis Libri Quarti.

M A-

MAGISTRI

ALFONSI

SANCTII.

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ

Anacephalæosis.

LIBER QVINTVS.

ALFONSI CASTELLÆ, ET Petri Aragonij obitus.

CAPVT PRIMVM.

QVIESCEBAT Hispania partâ superiori victoriâ illustris, cum Gallias Albigensium hæresis perturbabat. In primis nefaria pestis illa quorundam Principum animos occupauit, è quorum numero Tolosę Comes erat, Petro Aragonio affinitate coniunctus. Habebat in matrimonio Eleono-

Eleonoram Petri sororem, Raymundus filius alteram sororem Sanctiam. Ea causa suscipiendi belli ab Aragonio pro Comite Tolosano, cui Pontifex, & multi alij Christiani Principes cum magno cruce signatorum exercitu, duce Comite Simone Monfortio bellum intulerant. Armis opprimenda hæresis erat, apud quam nulla ratio, persuasio nulla, nullaque admonitio valuit. Petrus ergo Rex Aragonius omnes Regni vires ad defendendum Comitem Tolosanum iure propinquitatis, cæterosque, quos morbus ille corruperat, contulit. Legati Pontificis, D. Dominici exhortationibus, & miraculis à sententia tuendę hęresis abduci non potuit. Sic Rex fatali pertinacia in interitum ruebat.

Petrus Aragonia necatur. 1213.

Anno ergo 1213. commissô prælio, Monfortius cum octingentis equitibus, & mille tantum peditibus raptim collectis, contra numerosissimum exercitum dimicat. Suis Deus animos fecit, addidit robur. Nam quis credat tam robustum exercitum à tam paucis profligatum! Primus Petrus Rex cadit, & cum eo proceres quidam. Sic minas, quas D. Dominicus à Deo fuerat comminatus, expertus occubuit, tam lamentabili dignus clade, qui pro impietate pugnare voluerit, vitamque varia libidine fędauerit. Cętera vir Catholicus, & multis alijs virtutibus clarus. At ea ætate viri militares, & bellicosi, non ita Religionis discrimina iudicare solebant, cùm ius in armis plerumque haberent. Reliquit tantùm filium legitimum quadriennem, Sanctio Ruscinonensi Comiti, & Ferdinando patruis expositum ad omnem iniuriam, cùm vterque Regnandi libidine flagraret. Ægrè ferebant Regni proceres, & præcipuè Petrus Asagra Regulus Albarracini innocentem puerum paterno Regno spoliari, & in Simonis Monfortis potestate instar esse captiui. Decreti ergo legati Romam ad Innocentium Pontificem puerum Regem petitum. Quo tempore Simon Monfortius expugnata Tolosa in Concilio Mompelleri, omnium, quę belli iure acquisierat, Princeps declaratur. Eodem tempore

Simon Monfortius princeps.

Hispania

Hispania fame, pesteque afflicta erat. Rex Alfonsus cum Legionensi, facta pace communibus armis Mauros vrgere, à superiori victoria fractos. Prior Legionensis in hostiles fines irrupit, oppidum Alcantaram cepit, & Calatrauæ militibus attribuit. Hoc initium militibus de Alcantara. Alfonsus fame compulsus exercitum in mitiorem Regionem reduxit. *Militaris ordinis de Alcantara initia.*

Hoc tempore cum Mahomad, post insignem superiorem cladem, in Africam ad reficiendas vires traiecisset, frater Zeith valentiæ se Regem dixit. Exemplum alij sequuti, Cordubæ, Hispali, diuersa Regna constituerunt. Sic Mauricum imperium in varias lacinias diuulsum in præceps ruere: Cùm Rex Alfonsus in ipso belli apparatu, quod contra Gallos meditabatur pro Anglis. Obijt anno 1214. Bello, paceque clarus. Vixit 57. annos. *Alfonsi obitus. 1214.*

CASTELLÆ, ET ARAGONIÆ motus.

CAPVT II.

Castellam, Aragoniamque turbida tempora vexauerunt. Puerilis vtriusque Regis ætas ambitiosis hominibus tumultuandi occasio erat. Iacobum Aragonium Bernardus Cardinalis Pontificis legatus à Comite Monfortio abductum patriæ restituit, publica, & incredibili omnium ordinum lętitia, & fausta acclamatione Magnum futurum Regem prænuntiante. Illerdam Regni proceres, & procuratores condicta die conuenere. Sanctius, & Ferdinandus patrui venire recusarunt. Ibi à cunctis in verba Regis iuratum, exemplo nouo, quod in posteros emanauit. Sanctio patruo (pacandæ factionis hęc tutior via se monstrabat.) Regni administratio demandata est. Sed animo Regnandi cupido ad nouas res

Ff ad-

administrata materies hoc consilio. Peior Castellæ conditio erat. Henricus Alfonsi filius vndecim annorũ, quid in Castellę proceres poterat, si non regnandi, saltem pro nutu versandi omnia cupiditate inflammatos? Defuncta Regina matre, penes quam Regni administratio erat, Berengaria Legionis Regina pueri ætatem gubernare, fœmina virili animo ex testamento materno, cępit. Laræ familia Regno assueta prudentissimæ Reginæ non tulit imperium. Erant tres potentissimi fratres, Aluarus, Ferdinãdus, Gonsalius, Nunij Comitis filij. Roderici Toletani Pręsulis Romana profectione ad generalẽ Episcoporũ conuentum, tribus his germanis ad inuadendã Regni administrationẽ creuit audacia, cum nulla alia superesset autoritas, quæ illos ab imperandi libidine reuocaret.

Castella tumults.

Lara familia dolus, & tyrannis.

Ascito ergo Garcia Palentino ciue, qui apud Reginam plurimum gratia valebat, homine astuto, & vafro, Reginæ persuasũ, vt se Regni adiministratione abdicaret, omniaque cũ pueri Regis educatione Laris permitteret. Actum, vt inter illos compositum, est. Laris ergo omnia concessa, & in rempblicam inducta tyrannis. Aluarus accepta potestate in priuatam vtilitatem abuti, Proceres, quibus hæc displicerent, fictis criminibus Regno expellere. Bona Ecclesiarum inuadere, publica, & priuata domum auertere, omniaque violenter agere. Rodericus Toletanus absentis præsulis vicarius Aluarum anathemate perculsum ad resarcienda Ecclesijs damna compulit. Mansit tamen illi semper ingenium. Hæc, & alia multò attrociora Regni proceres impulerunt, vt Reginam adirent, rogarentque Regni curam, & administrationem repeteret, si Rempublicã saluam esse vellet. Altiores tamen radices egerant mala, quam, vt à fœmina conuelli potuissent. Eo etiam Aluari processit audacia, vt Reginæ oppida, quæ sibi ad authoritatem, & sumptus retinuerat, abstulerit. Sic beneficia compensantur.

Malfada Regis Lusitani soror, à Laris puero

1216. se-

Regi conciliata erat: sed matrimonium vetante lege propinquitatis à Pontifice rescisum est. Hæc ad annum 1216. Sequenti verò tam in Castella, quam Aragonia perturbata omnia. Ad arma ventum inter proceres. Rapinæ, cædes, exilia vbique. Tandem Rex puer dum Palentiæ lusitat tegulę testa diffracto cerebro perijt. 1216. *Henrici mors.*

FERDINANDVS SANCTVS.

CAPVT III.

BERINGARIAE defuncti Regis Henrici sorori, (Nam Blanca maior Ludouico Philippi Gallię Regis filio nupserat, & externum Imperium Castella recusabat) Regnum est delatum. Quæ iam Alfonso Legionensi quatuor liberos genuerat, Ferdinandum, Alfonsum, Constantiam, Berengariam. Continuo illa Ferdinandum filium accersijt, & Castellæ Regem esse iussit. Magni motus inde sequuti. Alfonsus Rex & Pater Castellam sibi deberi disputabat. Armatus ius repetere, prouinciamque vastare. Repulsus tamen breui est in Regnum à Castellæ proceribus. Laræ omnia turbare, prędas agere, & Alfonsi Regis partes fouere. Aluarus dum Legionensis castra cum valida manu sequitur extinctus morbo Tauri est. Homo dum vixit, reipublicæ fax, insana dominandi libidine. Ferdinandus frater in Africa, quo se, desperatis in Hispania rebus, contulerat, prope Marrocium obijt. Vterque militiam S. Iacobi procurandis animis amplexus in mortis limine. Sublatis, qui rempublicam turbabant, optima pace Castella, tot fessa malis, florere. Præcipuè cum ea ętate, Sanctus, & admirabilis vir Dominicus Hispanus, miraculorum gloria, & sanctitatę vitæ, & puritate doctrinæ, non solùm Hispaniæ, sed toti illuceret Ecclesiæ. In agro Vxamensi prope Calarogam ex illustri Gusmanorum familia natus nobilitatem generis *Aluari mors.*

virtutum ingenuitate superauit. Hoc tempore in Hispania multa sunt pijs, religiosisque hominibus fundata monasteria, tam à Ferdinando Castellæ, quàm à Iacobo Aragoniæ, vt sic (ô discant Principes) aucta Religione, imperia quoque propagarent. Nam in Aragonia diuæ Virginis MARIAE de Mercede nuncupata, in Castella Ordinis Dominicani iacta fundamenta Regni stabilierunt opes. Hęc ad annum 1220. Sequuntur duorum Regum matrimonia. Ferdinandus Castellæ Beatricem Philippi Germaniæ Imperatoris filiam, Iacobus Eleonoram Berengariæ Reginę sororem vxores duxerunt. Sed quot labores Iacobus peruaserit, quo modo è patrui Sanctij potestate liberatus fuerit, qui ciuiles motus extiterint, nobilis Aragonię Scriptor Zurita dedit copiose. Anno 1223. Alfonsus Lusitanus Rex cognomento Crassus obijt, successore Sanctio filio.

1220. Regum matrimonia.

Alfonsus Lusitan. moritur.

BELLVM MAVRICVM AB vtroque Rege gestum.

CAPVT IV.

CASTELLAE, & Aragonię ciuilibus bellis agitatis tandem reddita pax, cęlo propitio, & arma conuersa in Mauros, quibus pax inconcussa fuerat à ciuilibus procellis. Ferdinandus Castellę magnos delectus habere, agros vastare, oppido Quesada, quòd loci natura se defendisset, vi capto, direptoque septem millia Maurorum in seruitutem abducta: sæuitumque in cætera, exemplo alijs vitandæ temeritatis. Inde oppida multa, qua capta, qua incensa, terrore belli Mauris vbique illato. Sic annus felici expeditione consumptus. Rex triumphantis more Toleto faustis acclamationibus inuectus, cum diuite exercitu ab hostili præda.

Victoria de Mauris.

Se-

Sequentibus annis expeditiones repetitæ eadem felicitate. In Aragonia rerum perturbatio magna Iacobi teneram ętatem exercuit. Supra ętatem Rex, fauente cęlo, varias vitauit insidias. Valentiæ Regem Zeithum copioso vectigali pacem redimere compulit. Ferdinandus Giennium obsedit, quam Rex capere non potuit, virtute Aluari Castrij, qui Regi iratus, renũtiata patria cum valida manu ad Mauros defecerat. Postea tamen Regi conciliatus, egregiam nostris contra Mauros operam præstitit. Variæ vbique victoriæ de Mauris gentem barbaram infinitis cladibus obterebant. Pugna vna à militibus præsidiarijs inita Rex Hispalensis viginti millia Maurorum amisit.

Anno 1229. Iacobus Aragoniæ conuiuio splendido Tarracone à Petro Martello primario ciue, & copioso, acceptus, remotis mensis, varia disputatione ad expugnandas insulas Baleares incitatus est. Bellum indicto conuentu tanta animorum alacritate susceptum est, vt ad subsidia Bouaticum, (tributi nomen à boue) semel Regibus concedi solitum, iterum fuerit collatum. Par animis belli apparatus. Maioricæ vrbis expugnatio prima fuit. Multitudine Maurorum nostri pene obruti. Gullielmus Moncada Bearnæ Regulus, Raymundus Moncada, & alij viri primarij ceciderunt. Tandem vineis, pluteis, catapultis vrbs ingenti Maurorum strage expugnata est: cùm Aragonius propositas pacis conditiones respuisset, suadente Nunio Comite Ruscinonensi, quòd interemptam nobilitatem, internecione Maurorum compensare voluisset. Fortè desperatione Mauri in rabiem acti nostrorum fortitudinem, constantiamque vicissent, ni dubiam victoriam Regis præsentia certam confirmasset. Capta ergo Maiorica est anno 1230. pridie Kalen. Ianuar. 1229.

Baleares expugnatæ.

Maiorica capta.

Eo tempore Alfonsus Legionensis validis copijs castra Cęcilia sępius tentata expugnat, munitissimum ea parte Regni Maurici propugnaculum. Obuium habuit Abenhuthum Regem Valentiæ: Zeithum is expu-

Castra Cæcilia expugnata.

expulerat Iacobi Regis amicum, & ciuitatem occupauerat. Qui, vt nouum Regnum præclaro facinore confirmaret, cum magnis copijs occurrit Alfonso viribus multo inferiori. Coacto concilio more militari sententias rogat, in varias itum. Pugnandum est, ait Rex, nec patiar senectuti meæ turpem inuri notam. Pugnatum ergo, & parta nostris miraculosa victoria. Nam multi diuos tutelares, Iacobum, Isidorum, & alios in acie vidisse confirmarunt: & certe probauit miraculum Maurica strages à paucioribus, qua nulla eo tempore maior. Alfonsum, dimissis in hyberna militibus, meditantem in sequentem annum bellum maiori apparatu, mors oppressit. Contra testamentum Regis Ferdinandus magna celeritate, consilio matris, Legionense Regnum adijt, & Castellæ adiunxit: statim enim omnia illi prona. Duplici Ferdinandus auctus potentia contra Mauros maiorem belli apparatum adornare.

Victoria miraculosa.

Anno 1234. Sanctius Vasconum Rex moritur, Theobaldo Campaniæ Comite iure propinquitatis successore. Ferdinandus, & Iacobus diuersa bellum in Mauros instaurare: Aragonius Balearibus expugnatis, felicitate ferociori. Ferdinandus auctus nouo Regno animosior. Iacobo Valentinum bellum paranti Bonaticum iterum concessum. Hoc anno Iacobus, pacta vicinorum salute, Burianam, Almansoram, Peniscolam, & alia oppida cepit. A Ferdinando Vbeda, Biatia expugnata. Inde Legionem abijt, dimissis in hyberna militibus. Qui contra Mauros, cum quieti esse non possent, Cordubæ agros vserunt. Omnia ergo latè populati Almogarabes quosdam (veterani milites erant Mauris) in pugna ceperunt. Ab his optimam capiendæ Cordubæ occasionem edocti, ea parte Vrbis, quę Arabicè Axarchia est, nocte intempesta in ciuitatem admissi, rem celeri nuntio Christianis euulgarunt, vt citò accurrerent magnæ rei cęptis: cùm ipsi numero exiguo aliquot tantùm turres, vnamque portam tandiu occuparent, donec perficiendo tanto negotio vires adessent. Primus Aluarus

Sanctius Vasconũ moritur. Theobaldus Rex Vasconũ. 1234.

Castrius

Castrius Tuccis, quod oppidum præsidio tenebat, auxilio accurrit. Rex magnis itineribus Legione aduolat. Abenhuthus Rex ad omnia suspēsus erat, & anceps, cùm hinc Cordubę periculum, inde Valentinum instaret. Vtri parti faueret, Regni pars magna ruebat. Suarius in Regia Castra speculatum missus, vt cum insigni beneficio rediret in gratiam, cum Rege Ferdinando communicato consilio, Barbarum à ferendo auxilio Cordubæ deterruit, cum multo maiora de nostris prædicaret, & ad bellum Valentinum auertit. Ea res nostris, fuit saluti, cum Regi Abenhutho, magnis copijs cincto, & vrbanis pariter non potuissemus resistere. Barbarus ergo, dum ad Valentinum bellum proficiscitur, Almeriæ suorum insidijs obtruncatus Christianos magno metu liberauit. Cordubæ tunc pertinaciter pugnabatur. In ipsis vijs, & plateis Christiani pro victoria, & obtinenda Maurici Regni amplissima ciuitate, Mauri pro patria, pro Imperio, proque salute communi quotidie cruentam pugnam inibant. Qui sua multitudine, & externi auxilij spe, vitam, & libertatem ęgram trahere. Christiani cognita Abenhuthi nece, acriùs instare, & vrgere. Quam cum Mauri ex captiuis cognouissent, animo conciderunt, & abiecta spe defendendæ vrbis, de pace, deque dedenda ciuitate legatos ad Regem destinarunt. Mauri graues conditiones respuere, pugnam instaurare, & resumptis viribus tempus trahere. Nostri grauiores indies minitari. Tandem pacti salutem, ciuitatem dediderunt, data, quo vellent, abeundi potestate. Campanę ab Alhagibo olim, euersa Compostella, humeris Christianorum Cordubam auctæ, Maurorum humeris Compostellam reuectæ, Diuoque Iacobo restiturę sunt, iniuria compensata. Capta Corduba est anno 1236. mense Iunio, die Apostolis Petro, & Paulo sacro.

Corduba capta.

Abenhuthus occisus.

Capta Corduba 1236.

Mauris dilapsis deserta Corduba est. Magnis propositis præmijs multi mortales exciti eo commigrare. Quibus Alfonsus Menesius præfectus est datus. Alua-

rus Castrius limites curare iussus. Sedes Episcopalis constituta,& maximum templum expiatum Christiano ritu,multi Episcopi,qui Regia castra sequebantur,consecrarunt. Lupus Fiteri monachus Episcopus creatur. Eodem tempore Valentia Mauris adempta,postea Hispalis, tribus vrbibus, tanquam tribus capitibus Mauricæ hydræ amputatis, reliquum corpus concidisse videbatur Valentinum bellum sic gestum.

Corduba primus Episcop.

Zeithus exul,& Rex,recuperandę Valentiæ spe,se suaque Iacobo Regi permiserat. Qui vt Christianos sibi deuinciret,abiurata Mahometana superstitione, nostra sacra suscepit, Vincentij nomine indito. Sed cùm Mauricos cum religione mores ad promiscuam libidinem exuere cogeretur,authore Sanctio Ahonesio Episcopo Cæsaraugustano, vnam tantùm vxorem habere compulsus, Dominicam Lopidem duxit, ex eâque Aldam Ferrandiam suscepit Biasci Arenosij postea vxorem, ad quos proceres Arenosij Valentini originem referunt.

Valentia capta.

Zeithus Christianus factus.

Arenosi vnde.

1237. Anno ergo 1237. arcem, cui Podio D. Mariæ nomen, â Mauris euersam, â nostris instauratam, cum valido prę́sidio Bernardus Guillelmus obtinebat. Hanc expugnare Zaenus Valentiæ Rex aggressus, cum sexcentis equitibus, & quadraginta millibus peditum, â nostrorum exiguo numero, qui ausi supra vires egressi pugnare; ab eisque magna strage superatus est, & miraculosa victoria (ita solent homines meritò Deo tribuere, quæ suprà nos sunt.) Parta tamen victoria, arcem deserere suadebat conuentus militaris, præsertim Guillelmo Regis auunculo defuncto, cui arx concredita erat, Guillelmo Entensæ Filio data iam. Rex tamen supra magni Altaris aram iurare conceptis verbis, se neque arcem deserturum,neque pedem relaturum,nisi expugnata Valentia. Ea Regis consilia plerisque temeraria visa,prę́sertim cùm illicò mille tantùm peditibus, & equitibus trecentis & sexaginta,frequentissimæ, & nobilissimæ vrbis, Maurorum infinita multitudine circumfu-

cum fusus, obsidioni se dederit. Consilium tamen Regi cæio allapsum monstrauit euentus. Zaenus Rex timore percussus conditiones pacis satis honestas offerre, insuper annuum vectigal. Totum Rex Iacobus respuit, & (ô animus excelsus) in alieno Regno iura dare! Numen diuinum Religione armato fauebat, quem tam exiguo numero militum, tanquam Gedeonem, ad victoriam cęlesti auxilio parandam incitabat. Confluxere multi mortales, etiam exteri, ad tanti belli famam. Leues pugnæ quotidie, nostris secundæ, felicem exitum prænuntiare. Tunetàna classis auxilio appulsa obsessis animum, nostris metum attulit. Mari, & vrbi nostrorum interiecta castra spem inferendæ necessariæ annonę hostibus abstulerunt. Classis, quę à nostris parabatur Tunetanam sublatis anchoris remigrare coegit. Sic Christianis animus creuit, Mauris aucta desperatio est. Summa in ciuitate rerum inopia, in castris abundantia dedendæ vrbis consilia maturauit. Misso ergo caduceatore fœdus ictum in hęc verba. *Zaenus Rex Valentiam tradito. Ciues quæcumque secum asportare possint, auferunto, securi, quocumque velint, abeunto.* Sic tradita Valentia incruenta victoria est. Plusquam quinquaginta millia Maurorum exierunt. Armato, & vndique exercitu circumfuso sine noxa dimissi omnes. Cùm ad Regiam dignitatem pertineret, securos Mauros abire. Pręmia pro meritis data, priuilegijs ad vrbis frequentiam inuitati multi. Multo plures inuitauit amænitas loci, qua inter cęteras Hispaniæ vrbes lætior Valentia exteros in patriæ obliuionem inducit. Iacobus ergo nouo auctus imperio, ad oppida, quæ supererant animum adiecit. Hęc ad annum 1238.

Iacobi felix temeritas.

Valētiæ deditio.

1238.

ALIÆ IN MAVROS expeditiones.

CAPVT V.

OMNIA hoc tempore prospera Christianis, quia Reges Sancti. *Hæc vna bene gerendarum rerum via, virtus.* Funestus tamen annus hic duplici funere ducum. Lupi Hari, cui filius Didacus successit. Aluari Castrij, cuius virtute Res Bethica stabat. Aluari absentia milites quinquaginta, duce Alfonso Menesio Aluari propinquo, prædatum abiere. Alhamar Arjonæ Rex arcem Aluari præsidio nudatam obsidere. Vxor Aluari animo virili mulieres armare, tandiuque defendere arcem, donec Menesius cum socijs accurrit, hortatoreque Didaco Varga ciue Toletano, facto cuneo, per medios hostes irrumpens in arcem euasit. Sic obsidione soluta Alhamar abijt inglorius. Ferdinandus Rex interea, mortua priori vxore, nouis celebrandis nuptijs cum Ioanna Simonis Pictauiensis Comitis filia, nepte Ludouici Regis Galliæ, & Elisabethæ Alfonsi Imperatoris filiæ occupatus erat. Quibus absolutis cum filijs Alfonso, & Ferdinando, quos apud Mauros tyrocinia deponere voluit, in Bethicam irrupit. Capta oppida, prȩda diues abacta, Mauri passim qua capti, qua cęsi.

Vxoris Aluari Castrij virtus.

Nuptiæ Regis.

Hoc anno 1239. Ferdinandus Rex Palentinam scholam Salmanticam transtulit, vt sic Legionensium animos conciliaret, & studiosorum commoditati faueret. (Probant verò Salmanticenses fuisse antea ibi academiã nobilem, quæ accedente Palentina creuerit.) Alhamaro Granatensi Regi iam facto annuas inducias indulsit anno sequenti 1240. Quo anno Ferdinandum Regem importunus morbus à Maurica expeditione retardauit,

Salmanticensis schola.

dauit. Misit tamen Alfonsum filium cum exercitu, cui Rex Murcię Hudiel Granatensi Regi hostis Regnum obtulit vltro, ea tantum conditione, vt à Rege Granatensi, aut alia externa, intestinaque vi, tutus armis Ferdinandi viueret, pacto totius Regni dimidio tributo. 1239.
Magnam propagandi Regni Princeps occasionem amplexus, magnis itineribus, ne Mauris ingenium rediret, Murciam profectus, pręsidio ciuitatem occupauit, & aliorum oppidorum expugnationem distulit, cum viribus nondum esset satis instructus, neque patrem certiorem fecisset de tam insperata, magnaque re. Rex certus, tam lęto nuntio recreatus, ab infirmitate conualuit. 1242.
Interea Rodericus Alfonsus cognomento Legionensis Ferdinandi Regis ex impari matre frater, prędandi studio in fines Granatenses inuectus, à Mauris, qui magno numero confluxerant, cum nostrorum clade superatus. Qua victoria Rex Maurus elatus nostros fines impunè vastare. Rex periculo motus Alfonsum filium in Bethicam maturare praecepit. Alter Alfonsus Molinae Regulus Regis frater in Granatenses agros irruere iussus. Sequutus Rex cum iusto exercitu Maurorum copias magna strage disiecit. Vastati agri, oppida incensa, & sic compensata clades accepta. *Murcia dedita.*

Filius item Alfonsus diuersâ non minori faelicitate bellum administrabat. Mulam ad deditionem compulit victoris arbitrio. Eliocrotae, Carthaginis, vastati agri. Sanctio Majuelo, cuius egregia opera hoc bello enituit, Alcaudete oppidum ab Alfonso Principe dono datum. Inde Comitum Alcaudetes origo. Hęc ad annum 1243 gesta. Quo Giennium firmissimum Maurorum propugnaculum ab Rege expugnatum est, Pelagio Correa S. Iacobi Magistro impulsore, frustra saepius tentatum, quòd eo Mauri Regni praecipuas vires contulissent. Obsidio trahebatur, cum Rex Granatae intestino bello, suorum factionibus petitus, dum ad externa auxilia respectat, nulla, pręter nostra, firma iudicauit. Data ergo fide, Ferdinandum Regem conuenię. *Nostrorum victoriae. Comitū Alcaudetes origo.* 1243.

Gienium expugnata.

In huncque modum fœdus ictum. *Gienium continuo tradatur. Granatæ vectigalia bonafide inter vtrumque Regem diuiduntor. Amici, & inimici communes sunto.* Gloriosum erat Regi Ferdinando barbarum Regem illius fidei se credidisse.

SANCTIVS REX LVSITANVS expulsus.

CAPVT VI.

REGES, *qui aliena voluntate reguntur, quieti esse non possunt. Dedecet authoritatem Regiam aliorum audaciæ, & libidini dominandi seruire.* Sanctius in matrimonio habebat Menciam Lupi Hari Viscaiæ Reguli filiam, quę Regem vxorium, Regnumque ita versabat arbitrio fœmineo, impotentique, vt ludibrio esset Regia maiestas, infimæque notæ hominibus communicaretur: quorum consilio, honores, pręfecturæ, indignis datæ, Regni proceres ad res nouas impulerunt. Missi ad Pontificem legati: & quia Regina sterilis erat, de matrimonio dissoluẽdo primùm, mox de Regno fratri Alfonso, viro Regno digno, Regiisque virtutibus ornato, & instructo, dando, enixè disseruerunt. Pontifex, vt Sanctius Regno pelleretur, adduci non potuit. Concessit tamen, vt propter socordiam Regis, dum viueret, Regni curam Alfonsus susciperet. Susceptam ille, posthabito Sanctio, tanquam Rex gerere. Sanctius despectui habitus Toletum postea ad Alfonsum iam Regnãtem se contulit, sperans, eius armis in Regnũ restitui posse. Præoccupauerat Lusitanus Alfonsus Regis Castellę animum, pollicitus Beatricem Alfonsi sororem ex impari matre, se ducturũ, Regnumque fore vectigale, vt antea. Vtile vicit honestũ, & Sãctius cognomento Capellus, Toleti cõsenuit, cùm Regnum, aut potiùs Regium nomen triginta quatuor annis tenuisset.

DE

DE BELLO HISPALENSI.

CAPVT VII.

ICTO cum Rege Granatensi fœdere, de expugnanda Hispali Rex Ferdinandus cogitare. Ipsum ergo Regem Granatæ cum quingentis equitibus leuis armaturæ præmisit, qui Carmonæ agros vastarent. Alcala cognomento Guadaiara, Rege authore nostris deditur. Valida deinde manus Hispalenses agros, maturas segetes, vineas, & olineta, præcipuę amænitatis vastare. Hæc anno 1245. funesto alias duplici funere. Reginę Berengariæ fœminæ virilis animi, & Roderici Toletani præsulis, cuius erit memoria, propter egregias, insignesque virtutes, sempiterna. Sequenti anno Rex Ferdinandus in vnam Hispalensem expugnationem intentus, maioribus copijs Carmonam obsidere: & quia bellum trahebatur, & expugnari non potuit, ad fœderis conditiones redacta, mulctæ nomine, auri pondus repræsentare, & annuum vectigal pendere iussa. Quædam deinde oppida, qua vi, qua sponte, in potestatem venerunt. Raymundus Bonifacius Cantaber iussu Regis classe tredecim nauium, Cantabrico occeano circumducto, ad fauces Bethis amnis, quà in mare deuoluitur, hostilem classem, viginti nauiũ, opportuna nostris victoria, superauit. ¶ Hoc anno Aragonia Pontificio interdicto subiecta est, propter scelus Iacobi Regis, qui Episcopo Gerundensi linguam præcidere iusserat, ob secretum violatum, quod (vt fertur) illi in sacra confessione commiserat. Therasiam Vidauram, spe matrimonij futuri, Rex iuuenis vitiauerat, ducta deinde alia fidem datam fefellit. Episcopus Pontifici, apud quem lis contestata erat, rem prodidit. At postea Iacobus publica pœnitentia veniam obtinuit.

Alcala Guadaiara.

1245. Reginæ, & Roderici Toletani obitus.

Classis Maurica superata.

Aragonia interdicta.

Interea

Interea Ferdinandus Rex Hispalense bellum vrgere, cum in vna Principe ciuitate caput Regni Maurici restare videretur: quo sublato reliquum corpus sua mole concidere necesse erat. Hispalensis Rex vndique auxilia, etiam ab Africa euocare, ingentem frumenti copiam in ciuitatem ad tolerandam obsidionem conuehere. Ferdinandus idem quòd prolixam obsidionem fore non dubitabat. Terra, marique commeatibus omnis interclusa ciuitati via est. Carmona interim deditionem facit. Nostra classis igne medicato tentata sæpe; sed Bonifacij Classis præfecti arte Mauricus conatus elusus. Multa preclara in illa obsidione à nostris gesta pretereo. Tandem magna industria, & felicitate Bonifacius, pontem, quo fluuius iungebatur, abrumpit, & magna nostri lætitia muro succedunt. Sæpius irruentes, sæpius tamen repulsi. Maurorũ multitudine nostrorũ virtus obruebatur. Rupto tamẽ ponte, omniũ rerum inopia laboratum in ciuitate. Primo in circulis (vt solet) deinde publicè de ciuitate dedenda agi ceptum. Misso caduceatore variæ fœderis conditiones propositæ à Mauris, omnes, nisi dedita ciuitate, à Rege reiectæ. Tandem post varias altercationes Mauri pacti salutem, ciuitatem dediderunt, anno 1248. mense Decembri. Centum Maurorum millia cum suppellectili exiere. Pars in Africam traiecit, pars in diuersa loca dissipata, & sic Maurorum vires vehementer accisæ. Templa Christiano ritu expiata; Raymundus Losana primus ciuitatis Præsul creatus. Multi mortalium ad amplissime vrbis frequentiam priuilegijs inuitati, & possessionibus pinguissimis allecti eo commigrarunt. In hoc bello Garsiæ Vargas precipua virtus enituit, Mauris, & Christianis celebrata. Referam vnum aut alterum facinus.

Hispalis deditur. 1248.

Garsiæ Vargas memoria.

Garsias, & socius à ceteris diuulsi alio diuerterant recreandi animi ergo, cùm ecce septem equites Mauros obuios. Socius timore perterritus fugam suadebat. Ego, ait Garsias, rectâ, quo tẽdimus pergam. Si pugnare necesse, aut victoria, aut mors destinatum iter peraget.

Fugit

Fugit socius, pergit Garsia. Quem cũ agnouissent Mauri, attoniti substitere, viri audaciam admirati. Prætergressus Garsias animaduertit, apud Mauros capitis reticulum in induenda galea cecidisse. Repetit vestigia ad locum, vbi adhuc Mauri constiterant, qui in detrectando certamine perstabant. Recepto ergo reticulo, paulatim interdum respectans Mauros, an consilium mutarent, confecto rectâ itinere, in castra se retulit. Obstupere omnes, ipso Rege mirante, ad tantæ fortitudinis exemplum excito. *Additum facinori facinus, quod omnis nobilitas imitetur. Nunquam ab eo extortum, sæpiùs rogato, quis fuerit ille socius, qui fugerat. Multa alia præclara de hoc magno viro traduntur, sed hæc dixisse pro instituto sit satis. Cum fortissimorum aliorum virorum virtus taceatur, qui in eo bello nobilitatis, & fortitudinis præclarum specimen prębuerunt. Eodem tempore, quo Hispalis expugnabatur, S. Ludouicus Galliarum Rex Toletanum templum pretioso thesauro ditare. Apponam literas Regias tanti Regis memoria prouocatus.

Ludouici Regis dona Toletum missa.

Literæ Regis.

Ludouicus Dei gratia Francorum Rex dilectis viris in Christo Canonicis, & vniuerso Clero Ecclesiæ Tolenæ salutem, & dilectionem. Ecclesiam vestram volentes xenio præclari muneris insignire, per dilectum nostrum Ioannem venerabilem Archiepiscopum Toletanum, & ad preces ipsius, de venerandis, & eximijs sanctuarijs nostris, quæ de thesauro imperij Constantinopolitani suscepi, pretiosas vobis particulas destinamus. Videlicet, de ligno Crucis Domini, vnam de Spinis sacrosanctæ Coronæ spineæ eiusdem Domini. De lacte gloriosæ Virginis MARIAE. *De tunica Domini purpurea, qua indutus fuit. De linteo, quo præcinxit se Dominus, quando lauit, & extersit pedes Discipulorum. De Syndone, qua corpus ipsius sepultum iacuit in sepulchro. De pannis infantiæ Saluatoris. Vestramque dilectionem rogamus, & requirimus in Domino, vt prædictas sacras reliquias in Ecclesia vestra, cum debito*

bito recipiatis, & custodiatis honore, necnon in Missis, & orationibus vestris benignam nostri memoriam habeatis. Actis apud Estampas anno 1248. mense Maio.

Aragoniae motus. Hoc tempore Aragonia ciuilibus bellis aestuare. Rex Iacobus Violanti Reginae plus aequo deditus, diuidendi inter filios Regni, & ercifcundę familiae, praua consilia cepit. Graue id Alfonso maiori natu erat, cui pars magna procerum fauebat. Qua de re, generalem Regni conuentum ad oppidum Alcanicium indixit. Rex interim Ferdinandus Hispalensem tractum Regno adijcere, excelsoque animo de inferendo Africę bello comparata classe cogitare, cum heu mors importuna omnia hęc oppressit. *Ferdinandi Regis mors. 1252.* Obijt anno 1252. An moribus sanctior, an armis felicior dubitatur. Certè moribus Sancti cognomen obtinuit. Armis Regnum, & potentiam, opesque pręter caeteros auxit. Regnauit annos ferè triginta quinque. Obijt Hispali, mense Iunio.

ALFONSVS X. CASTELLÆ REX.

CAPVT VIII.

REGI Ferdinando Alfonsus filius cognomento Sapiens successit. Rex admiratione dignus magis, quàm inuidia. In quo humanarum rerum ludum tanquam in theatro spectare lubet. *Alfonsi sapientia* Quid gloriosius esse potuit, quàm hominem in castris perpetuò educatum, & Mauricis bellis assuetum, eam liberalium disciplinarum cognitionem assequutum, quam vix homines in scholis, & vmbra comparare potuerunt? Testantur monumenta literarum posteritati commẽdata satis. At quid magis mirandum, quàm tãta cõparata sapientia, & viuente patre, bellica laude parta, propriũ Regnum à patre traditum, auctumque, externũ insuper imperium oblatum tueri non potuisse? Certè vidit aetas illa in vno Rege sapiente, quàm vana, fallaxque sit

ſit humana ſapientia non adſpirante diuina. ¶ Primò Iacobi Aragonij concitauit arma ob Reginam Violantem repudiatam (cauſa infœcunditas) & Chriſtianæ Regis Daniæ nuptias. Tentata pax per legatos, ſed fruſtra. Ventum ad arma, & à Mauris, proh nefas! in viſcera conuerſa. Sed Alfonſus inteſtino Regni odio flagrare, quòd ad ſupplendam ærarij inopiam adulteratam pecuniam cuſiſſet, exemplo Regibus, Regniſque pernicioſo. Sic rerum venalium pretia creuerunt, & vulgo excitatæ turbæ. Anno ſequenti 1253. Theobaldus Rex Nauarræ moritur. Propter violata Eccleſiæ iura nulla dignus laude: qua de cauſa toto triennio, vniuerſo Regno ceſſatum à ſacris, Regis probro: aliàs propter ſtudia literarum commendandus. Succeſsit filius Theobaldus II. Inter eum, Iacobumque Aragonium ſuadente Regina matre metu Regis Caſtellæ, arma ſociata. 1253.

1253. *Theobaldi Nauarræ mors.*

Magnum inde bellum parabatur, quod ſubita Reginæ Violantis fœcunditas extinxit. Vix Chriſtiana noua nupta Toletum appulerat, cùm Violantis vterus intumeſcere cœpit anno 1254 Regis odium in Reginam amore mutatum. Chriſtianam Philippus Regis frater Abbas Valliſoleti, & Hiſpalenſis præſul renuntiatus, poſita ſacra veſte, matrimonio ſibi copulauit. Sed impotens fœmina paulo poſt ex dolore contracto morbo moritur. Violantis numeroſa prole præterita infœcunditas compenſata. Enixa Berengariam, Beatricem, Ferdinandum cognomento Cerdam à crine in dorſo, quo cum editus in lucem eſt. Sanctium, Petrum, Ioannem, Iſabellam, Eleonoram. Habuit ex obſcura matre Alfonſum, Fernandium: ex Maiore Guſmania Petri Guſmani filia, Beatricem. Anno deinde 1256. cùm Afonſi fama per exterarum gentium ora volitaret, Præſul Treuerenſis, & Saxoniæ dux collatis ſuffragijs, in comitijs Imperatorijs, Imperatorem renuntiarunt: contra vitioſam (vt cæteri defendebant) Richardi Cornubiæ Comitis Henrici Angliæ Regis fratris electionem. Miſſa vtrique legatio. Quiſque ſuam probare. Richardi feſti-

Violantis fœcunditas. 1254.

Filij Regis.

Alfonſus Imperator.

natio ad coronam valuit, Alfonso domestica discordiâ implicato, qua de causa suæ factionis refrixit ardor. *Tarditas rebus in arduis nocet semper; si consilia non opprimas, opprimeris certe.*

Castellæ ergo Rex, quòd gentis odio laboraret, ab otio literario ad belli negotia conuertere animum: iustoque exercitu comparato in Bethica Mauricas reliquias inuadere. Oppida non pauca Mauris eripuit, sed aliud enatum bellum à Maurico reuocauit. Theobaldus Vasconum Rex Iacobi Aragonij societate fretus in Castellę fines irruerat. Castellæ proceres multi ab Alfonso alienati Theobaldum ardentem iuuenem, & gloriæ cupidum incitare. Inter eos Didacus Harus Principem locum obtinebat, vir acer, iniuriæ impatiens, & qui publicè Regni libertatem oppressam, querebatur. Idem Henricus Regis frater, qui ad Aragonios defecerat: idem multi nobiles, & populares quos mutatæ monetæ dolor vrebat. Alfonsus tamen, vt erat excellentis ingenij, & excelsi animi, non ignorans quantum periculum immineret, cum Aragonio pacem facere, atque ita Henricus non admissus exulem vitam vixit, moturus bellum in fratrem, si alicunde se auxilia monstrarent. Hæc ad annum 1259.

Bellũ intestinũ.

1259. Sequentibus annis Lusitania sacro est interdicto subiecta, quod magna pertinaciâ duodecim annos perdurasse fertur. Causa, quòd Rex Alfonsus, viuenti Matildi priori vxori aliam superinduxisset. Matilde tamen omnes diras viro comprecata, & cum eo, suscepto ad id longo itinere, colloqui non permissa, ad Romanum Pontificem se contulit, ipsumque ad illas iustas diras pronuntiandas adegit.

Lusitania interdicta.

1260. Anno 1260. celebris fuit Sultani Ægyptij ad Alfonsum legatio. Allata dona inusitata, in his feræ magnitudinis, & formæ peregrinæ. Tam celebre Alfonsi nomen ob sapientiæ famam erat apud exteros! Anno 1262. inter Aragonium, Siculumque Manfredum affinitas iuncta. Filia Manfredi Petro Principi copulata est.

Legatio Sultani ad Alfonsum.

1262.

Man-

Manfredus ex pellice natus, Conradino puero Rege spreto, armis Siciliam, Neapolique contributum tractum occupauerat, Regio nomine assumpto. Qui à Pontifice diris deuotus, cùm ad externa respectaret auxilia, ad Iacobum Aragonium fama rerum gestarum illustrem aspexit. Siciliam, si mascula prole careret, promittit, dotis nomine grande pondus auri. Vicit honestatem vtilitas, monitaque Pontificis interminantis, ne se cum homine nefario, & alieni Regni raptore, misceret, communique scelere pollueret, ni in easdem diras incidere maluisset. Hæc in Hispania gerebantur, cum in Africa Merini, noua Maurorum familia, nouum fundabat imperium. *Manfredus siculus.*

DE NOVO BELLO MAVRICO.

CAPVT IX.

MAHOMAD Alhamar Granatæ, Hudiel Murciæ Reges nostrorum amicitię pertæsi, quod eorum maiestas Alfonso beneficiaria, videbatur imminuta, nouo Regno in Africa exorto freti, detrectandi nostrorum Imperij consilia spe recuperandę libertatis inire. *Inimicos vtilitas etiam apparens facit amicos.* Comparato exercitu communibus armis in Christianorum fines impetu facto, Hispalensis tractus Mauros, ad rebellionem sollicitare. Sic oppida non pauca recepta, & res periculosa satis erat. Alfonsus Rex cum iusto exercitu periculo accurrere, & omni belli iniuria Mauros afficere. Qui viribus fracti Marrocij Regem in auxilium exciuere. Mille equites missi rem non solum iuuerunt, sed facta secessione turbarunt. Reges Aragonię, & Castellę, quoniam magnas ab Africa copias propediem affuturas nuntiabatur, arma contra communes hostes sociare. Aragonius Murcię, Alfonsus Granatę fines inuadere. Recepta oppida *Mauri fœderati rebellãt.*

à Mauris ablata. Clades fuit ingens, & præda diues. Ciuitates aliæ in potestatem venerunt. Tandem Alhamar, & Hudiel ad hoc feriendum fœdus compulsi. *Granatensis Rex à fœdere Hudielis abscedito. Ducenta quinquaginta nummorum aureorum millia, vt antea, quotannis pendito. Regi Murciæ, si in potestatē venerit, vita salua esto.* Tunc Rex Alfonsus Murciam properauit, obuiumque Regem supplicem habuit. Exoranti veniā abs Rege mandatum, vt Regio nomine abstineret, contentus ijs agris qui ad honestam vitam viderentur sufficere. Sic bellum opinione magnum, euentu facile finitum. Auxilia Africana nulla, gentis inconstantia, & fide dubiā. Hæc in Hispania.

Mauri cum bellum finitum.

Ex Italia Regem Manfredum armis Caroli Ludouici Regis fratris, quem Romani Pontifices in spem Siculi Regni euocarant, Regno, vitaque spoliatum, afferebatur. Ad hæc Rex Iacobus, nec dum Murciæ bello finito, consternatus, Catalauniam profectus est, si forte Manfredi reliquias ad recuperandam Siciliam fouere potuisset. Interim Augusta Valduini Imperatoris Captiui vxor, Principes Europæ adire, parumque subsidij reperiens, ad Alfonsum Castellæ confugere. Dimidium redemptionis pretium postulanti totum Rex liberalis concessit. *(Hic mos Hispaniæ Regibus in summa inopia diuitias ingentes iactare.)* Ea liberalitas ab animis iam exulceratis prodigalitatis vitio notata est. Præsertim cum ad sedandos populorum motus Rex omnibus rebus venalibus pretia constituisset, (taxam nouo nomine vocant,) quòd supra modum creuissent. Ea de causa annonæ, rerumque omnium inducta caritas est., & Regis vbique fama vulgo lacerata. Et profectò docuit, docebitque experientia frustra rebus pretia constitui, cum vel copia, vel sterilitas augeat, aut diminuat, & hominum malitiæ vtilitatem honestati præferenti raro his legibus occurratur. Vel illa, vel ista de causa Rex Alfonsus omnium fere ordinum odium incurrit.

Manfredus occisus.

Alfonsi prodigalitas. Taxa caritatis causa.

Ab

Ab Alfonso Lusitano puer Princeps filius Dionysius ad Regẽ missus tanquam ad auum, vt ab eo Lusitano Regno immunitatem impetraret. Actum in conuentu de proposita re. Alij tacere metu, conniuere alij. Nunius Gonsalius Lara coniurationis Princeps surrexit, negauitque magno animo, posse fieri, quod in Regni detrimentum cederet. Vicit tamen (vt solet) Regis voluntas. At Nunij libertas altè Regis animo hæsit. Tunc Nunius, Harus, Philippus Regis frater, aperte coniurare. Externa auxilia, etiam Maurica sollicitata. Rex ingenio sublimi, incauto tamen, Valentiam Murcia profectus Regem Iacobum conuenit, & cum eo coniurationis consilia communicat. Rex senex iam pridem tempestatem prouidens, grauissimis verbis Alfonsum instruxerat, & nunc grauioribus castigauit. A subditis amari, quàm timeri mallet. Omnes Regni ordines beneuolentia sibi deuinciret, præcipuè plebem, & Ecclesiarum præsules amore, ingenio facili, mitique sibi conciliaret, vt eos procerum opponeret audaciæ; superbia, fastuque ciuium voluntates vehementer alienari. *Salutaria Iacobi monita ad Alfonsum.*

In his, & alijs ab Alfonso grauiter peccatum. Inter procerum, Regumque colloquia bellum imminens ad sequentem annum 1272. distulerunt. Quo proceres frequentes ad Granatæ Regem abierunt, abiurata de more patria. Ex maiori nobilitate. Nunius, Harus, Philippus, Ferdinandus Castrius. Lupus Mendocius. Ex minori quamplurimi. Ferdinandus Princeps, qui Hispali agebat iussu à patre in Granatę fines irrupit. Sequenti anno Rex Alfonsus, cum mortuo Richardo competitore, Imperij electores de nouo creando Augusto comitia haberent, expeditionem Germanicam adornare. *1272. Procerũ defectio. Alfonsi expeditio Germanica.*

Eo tempore Petrus Aragonię Princeps Ferdinandum fratrem nothum in Cingam fluuiũ pręcipitatũ interemit iure, an iniuria dubitatur. Consilia in eius caput ab eo inita Petrus hac crudelitate auertisse ferebatur. Eodem *Petrus Aragon. fratrẽ neciat.*

anno

anno Rex Alhamar Granatensis obijt. Alfonsi expeditio noua Rodulphi electione refrixit. Acta causa per legatos apud Pontificē, Regni proceres, & Imperij electores. Rodulpho stetit imperium. Interim Henricus Vasconum Rex multa sagina fœdus obijt anno sequenti 1274. ex vxore Ioanna è Roberto Artesiæ Comite S. Ludouici Regis fratre filiam Ioannam triennem reliquit. Inde noui motus, & Vasconum Regni ad Francos translatio. Eodem tempore Rex Alfonsus decumas Ecclesiarum à Pontifice in belli sumptus obtinuit. Mortuo ergo Alhamar Rege Proceres Regni ad officium composita pace redierunt.

1274. Henrici Nauarri obitus.

DVPLEX NOSTRORVM. Clades.

CAPVT X.

1275. SEQVITVR annus 1275. nostris funestus. Granatę Rex, Alfonsi absentia, Bethicam præsidio nudatam inuadere. De Hispano iugo excutiendo cum reliquis gentis Regulis inire consilia. Qui proprijs diffisi viribus, Marrocij Regem Iacobum Abeniuzephum virum ea tempestate militari gloria clarum, in Hispaniam cum numerosissimis copjis attraxerunt. Malacæ de bello gerendo disputatum. Decretum vt Rex Marrocij Hispalensem, Granatæ Rex Gienensem tractum inuaderet. Nunius Lara Ferdinando Principe admonito, vt quāprimùm cum exercitu accurreret, ipse Astigim properauit: tanta insuper nobilium multitudo eius excita literis, & proximo periculo mota confluxit, vt Nunius cum se loco tueri potuisset, non dubitaret cum hoste potentissimo, collatis signis pugnare. Et primo quidem nostrorum virtute Maurorum acies inclinata iam erat, reparata tamen à Rege vincere assueto, sua

Abeniuzephus Rex in Hispania.

ſua multitudine noſtrorum paucitas ſuperata. Quatuor peditum millia, tercentum equites, in primis ipſe quoque dux Nunius, ceciderunt. Solamen quod ciuitas capi non potuit, in quam fuſi Chriſtiani ſe receperant. Menſe Maio inſignis accepta clades Regnum mærore compleuit.

Noſtrorũ clades.

Auxit dolorem in Giennenſi tractu altera clades. Sanctius præſul Toletanus cum valida manu, non expectato Lupo Haro cum altera properante, quod saniores ſuadebant, gloriæ cupiditate pugnare. Victi Chriſtiani, Sanctius ipſe captus. At cum Reguli ad quem pertineret, altercarentur, & res ad arma inclinata iam eſſet, ab Atario Malacę Regulo tranſuerberatus occubuit. Indignum videri dictitans, pro vnius canis præda viros Principes decertare. Eo maior dolor quòd vincere potuiſſet, ſi Lupum Harum expectaſſet. Qui rebus perditis ſuperueniens inſolentes victoria Mauros repreſſit. Sed ecce dolori nouus alius dolor additus, (heu malorum implexa catena!) Ferdinandus Princeps in ipſo belli apparatu, incredibili totius Regni damno deceſſit.

Sanctij Toletani nex.

Ferdinãdi Principis obitus.

Sanctius frater Regnum ad ſe deuolutum aſſerebat, quamuis Ferdinandus ex Blanca S. Lodouici Regis filia geminam prolem ſuſcepiſſet, Alfonſum, Ferdinandumque, quos Ioanni Laræ moriens commendarat. Sanctius ergo omni officio, procerum, populorumque ſtudia ſagax ambire, de Mauris duplici victoria (quos diſpoſitis præſidijs, & certamine detrectato ſuperauerat) gloriam quærere, & viam ad Regnum aperire. Ad patrem, qui nuper venerat ab expeditione Gallica, quo ſe ad cauſam Imperij coram Pontifice dicendam contulerat, Toletum aduolat. Ibi Regni proceres à Sanctio ingenij dexteritate pellecti conuenere Regem, & cum eo de renunciando Sanctio Regni hærede obnixe contendere. Ægre ferebat Rex ſe viuente de Regni ſucceſſore tractari. Iniquum præterea videbatur Ferdinandi filios, nepotes inno-

Sanctij ſtudia.

Sanctius hares declaratur. innocentes præteritæ. Regem tamen omnium ordinum studia in Sanctium inclinare fecerunt. Sicque Sanctius in generali conuentu successor est declaratus.

Ioanna Vasco Philippo Gallo nupta. Eo tempore Ioanna puella Regina Vasconum Philippo Pulcro Gallorum Principi nupsit. Hęc ad annum 1276. quo Valentini Mauri, superioribus victorijs erecti, tumultuantes magnam nostris intulere cladem, *1276.* die Martis. Ab eo tempore dies Aliensis, & mali ominis *Dies Martis cur ominosus* emanauit in vulgus. Iacobus Rex ętate grauis, exterritus, prę dolore morbo concepto, Petro filio Regno tradito, grauissimisque pręceptis coram castigato, & *Iacobi Aragonij obitus* instructo, procurando animo Cisterciensem vestem induit. Obijt Valentię, Rex immortali fama dignus: cum quouis magno duce comparandus. Trigesies iusto *Diuturnitas Regni Iacobi.* prælio cum Mauris pugnauit, felici semper euentu. Vnde Pręliatoris nomen tulit. Felicior diuturnitate Regni cùm tres & sexaginta regnasset annos, exemplo raro, apud omnes nationes. At quis ille est ab omni labe purus? Optimos quosque nota libidinis affluit, & adu- *Filij.* sit. Ex legitima vxore Violante suscepit, Petrum, Iacobum, Isabellam Gallię, Violantem Castellę Reginas, Violantem Emanuelis vxorem; nam reliqui in ętate mi- *Diuisio Regni mala semper.* nori decesserunt. Ex Therasia Ægidia Vidaura Iacobum Exericæ, Petrum Aierbis Regulos; alios ex alijs, ad quos plures in Aragonia nobiles familiæ referunt originem. Iacobo filio ex Patris testamento Baleares *Violãtes cum nepotib^9 fugit* datæ, Regni titulo: accesserunt Ruscinonensis, & Mompellerensis Principatus.

Ex hac Regni diuisione (vt solet) orta inter fratres dissidia, quæ postea Regnum perturbarunt. Violantes Regina dolens Nepotibus Sanctium prælatum, cum illis ad fratrem in Aragoniam fugit. Inde Re- *Sanctij crudelitas.* gis ira in eos, quos fugę autores fuisse credebat. Fridericus eius frater, Simon Ruizius Camerorum Regulus, comprehensi. Ruizius Treuigni iussu Sanctij combustus, Fridericus Burgis gulam fregit. Sic noui princi-

patus auspicia Sanctio captata. Anno sequenti Rex Alfonsus classem ad Algeziram amisit, (ibi Marrocij Rex sedes firmabat.) Sequenti 1279. moritur Alfonsus Lusitanus Rex, Dionysio, & Alfonso relictis, inter quos de Regno certamen pacem turbare cœpit. Sequenti anno Conradus Lansa maris præfectus ab Aragonio, Africana litora tentare; decem Marrocij triremes cepit, multaque abacta prȩda rediijt victor. ¶ Sequuta colloquia varia Regũ Castellæ, Aragoniæ, Galliȩ, ad quem Blanca Principis Ferdinandi vxor confugerat, pro filijs deprecatura fratrem. At Sanctij arte nihil actum. Cum præsertim Granatense Regnum magna clade vastasset, nouus illi procerũ fauor, & studia populorũ accesserunt.

1297. *Alfonsus Lusitan. moritur.* 1280.

Ortæ tamen suspiciones inter Patrem, & filium mox anno 1282. in apertum bellum erumpunt. Rex omnibus erat odio, noua excogitata moneta metallis adulteratis ad subleuandã inopiam. Supplicia sumpta de Cameroru Regulo, & Friderico, Procerum cordibus altius infixa erant, & Regis seueritas vbique timebatur. Ob ea Sanctius Regis ingenium varium, & mutabile vereri, prȩcipue in nepotes propensum. Ergo contra patrem externis auxilijs sese munire: Aragonium, Lusitanum, Granatẽsemque Reges, Proceres denique Regni magnis propositis prȩmijs sibi conciliare: à quibus in generali conuentu Rex proclamatus est. Viuente tamen patre à Regis titulo abstinuit. ¶ Alfonsus à suis destitutus ad Marrocij Regis auxilia respicere. Apud eum Alfonsus Guzmanius Sancti Luciferi Regulus, iratus etiam Alfonso, militabat, magni nominis dux. Extãt ad eum in calamitate supplices literæ. Heu miseria, quȩ Reges miseros, & calamitosos facis, & ô exemplum singulare magnis principibus! *Ad ipsos hostes, & iniuria lacessitos, abijcit calamitas Reges ipsos.* Sed cur? Sapiens erat, *& sapientibus adnata semper, & comes indiuidua infelicitas.* In hoc mundi agro pura sapientiȩ grana terrȩ mandantur: sed terræ, cõmissis nouercæ, sponte nascentibus matri. Nam en *Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.*

1282. *Sanctius Rex proclamatur.* *Epiphonema notãdum.*

Ergo infelicis, & sapientis Regis aduersa fortuna barbaros permouit, quem irati subditi destituerant. Marrocij ergo Rex in Hispaniam cum copijs, & Alfonso Gusmanio traiecit. Quocum consilio de bello gerēdo communicato, diuersā in Hispalēsem, Granatensemque tractum irruerunt. At Sanctius magna cura Regnum ab omni bellorum tempestate defendit. Monitus tamen Alfonsus de Regis barbari dubia fide, clam Hispalim, quæ in eius fide perstabat, se subduxit. Barbarus propterea iratus in Africam remigrauit: & Alfonsus publico instrumento Hispali, Sanctio priùs diris deuoto, Regno abrogato, nepotes hæredes instituit.

Sanctius à patre diris deuotus.

IOANNIS PROCHITÆ Coniuratio in Gallos.

CAPVT XI.

DVM hæc in Hispania geruntur, Sicilia misera Gallorum seruitute premebatur. In liberos, in cōiuges, in fortunas, nemine prohibēte, ab illis impune grassatum. Et quod magis mirandum: etiam querendi, collacrymandi, & colloquendi sublata facultas erat. Ioannes Prochita ex prima Regni nobilitate, patria charitate permotus ad Aragonium Regem confugere. Rex nactus virum idoneum, potentemque, benigne susceptum amplissimis possessionibus ditare, si forte tam magno viro administro, Siciliā sibi præreptā recuperare potuisset. Gallorum luxuries, & dominandi libido etiam exosa Romano Pōtifici erat. Quapropter Carolo Siciliæ Regi vicarij Imperij authoritatē ademerat. Habebat Carolus Balduini Cęsaris filiā in matrimonio, qua via Imperiū Cōstantinopolitanū meditabatur. Prochita recuperandę libertatis patrię occasionem eam ratus, peregrina veste occultatus semel, atque iterum

Gallorū tyrannis in Siculos.

rum

rum Constantinopolim adijt, Imperatorem Palæologum conuenit, nondum Imperio firmato: timentem omnia metu,& suspicionibus implet,docetque à Carolo Siciliæ,& à Rege Galliæ, in eius perniciem classem in gentem adornari;si saluum se, Imperiumque velit, Aragonium Regem sibi cōtra superbos hostes conciliaret, tunc Gallis infensum. Hæc,& composita ad ea oratione, scitè dicta à Prochita,ad bellum contra Gallos Imperatorem permouerunt. Aragonios conatus auro se adiuuaturum, quando copijs non posset, promittit. His compositis Prochita in Siciliam regressus cum optimo quoque coniurationis consilia secretò communicat, vt nemo ex Gallis ea, quæ in eorum perniciem moliebantur, odoraret. Omnia cum Romano Pontifice, qui paulo post moritur, cum Rege Aragoniæ agitata. Aragonius magna comparata Classe,sparso rumore contra Africam parari, occasionem inuadendę Siciliæ captare. A Siculis coniurationis die,horaque condictâ, festo die Resurrectionis Dominicę,ad vesperas campanis personantibus,quando procul omnis suspicio metus aberat,& omnia lætitia plena erant,correptis armis totâ Siciliâ, memorabilis Gallorum strages excitata. Tanta fuit vindictæ cupiditas, vt neque prægnantibus vltor parceret gladius, anteque Gallus infans furori Siculo tenera victima caderet, quàm lucem aspiceret,& vitali frueretur aura. Sic vesperę Siculæ in prouerbiū abierūt.

Ioannis Prochitæ astus.

Gallorū strages.

Carolus Rex ad eos motus ex Hetruria cum classe accurrit, & Messanam obsedit. Accurrit etiam Aragonius Rex Siculorum accitu, & Panormum appulsus Rex Siciliȩ salutatur. Carolus recuperandę Siciliæ spe destitutus in Italiam redijt. Minaces vtrinque literę datæ, & acceptæ. Rex Aragonius vxorem Reginam Constantiam, cum filio Iacobo,cui pater Imperium Siculum destinarat, accersijt, ne Regis absentia nouum Regnum nutaret. Rebus ergo in Sicilia compositis,nouo auctus imperio Rex Aragonius in Hispaniam soluit. Eo tempore idem Rex Aragonius, Castel-

Vesperæ Siculæ.

Sāctius. & Aragoni' Reges interdicti. lęque proceres, qui Regi Sanctio fauerant, Ecclesiastica censura sunt puniti. Alter quòd Siciliam occupasset, alter quòd viuente patre Regni ius inuasisset. Hac via multi à Sanctio iniecta religione desciuere. Gallię quoque vires Philippo Pulcro duce, cùm Ioannam(vti diximus) in matrimonio cum dotali Regno Vasconum haberet, in Sanctium armatæ Toletum vsque processerunt. *Alfonsi Regis obitus. 1284.* Ardebat Castella discordia, belloque, cum Rex Alfonsus obijt Hispali, anno 1284. Rex ob sapientiam sempiterna memoria dignus, si sibi sapere voluisset. Auaritia, & seueritas cum mutatione monetę tantorum malorum causa fuerunt.

SANCTIVS CASTELLÆ REX.

CAPVT XII.

DEFVNCTO Alfonso Sanctius filius cognomento Fortis, nemine resistente, Regnum occupauit, Regisque titulum sumpsit, à quo patris respectu hucusque abstinuerat. Primo Regni motus, studiaque procerum in fratres Cerdas, Ferdinandi Principis filios sedare. Interea Rogerius Laura Aragoniæ classis ad Siciliam præfectus, Gallorum classem, interfecto duce, superauit. Carolū claudum, Regis Caroli filium cum magna classe Siciliam inuadere parantem, ad pugnam elicuit, vicit, cepitque. Maior belli moles in Aragonios à Gallia. Trāscensis Pyrinęis Frāci in Catalaunios irruerant. Summa belli hæc est. Oppida quædam capta. In reditu, infessis Pyrinæis, Galli trucidati, maiori impedimentorum parte amissa. *Galliæ, & Aragoniæ Regū mors.* Classis Gallica à Rogerio Laura dissipata. Rex Galliæ infirma valetudine in Hispania tentatus, in finibus Galliarum obijt, relicto hęrede Vasconum Rege Philippo Pulcro. Paulò post etiam Petrus Aragoniæ Rex obijt, relicto hærede Alfonso filio.

1287. Anno deinde 1287. ingens à Rogerio Laura de Gallica

lica classe victoria parta est, ad Neapolim. Duæ, & quadraginta naues captæ, captis quinque millibus hostium. His victorijs Sicilię Regnum Aragonijs firmabatur. Carolus Princeps ab Aragonio Rege his conditionibus est dimissus. *Siciliæ Regno Iacobo cedito. Pontifici, vt id ratum habeat, suadeto. Pontifex Aragonios anathemate soluito.* At à Pontifice irrita omnia, tanquam extorta. Carolus ab eo Hetruriç, Siciliæque Rex declaratus magnos postea motus excitauit. *Victoria Rogerij ingens.*

Castellam deinde noui motus, noua procerum studia, Lupo Haro in Regia interempto, Regis Aragoniæ animus à Sanctio alienatus, Blancę fratrum Cerdarum matris pro filijs sollicitudo, & alia domestica, intestinaque mala in discrimen adduxerunt. Factio Cerdarum crudeli, & necessario exemplo restincta est. Quatuor millia, qui Alfonsum Cerdam Regem acclamarant, trucidata. Talauerę quadringenti ex nobilitate necati, & membratim dissecti. Ab euentu portam Quartos nominatam, traditio est. Anno 1291. Rex Aragonius Alfonsus moritur sine prole. Iacobus frater Siciliæ Rex ad Regnum properauit. *Sanctij crudelitas.* *1291. Rex Aragonius moritur.*

Anno sequenti, inter Reges pace composita, à Benedicto Zacharia maris præfecto ad Africana litora, nauali prælio Rex Marrocij victus viginti triremes amisit. Qua clade ab expeditione Hispanica, in quam exercitum comparabat, est deterritus. Ea victoria Sanctio Regi parta Tartessum quoque dedit. Quam ciuitatem post Rodericum Calatrauę Magistrum, Alfonsus Peresius Gusmanius, cognomento Bonus, magis suo, quā Regio sumptu, cùm apud Mauros, Christianosque opibus, & potentia valeret, defendendam suscepit. Hoc tamen cognomen, BONVS, inde illi datum, quòd opes, facultatesq; copiosas in egenos, & in causam Religionis contra Mauros liberaliter effuderit. Superbis Principum cognominibus titulus ò præferēdus! Ab illo Ducib⁹ Assidonię nobilissimę inter proceres familię, refertur origo, cuius memoria sępiterna manebit, à nostris scripto. *Mauri victi nauali pugna.* *Alfonso Peresio guzmanio vnde Bonus.* *Assidonia Ducū origo.*

ſcriptoribus celebrata. Non omittam illud facinus pręclarum Mauris,& Chriſtianis decantatum.

Rex Marrocij prouocatus à Ioanne Regis fratre irato,in Hiſpaniam cum exercitu trāſmiſit.Tarteſſum(quę nouo nomine Tariffa eſt) obſedit. Vnicum filium Alfonſi Pereſij captiuum forte barbarus habebat: quem in conſpectu ciuitatis, vidente patre, ſe occiſurum minitabatur, ni ciuitatem proderet. Ad ea Pereſius. En, ait,gladius (& gladium è muro deiecit)quo meus filius parente dignus occumbat, Oppidum tamen me ſuperſtite non dedetur: nam dediti maculam filij ſalus non eluet. His dictis ad horam prandij diuertit. Barbara crulitate puer in ciuitatis conſpectu necatus ingentem cuſtodibus clamorem excitauit. Omiſſo prandio,accurrens Alfonſus,vt cauſam clamoris agnouit, *Putabam, inquit,& timebam captam ciuitatem.* Et ad prandium ſtatim reuerſus quietos omnes eſſe iubet. O ſupra mortales animus inuictus! Extant de tam pręclaro facinore literę Regiæ poſteritati commendatæ, quas Aſſidoniæ Duces,omni theſauro pretioſiores,aſſeruāt,& oſtentant. Oſtentent, & ſeruent in antiquitatis inuidiam.

Alfonſi Pereſij Conſtantia,& facinus.

Anno 1295 Rex Sanctius, ô breue Regnum,& turbidum! obijt. Bonus inter omnes fuiſſet,ni eum à bonorum numero crudelitas exemiſſet. *Quis vnquam crudelis bonus?* Regnauit annos vndecim. Reliquit filium Ferdinandum Reginæ fidei commendatum, nondum legitimæ vxori,vitio propinquitatis. Certè Sanctius ſibi, poſteriſque Regnum armis firmauit,in quibus iura Regnandi plerique Principes poſuere.

Sanctij obitus.

Quod ad Aragonios attinet,Pax inter Iacobum Aragonię,& Philippum Galliæ Reges,arbitro ſummo Pōtifice, facta Siculos vehementer perturbauit, cum ne ad Gallorum imperium redirent, merito perhorreſcerent. Quapropter in Regni conuentu, fruſtra Iacobo admonito, ne in tanto diſcrimine miſeros deſereret Siculos, cum ſemel animo Religione iniecta in ſententia perſiſteret, Fredericum fratrem, quem Iacobus diſcedens

cedens rebus præfecerat, Regem esse iusserunt. Omnia extrema pati, quàm Gallorum Imperium maluerunt. Fredericus ergo (vt in fœdere cautum) à fratre, à Regina matre, à Rogerio Laura desertus, Siculorum fortunas, sequentibus annis, euentu vario tutatus est.

FERDINANDVS IV. CASTELLÆ. Iacobus II. Aragoniæ Reges.

CAPVT XIII.

CASTELLAE perturbationes à Cerdis fratribus excitatæ inter varia procerum studia, Ferdinandi Regis puerili ætate recruduerunt. Præsertim cum Aragonij Regis arma Castellæ molesta, ex icto inter Cerdas, proceresque fœdere, Murcię Regnum inuasissent, tempore, quo vix Ferdinandus in Regno tutam fidem inueniebat. Sola Reginę matris patientia varia studia prudenter dissipabat. Eo tempore Ioannes Prochita, restituta patriæ libertate decessit, *Ioannis* immortalitate dignus. Hæc ad annum sęcularem 1300. *Prochitæ* Sequenti anno venia obtenta à Pontifice Rex Ferdinan- *obitus.* dus matrimonium cum Lusitanię Regis filia celebra- 1300. uit, Parentum Sanctij, & Marię eodem vitio procura- *Cerdarũ* to. Nihil his annis actum dignum memoria, pręter fœ- *factio so-* dera Regum Castellæ, Aragoniæ, & Lusitaniæ, in qui- *pita.* bus feriendis magnus conuentus est habitus, & Alfon- 1305. sus Cerda, qui Regis titulum assumpserat, ab eo absti- *Ioannæ* nere iussus, datis ad principalem vitam oppidis, ad an- *Vasconũ* num 1305. Quo Ioanna Regina Vasconum defuncta *mors.* est, relicto filio Ludouico Hutino Regni hęrede. Anno 1309. 1309 à Regibus Castellæ, & Aragoniæ resumptum bellum Mauricum. Ab Aragonię Rege obsessa Almeria capi non potuit. Mauri duplici pugna fracti, exercitu magna ex parte cęso. Ferdinandus ad Algeziram omnem belli apparatum consumpsit, expugnata Gibraltare.

Duobus

Duobus sequentibus annis toto Christiano orbe tumultuatum, nece Templariorum, extincto prorsus ordine. De ea multa, rumor, & opinio varia. Sed quia Pontifice authore, Regeque Galliæ annitente, in magno cõuentu Episcoporũ contestata lis, iudicataque est, temerarium arbitror iniuste fuisse damnatos asserere. Certe Templariorum religio eo magnitudinis, & potentię creuerat, vt suo põdere tanquam magna mole oppressa laboraret, & opprimeretur. Diuitię profecto ruinam attulere, vt multis alijs. Eo tempore Castellam Regina hactenus infœcunda, edito Alfonso, noua lætitia

Templariorum nex.

1311. perfudit. Sequens annus funestus (heu mistæ, lætæ, tristesque res humanæ) Hispaniæ morte Ferdinandi ætatis flore (agebat vigesimum quartum annum.) Ad oppidum Martos Caruajali fratres Petrus, & Ioannes maiestatis accusati, quòd in Regia virum primarium Benabidem interemissent: non tamen crimen falsi Regis iussu pręcipitati sunt. Qui dum ad supplicium trahuntur, magno clamore; ad maius tribunal prouocarunt, Regique ad causam dicendam trigesimum diem præfinierunt. Et ò miraculum! præfinito tempore expirauit. Inde Regi nomen apud Hispanos; *Ferdinandus in ius vocatus.* Opinionem confirmauit rumor sparsus, idem Pontifici summo, Regique Gallorum à Templarijs ad tribunal Dei vocatis accidisse. Multis vana hæc. Certe factum accepimus, iudicium at formidamus.

Caruajali præcipitati.

Ferdinãdi obitus.

ALFONSVS XI. CASTELLÆ REX.

CAPVT XIV.

ALFONSVM infantem turbida Castellæ tempora sequuta. Pueri tutela, Regnique cura, quam multi ambiebant, pacem turbarunt. Inter eos magnus auunculus, Philippus, Ioannes Emanuel, patruus alter Ioannes, & Petrus. Regina Constantia,

Constantia,& auia Maria discordes erant. Inde magna rerum perturbatio,quam explicare arduum, asperūque. Tandem Regina Constantia mortua, pax quędam reddita rebus est. Conuentum, vt puerum educandum auia Regina susciperet, Ioannes,& Petrus Regni administrationem. Sed cum latrocinia impune vbique exercerentur: sancitum, vt Regius senatus Regnum administraret,minores curas Petrus, Ioannesque partirentur. Hoc etiam tempore Granatæ Regnum bellis ciuilibus æstuabat. Hæc ad annum 1314.

Quo tempore Catalaunij bello viuere assueti, pace composita inter Fridericum Siciliç,& Gallos, permittente Friderico, Rogerio Brundusino duce, in Asiæ vicina litora contra Turcas, ea tempestate nostrorum Principum socordia, discordiaque potentes inuaserunt. Primo prælio equitum triamillia, peditum decem cæciderunt. Pari euentu, & Turcorum strage ad Philadelphiam pugnatum. Ad Tauri montis angustias eadem fęlicitate Turcæ victi. Inde magna parta fama, equos, arma,& omnia futuris bellis necessaria, comparata. *Et est fortuna quibus arrisit semel, facilis.* Potuit hac via Turcarum nomen omnibus formidabile penitus extingui, si nostrorum ciuilis discordia optima consilia non dissipasset. Erat Rogerio Germanica origo,Pater Richardus Florus Friderico Augusto familiaris,eo ad Mãfedroniam cæso,cùm Conradini partes sequeretur, Friderico Regi fortem operam nauauit. Coniux illi Zaura Imperatoris filia, ex Andronici sorore. Hęc illi via ad Cæsaris nomen post partas in Asia victorias, accedente Berengario Entensa Catalauno cum nouis copijs. Abierat in desuetudinem Cæsaris nomen, inuidiosum apud Græcos,propter amplitudinem potestatis.Sed en fortuna hactenus secunda è summo pręceps. *Militaria stipendia Principibus molesta, militibus necessaria, exitio semper fuerunt.* Compulsi milites ad rapinas,stupra, & ad alia, quæ Græcos prorsus alienarunt. *Et vbi iustitia fortunatos deserit, iniustitia præcipitat.* Rogerius

Catalauniorũ in Asia gesta

Adrianopoli, quo fuerat euocatus magnis de rebus actu-rus, insidijs oppressus publico malo perijt. Cōmissa pugna multas Catalauni de Græcis victorias retulerunt. Illa celebris in qua sex equitum millia, peditum vinginti millia trucidata, cæteros castris exutos fuga seruauit.

Catalauni decepti, & victi. Entensa iniustę necis vindicandæ studio Constantinopolitana litora vastans, Caloioannē Andronici filium superauit. Classis Genuensis forte illac appulsa Gręcis auxilio fuit, Catalaunis exitio: qui sub specie pacis decepti classem amiserunt, capto Entensa Græca fide. Supererat Rocafortius apud Çalipolim; qui vicinas gentes omni belli vexauit iniuria. Entensam libertate donatum non est passus loco consistere, quamuis in reficiendam amissam classem paterna bona prodegisset. Fridericus Rex Sicilię Ferdinandum Balearici Regis filium cum classe mittit, vt eius authoritate bellum gereretur, quod Sicilię Regis auspicijs hactenus erat gestum. Parum ea diligentia profectum, Pugnatum inter partes, & Ferdinandus occiso Entensa rediens à Gallicis triremibus captus est. In ea classe Rocafortius, desperata venia apud Aragonios, fœdus cum Gallis fecit, à quibus præ superbia odio habitus ferro vinctus, Roberto Neapolitano Regi traditus, cum socijs miseram vitam finijt. Catalauni qui in Græcia remanserant, à Duce Athenarum Gualtero Brenna irritati propter stipendia negata, facta secessione, rebellarunt, Duce occiso, Siciliæ Regi nomen Athenarum ducis transmiserunt. Inde Aragonijs Regibus nomen, & vmbra Athenarum Ducum, & Neopatriæ. ¶ Hæc est celebris Catalauniorum in Asiam expeditio, qua magnis ceptis fundamenta iacta, ni dissipasset ambitio, & militaris licentia corrupisset. Duobus annis sequentibus acta hęc.

1316. Ludouicus Hutinus morbo sublatus ex priori vxore Margarita Burgundi ducis filia, Ioannem reliquit. Matri adulterij conuictę fracta gula. Et mirum videtur tres nurus Philippi Pulchri Regis eodem tempore lege

adulterij

adulterij postulatas, duas conuictas, Ludouici, & Caroli vxores. Adulteris pęna, verenda conuulsa, cutis detracta, vnco per ora ciuium tractis. Granatense bellum repetitum Petro Principe duce, Azarij accitu, qui Regis titulos vsurparat, in Maurica perturbatione. Victoria penes nostros fuit Mauris luctuosa, quod quadraginta ex Granatensi nobilitate ceciderint. Inde belli terror vndique Mauris afflictis. Oppida qua capta, qua direpta, agri vastati, præda diues. At Ecclesiasticis decumis pro belli sumptibus ablatis, exitus infelix. Nam Petrus, & Ioannes Principes ob easdem decumas dissidentes, & Reginæ industria compositi, contra Mauros communi sumptu diuersâ profecti periere, nullo iusto prælio, Deo vindice, vt putatur. Nam cum se in Granatæ conspectum dedissent, lateque omnia populati fessum exercitum reduxissent: hostis opportunam occasionem non omisit. Fessos, & aquę penuria laborantes adortus barbarus antea victus, nihil minus cogitantes profligauit. Principes enim hortando fugientes, fessos sine vulnere suffocatos, siti exanimes, milites cognito lamentabili casu conglobati inuenerunt. Mauri castris direptis multa recepta pręda, resistere exercitui ad pugnam reuocato non ausi, abierunt.

Tres Philippinarus adultera eodē tempore. Nostrorum de Mauris victoria.

Principes Petrus, & Ioannes occisi.

Eodem tempore anno 1318. Aragonia, & Lusitania, diuerso morbo, pari tamen casu laborare. Aragonia Iacobi hæredis abdicatione, causa incerta, certum tamen Principem vestem mutasse, Calatraug pro Montesiæ mutuata, indutaque. Licentia sequentis vitæ, non studio religionis, sed liberioris luxurię factum arguit. Alfonso inde fratri ius Regni quæsitum. Lusitania diuersa regnandi cupiditate æstuare. Alfonsus à patre Dionysio, quòd filio Alfonso notho plus æquo indulgere videretur, dissidere. Proceres Lusitani discisi in partes. Castella principum nece turbata erat, proceribus Regni curam ad se trahentibus. Tandem conuentum, vt Philippus patruus, Ioannes Emanuel, & Ioannes Viscaię Princeps Regni administrationem partirentur

1318.

Insolens Regni abdicatio.

Varia perturbationes.

rentur. His diuisis, diuisa quoque studia populorum fuere. Misera, fædaque Hispaniæ facies erat, latrocinijs, omnique malorum iniuria vexatę.

1321. *Cædes Vasconũ.* Anno 1321. celebris fuit Vasconum cędes à Cantabris accepta. Obierat Philippus Longus Galliæ Rex, successerat frater Carolus Pulcher. Hoc Principe à Cantabris occupata arx Gorritia: causa, quòd iniuste à Vasconibus occupata fuisset. Conuenit Vasconum multitudo, nisi numeri vitiati sunt, ad sexaginta millia. Incredibile videtur, sed fides scriptoribus esto, patriæque memorię: quę adhuc in vulgaribus cantilenis vsurpatur. Ab octingentibus iuga montium occupantibus, profligati, dissipatique sunt Vascones. Sequẽti anno Regina Maria grauis ętate, & Regni curis fessa decessit. Ad annũ 1325. nihil memoria dignum pręter Dionysij Regis obitum, cui Alfonsus filius cognomento Fortis successit. Tres anni sequẽtes in sedandis proceribus Regibus molestissimis consumpti. Initium à Ioanne Cantabriæ Principe factum. Quem Rex iniecta magni matrimonij spe Eleonoræ Regis sororis, Taurũ euocauit. Venit inermis ille, & erãt omnia plena lętitię, proculque aberat omnis mali suspicio. Regio cõuiuio exceptus inter epulas obtrũcatur. Oppida, & arces à Rege occupatę. Sic Alfonsus Regni tyrocinia deponebat. Emanuel finibus contra Mauros præfectus accipiens male Regi fidem credi, qui specie matrimonij Principem virum ad se vocatum obtruncauerat, animo à Rege alienato, post victoriam de Mauris partã, in oppida sua se recepit, fide per feciales renuntiata, facto fœdere cum Regibus Aragonio, & Granatensi.

1325. Dionysij Lusitani obitus. Alfonsi perfidia.

Primus in Castella Comes. Osorius Cermonia. Eo tempore primus in Castella Comes à Rege creatus est, Osorius Trastamaræ, Sarriæ, Lemosijque, ceremonia, vt in ætate rudi, barbara. Tres offæ vino tinctæ propositæ, Rex, Comesque semel, iterũ, tertioque se inuitarũt, vter prior sumeret. A Rege vna, altera à Comite sumpta. Ius caldariæ vexillique in castris datũ, proprijs insignibus ab alijs distincti. Sic delatus honos, & astantium

tium clamor sublatus bene ominantium. Sed hęc Regũ fauoris vmbra, alijs inuidiæ fomes fuit; *eritque semper, & omni æuo calamitosis exemplis probabitur, quàm periculosa sit Regum amicitia.* Ciuitates tumultuari, vnius Osorij, & quod peius, Iosephi Iudęi arbitrio cuncta geri, passim suggillata Regis fama, vulgo iactari. Non prius reddita pax, quã eiectus Osorius ab aula. Sed homo potens cum Emanuele arma sociare: quem Ramirus Gusmanius, simulata à Rege fuga, per fraudem interemit. Perduellionis lege in bona, thesaurosque quos è deprędata republica corraserat, actum, nullo defendente. A Rege occupata omnia. Iosephum ignobilitas seruauit, ne magno viro in supplicio fuisset æqualis. Reges deinde Castellę, Aragoniæ, & Lusitaniæ connis se nuptijs deuinxerunt, & ad bellum Mauricum animos appulere. *Amicitia Regũ periculosa.*

DE BELLO MAVRICO.

CAPVT XV.

IOANNE Emanuele Regi conciliato, Aragoniæ Rex per Murcię fines in Mauros inuadere. Rex Lusitanus quingentos equites in belli subsidium mittere. Rex Alfonsus in Granatenses agros irrumpere statuerunt. Alfonsus anno 1330. Illustrem de Mauris victoriam tulit, Ozminio cum exercitu profligato ad oppidum Thebam. Ozminius ergo cum sex millibus equitum Turone se nostris molestus tenere, siue aquatum, siue pabulatum exirent, insidijs occasionem captare. Tria millia equitum ad flumẽ mittit, ipse cum tribus millibus vbi pugna incaluisset, Regia castra inuasurus: vno impetu sic rem omnem perfici posse putabat. Innotuit Regi Mauri consilium, & ars arte delusa: validam manum, tanquam ad certam pugnam, aquatum mittit: ipse cum armato exercitu Maurum inuasurũ opperitur. *1330. Nostrorũ victoria.*

Ingei ẽ

Ingens Maurorum fuit cædes, & eodem impetu direpta castra. Eo maiori Alfonsi gloria, quòd nullo Aragonij auxilio parta victoria est, & Lusitani equites in patriam redierant. Inde irarum causa præsertim contra Emanuelem natæ. Secundum hanc victoriam amissa oppida recuperata, multisque cladibus Granatensi tractui illatis, Rex Hispalim diuertit: vbi se Eleonoræ Guzmaniç amoribus, spreta coniuge, dedit.

Africana auxilia in Hispania.

Rex Granatæ in Africam ad conquirenda gentis auxilia transmittere. Qui exceptus à Rege Marrocij lautè, copias cum Abomelicho filio obtinuit, in Hispaniamque remigrauit valido succinctus exercitu. Interea Mauri, Reduano duce, oppidum Guardamar ad ostiũ Staberi fluminis, qua in mare deuoluitur, capiunt. Præda fuit ingẽs, captiui mille ducenti: reuersoque Mahomade, Ioannes Emanuel abiurata patria, Regi Alfonso iratus, ad Mauros rursus defecit. Anno 1333. Abomelich cum septem millibus equitum in Hispaniam traiecit, vniuersæ prouinciæ recuperandę animo. Primo Heraclæam, & Algeziram obsidere, quæ malis fessa venit in potestatem. Granatæ Rex Cordubenses agros vastare, oppida, vel capere, vel incendere. Hispaniam ingens metus occupauerat: cùm ab ea parte præsens immineret periculum, vnde olim vniuerso Regno pernicies, & vastitas.

Guardamar à mauris direpta. 1333.

Adulta æstate Rex cum exercitu Hispalim accurrit, rebus perditis auxilium serum. Attamen priusquam capta Heraclęa se Mauri confirmarent, eam recuperare animus erat. Castris castra collata, & leues pugnæ commissæ, detrectata vtrinque iusta. Frumenti inopia, famesque Regia castra fatigare: milites quotidie deserere signa. Abomelichus ad omnem occasionem intentus tam ingentem nostrorum fugientium numerum ceperat, vt tanquam vilia capita, singula vno aureo nummo venirent. O graue Christiani nominis dedecus! Regis Granatensis aduentu, Mauri aucti, ter eductis militibus, acie instructa, nostros fame, inopiaque fatigatos.

Nostrorum clades.

tos ad pugnam prouocare. Rex Alfonsus cautior, quàm ętas ferebat, iustam pugnam detrectare. Maius periculum erat à nostris iratis. Emanuel, Ioannes Lara, & socij cum Aragonio fœderati. Ioannes Harus Camerorum Regulus, omnes potentissimi viri, alieno reipublicæ tempore Regios fines inuaserunt. Rex quid ageret? Ite in his calamitatibus Principes, & insanis Eleonoræ Gusmaniæ amoribus indulgete! sic Deus vestra vitia castigat, si audire velitis.

Alfonsus fœdus cum Mauris parum honestum percusit, quando quidem Heraclæam retinuerunt, & ad sedanda intestina mala bellum conuertit. Reges ergo Castellę, Granatęque communi se conuiuio lautè inuitare; munera vltro citroque data. Exitio fuit Regi Granatensi vestis pretiosa dono data, gestataque diu. Superstitiosa gens, Christianorum conuiuio se Regem polluisse, vehementer auersata, eum Malacæ obtruncat, ministro Alhamaro, filijs Ozminij instigantibus. Authore deinde Reduano Granatæ prętore, occisi frater Bulhaxi Rex proclamatur, ad quem nobiles multi Alfonso Regi infensi transierunt. Inter eos præcipuę nobilitatis fratres Aquilarij Gonsalius, & Ferdinandus, Montillæ, & Aquilarij Reguli. Latiùs malum serpsisset, ni Abomelich reuocatus à patre Africam repetijsset, contra Regem Thremezenium auxilio. *Regis Granatæ nex.*

Anno sequenti quadriennes induciæ inter Castellæ, Granatæque Reges pactæ, à Mauris quies, & à nostris bellum fuere. Sed quę singularis potentia aduersus communem, Regiamque? In Laræ ditionem impetus factus: Oppida qua vi, qua sponte occupata: Ioannes Harus à Rege captus, & obtruncatus est. Vniuersa ditio Perduellionis lege Regi addicta. Oppidum Camerorum Aluaro, & Alfonso fratribus occisi datum, ne illustris familia penitus interiret. Natus est eodem anno Petrus Princeps, cognomento Crudelis, Castellæ, Regnique fax. Anno deinde 1335. Aragoniæ Rex Alfonsus cognomento Benignus (nomen à peitate moderationeque *1334. Petri crudelis natiuitas. 1338.*

tioneque datum) Barcinone decessit, Petro successore. Duobus annis sequentibus nihil memoria dignum præter nouos tumultus ab Emanuele, & Ioanne Lara excitatos, Regem Lusitaniæ in partes attractum, bellum frustra tentatum, Ioannem Laram iterum in gratiam admissum, pacem cum Lusitano compositam: cum priùs Castellæ Rex Lusitanum nauali prælio, duce Gottifredo, vicisset, quo Lusitanus ad honestas conditiones est compulsus.

1338. *Ægidius Carrillus Toletanus.* Ægidius Carrillus Albornozius, authore Rege, Toletanus Præsul creatus, de quo priuata extat historia, vir illo sęculo celeberrimus apud omnes nationes, qui Bononię collegium Hispanorum fundauit, vnde doctissimi viri prodierunt, cuius memoria posteriori sæculo multos in Hispania ad similia opera cōcitauit. ¶ Obijt Fridericus Rex Siciliæ, bello tandiu sustentato clarus. Ab Africa ingens belli metus, quòd Albohazenus, vniuersa prouincia in potestatem redacta, omnium opinione maius parabat, vniuersę Hispaniæ Imperio concepto. Magni ergo apparatus, delectusque vbique. Aragoniæ metus incussus, quòd tempestas illa Valentiam inuasura nuntiabatur: Rex Alfonsus à Granatensi parte, qua facilis Mauris in Hispaniam transitus, imminere tantam belli procellam metuebat. *Apparatus belli cus.* Et quia omnis Africa commouebatur, integręque familię, vt antea, quasi ad nouas sedes proficisci parabant. Omnia bellum, arma, equi, & contra hostes communes fœdera iungi. Aragonia classis cum Castellana ad freti Gaditani angustias missa, si forte Mauris traijciendi facultas impediri potuisset. Taiecit tamen Abomelichus cum equitum quinque millibus. Et statim cum mille quingentis Nebrissa obsessa. Abomelichus positis ad Cæsarianum Castris substitit. Rex ad belli subsidia conquirenda à Granatensi populatione in Regni se interiora retulerat. Præda magna Maurorum graue agmen lento procedebat gradu. Accurrerunt vndique nobilissimi viri ex hybernis eductis copijs. Mauros improuisò adorti fundunt, fugant, truci-

trucidantque. Præda recepta, de inuadendo Abomelicho, feruore victoriæ deliberatum. Copiæ pro numero hostium exiguæ erant. At hostibus (vt plerumque) nostrorum contemptus exitio fuit. Nostri ergo dubia luce, signo dato, castra inuadunt. In transitu fluminis quingentis Mauris resistentibus victis, vallo succedunt, & omnia trepidatione, terroreque complent. Decem Maurorum millia cæsa. Ipse Abomelichus pro gregario milite cecidit. Castra direpta, & præda diues. *Nostrorũ victoria.*

Morte Abomelichi, pater, Africa vniuersa dolore, luctuque occupata, vindictę rabie percita, vniuersas vires in vltionem armauit, & in Hispanicam expeditionem se deuouit. Septuaginta equitum millia, peditum quadringenta; quinque mēsium spatio, profligata nostra classe, in Hispaniam traiecerunt. Alfonsus Rex, reparata classe, cui Aragonius suam coniunxit, Regni conuentum Hispali habere. Affuit Lusitanus cum equitibus mille. Summus Pontifex peccatorum indulgentias militātibus indulsit, qui sumpta cruce, suis expensis, trimestre belli tempus implerent. Quatuordecim equitum millia, viginti quinque peditum confluxerunt, sextam Maurorum partem non ęquabant, & tamen pugna decreta. Iuramento, datis dextris, sese omnes adstringere, proque patria deuouere, mori prius fortiter, quàm ordines deserere parati. Rex, nobilitasque primò, postea exercitus peccatorum confessione procuratus, sacra se ad pugnam communione muniuit. O qualis, quantusque hac via rebus in arduis etiam timidis accrescit animus! Tariffam primò Reges ambo Granatensis, & Afer obsederunt. Rex Castellæ timens (nec vanus timor) ne multitudini Maurorum pręsidium cederet, terra, marique properat. Mauri, cognito nostrorum consilio, infinita multitudine vicinos colles operiunt, relicta Tariffę expugnatione, & tanquam ad certam victoriam aduolant, castraque muniunt. Ad Rupem ceruì (Pago nomen est) ventum in conspectum. *Maurorũ clades Abomelich occisus. Numerus copiarũ hostiliũ ingens. Nostrorũ copia. Solicitudo nostrorum.*

Mille equites, pedites quatuor millia Tariffam auxilio missa noctu. Reliqui corpora curare iussi. Prima luce sic est acies instructa. In fronte Lara, Emanuel, D. Iacobi Magister, constituti. Postrema Gonsalius Aquilarius curabat. Subsidia Petrus Nunius habebat. Agmen medium cum robore copiarum Rex cum Albornocio Toletano præsule gubernabat. Præterfluebat medius Salsus fluuius, hac celebri pugna memorabilis: Qui primi traiecissent, pugnam inituri erant. Missi à barbaro mille equites, qui transitum impedirent. Ad rippam Emanuel, & Lara substiterunt, causa incerta. Suspicio dubiæ fidei in ordines emanauit. Lassi fratres Gōsalius, & Garsia, transmisso fluuio primi pugnam capessunt. Sequitur Aluarus Gusmanus, deinde cęteri. Heu qualis, quantaque pugna, quàm ingens animorum constantia, quot fortitudinis exempla! Pars nostrorum notis, occultisque tramitibus hostilia castra petiuit, inuasit, diripuit, incendit. Quod Mauri magna pertinacia resistentes, vt à tergo conspexerunt, loco moti terga dedere. Sequuta incredibilis cædes. Ducenta Maurorum millia profligata. Et ô miraculum! vigenti è nostris desiderati. Captiuorum numerus iniri non potest. Ab Ægidio Toletano, qui nunquam à Regis latere discedebat, vix voce, manuque retentus Alfonsus Rex, qui desertus à suis in confertos hostes irruere destinabat. Admonitus tamen tanti Præsulis exhortationibus, ne certam victoriam aliquo infelici casu corrumperet, substitit. Memoria dignum, notandumque. Huic prælio, & alteri ad Nauas Alfonso octauo, quibus nullum in Hispania maius, & à quibus totius Regni aut salus, aut certa pernicies imminebat, duos pręcipuè Toletanos pręsules, Hispaniæ ornamenta, decusque, non solum interfuisse, sed eodem modo Reges conseruasse, ne aliquo infelici casu tam illustres victorias luctuosas facerent. Illic Rodericus, hic Albornocius: vtriusque profecto erit sempiterna memoria.

Ordo aciei.

Lugens Pugna.

Nostrorū victoria memorabilis.

Duo Præsules Toletani duplicis victoriæ pars præcipua.

Rex Lusitanus, cuius opera fortis, licèt parua manu, Castel-

Castellano sola profuit (multumque semper pauci fortes profuerunt,)honorificentissimè dimissus,contentus paucis de pręda spolijs ad tanti prælij memoriam. Refecta Tariffa,Rex ad maius bellum,vt prudentiora consilia dictabant,vires comparare. *Et est summa prudentia in prosperis aduersa timere.* Cladem Mauris vires, animosque facturam,vt probos decet,verebatur. Albohazenus in Africam illico traiecit inglorius, timens ne vulgata Maurica strage, filius, quem rebus discedens præfecerat,Regnum inuaderet. Summus Pōtifex Benedictus, orbi Christiano indicta festiua, lætaque die, publicam in Alfonsi laudes habuit concionem. Sed hem optima gentis extirpandæ occasio prætermissa! *Et ò Regis arridentem fortunam pauci sequuti. Sequuti enim Alexandri, & Cæsares euaserunt.* Hæc memorabilis victoria contigit anno 1340. 1340.

ALCABALÆ INITIVM.

CAPVT XVI.

EXHAVSTVM ærarium, Respublicaque ad inopiam, superioris belli sumptibus redacta, corradendę pecuniæ viam inuenit posterioribus sęculis perniciosam: vigesimam videlicet mercatoribus è mercibus Regio fisco soluendam. Ac si vectigalia mercatoribus imperata, non in publicam caritatem redundarent. Sed ea Rex Alfonsus erat oppressus inopia ad belli sumptus,vt nulla alia via facilior inueniri potuerit. Hæc tamen vigesima tantum ad bellum Algeziræ concessa, ad nostra tempora perseuerat astrictior. *Raro inuenta tributa tolluntur.*

Algezira expugnatio. 1394.

Algeziræ ergo expugnatio difficilis, diuturnaque ad annum 1344. protracta. Sæpe desperata res, Alfonsi constantia sustentata. Pugnabat contra nostros fames, inopia,pecunię præcipuè,quam à Rege Gallię mutuam

Alfonsus accepit, insuper & à Pontifice: paruum tamen rebus afflictis auxilium. A nostris parta naualis victoria ad Septam oppidum. Multæ naues captæ, incensęque: quibus Mauris bellum reparare animus erat. Multi crucigeri Pontificis hortatu bellum ad Algeziram iuuerunt, etiam exteri; sed diuturnitate fessi, dilapsique patriam repetiuere. Diui tutelares perditis, desperatisque rebus affuere; *& humanis consilijs diuina præstant.* Exterorum discessu, Mauri Africana classe aucti, mutato consilio, prælio decernere statuerunt. Illis copia, nostris inopia fecit animos. Victi, fugatique barbari. Actum deinde de vrbe dedenda. Salutem Mauri pacti in Africam traiecerunt cum rebus, quas secum asportare potuere. Rex die Palmarum vrbem inijt. More Christiano templo expiato, Gratiæ Deo, diuisque habitæ. Duæ Albohazeni filię superiori bello captæ patri remissæ, & à barbaro muneribus, & oblata pace certatum. Christianis certatim nomina dantibus Algezira frequentata: quòd vberes, salubresque agri, expulsis Mauris inuitarent. Hac duplici victoria Rex Alfonsus supra mortales habitus. Eo magis victoria fuit illustris, quòd in Regis caput à Mauris, tanquam in communem Mahometicæ superstitionis hostem sæpissime fuerit coniuratum. A multis sacramento suæ Religionis adactis tentatum facinus. Regem superior vis seruauit, cùm se ipsum non seruasset. Quidam comprehensi, & crimen fassi cautiorem Regem fecerunt.

Alfonsi Regis discrimē.

Eodem anno Rex Aragonius Baleares insulas Regno adiecit. Ambitio dominandi iura confingit. Certe à superiori Regni partitione ius quæsitum, & Aragoniorum Regum animus auersus. *Potentiores tandem infirmiores ad se trahunt.* Dissidium inter Balearem, & Gallię Reges de Principatu Mompellerij, causa tanti mali. Aragonio, in quo pręsidium esse debuit, primo speciosa verba: mox arma parata. Baleari crimini datum, verum an falsum, incertum) lęsa maiestas. Hac via

ius

ius ad Regnum. Non parum momenti propter tributa grauia, subditorum animi à Rege alienati, & noui imperij cupido fuerunt. Rex primò se Regis Aragonij potestati credere, tanquam propinquo, & necessario, infido tamen. Bellum intentans, & pugnam audens, victus acie pœnas temeritatis dedit: cuius filij antea easdem pœnas luerant. Sic Baleares Aragonio Regno adiectę, à quo prauo fuerant consilio diuulsæ.

Baleares Aragonia iuncta.

Annis sequentibus in Aragonia tumultuatum, orta seditione libertatis prętextu, Regis odio. Sedata verò, quia Regis potentia maior. Anno 1348. Hispaniam sęua pestis vniuersam afflixit. Cæsaraguſtę, in rationem Libitinę, mense octobri, quotidie trecenta capita relata proditur. Contactus ægrorum morbum vulgauerat, passimque corpora inhumata iacebant. Adeò morbi vis animos efferarat! Alfonsus Rex in obstinata Heraclęæ obsidione peste sublatus, octauo, & trigesimo ętatis anno. Si diu vixisset Mauricas in Hispania reliquias extinxisset. Rerum gestarum magnitudine, scientia militari, ciuili prudentia clarus. Regias virtutes vnum incontinentiæ vitium fędauit. Obijt in Castris anno 1350. 26. Martij. Hostes virtutem admirati, magno metu liberati, ab irruptione abstinuerunt. Corpus Hispalim relatum.

Saeua pestis. 1348.

Alfonsi Regis obitus. 1350.

PETRVS CRVDELIS Rex.

CAPVT XVII.

TVRBIDA Sequuntur tempora, turbulento Rege, & Regni magna mutatio. *Clementia Imperia firmantur, crudelitate labuntur.* Grauissimo Regni oneri Petri Regis quindecim annorum, & septem mensium ętas nondum matura, à Regina matre, & Alfonso Alburquerquio, cui pater Principem

Principem Regia disciplina informandum tradiderat, regebatur, non sine procerum inuidia. Mater crudelis, Alburquerquius auarus, vulgo. Quid faceret Eleonora Gusmania Regis pellex à tanta maiestate deiecta, in Reginę potestate, arbitrioque? Capta illico est, (cum prius se ab iniuria tueri viribus destinasset,) & custodiæ mandata. Hos Regi Alfonso filios genuerat Petri Regis fratres. Henricum Trastamaræ Comitem. Fridericum D. Iacobi Magistrum. Ferdinandum Ledesmiæ. Tellium Aquilariæ Regulos. Erant, & alij. Sanctius, Ioannes, Petrus, Ioanna. Grauis infirmitas Regis paulo post sequuta, procerum studia retexit. Actum inter eos de Regni successione. *Et est Regibus proximus quisque aut suspectus, aut inuisus.* Conualescenti ergo explorata consilia crudelitatem innatam accenderunt. Ea de causa Ioannes Lara in vlteriorem Castellam se contulit, vim repulsurus, qui paulo post ex morbo decessit. Ferdinandus Emanuel coniuncto funere sublatus est. Rex eò profectus, cùm vita, in quam insæuiret, non esset, principatus occupauit mortuorum. Iter cruentum fuit.

Eleonora pellicis filij.

Eleonora Gusmania Talaueræ obtruncata; Burgis Garsias Lassus, sublata defensione, occisus. Crimini fuit fides erga Laram syncera. Henricus, ne cęsæ matris gladius caput suum peteret, in Lusitaniam fugit. Alfonsus Coronelius vir potentissimus in Bethica, vires, auxilia comparare, ne forte eodem crimine, quo Lassus fuerat aspersus, inuolueretur. Ioannes Cerda Ludouici filius, ad Mauros primùm, mox ad Lusitanos abijt. Vxor Maria Coronelia cum viri absentiam ferre non posset, libidinem sibi, vitamque pariter eripuit, adacto per muliebria titione, fœmina meliori sæculo digna, & Heroicis fœminis comparanda. Tandem Coronelius victus, & occisus cum alijs quinque viris primarijs.

Eleonoræ nex.

Mariæ Coroneliæ facinus.

Coronelius occisus.

Rex Blancam ex Gallia, domo Borbonia, ductam vxorem, pulchram pariter, & sanctissimā fęminam, illico dimisit, amoribus Mariæ Padillæ demētatus Luxuries domi,

domi, foris dominabatur crudelitas, & sæuitia. Regina mater, amita Eleonora, profusis lacrymis, per omnia numina obtestari, ne se Regnũque desereret. Infami pellicatu, Blancæ repudio, arma Gallica prouocari, procerum animos alienari, subditorum studia hostilia meditari. Ad hęc, & alia Rex surdus. Idem Alburquerquius matrimonij Gallici conciliator. Inde illi Regis gratia refrixit. *Et est potentiæ malis artibus quæsitæ digna merces Principis auersio.* Quod Alburquerquius malo suo præsentiens, & Regi male fidem credi, cui sancta matrimonij lex vilis fuisset: Rebus suis prouidens in Lusitaniam fugit. Rex importunis precibus Vallisoleti nouæ nuptæ biduum (sunt qui vnam tantum noctem dicant) indulsit, magno dolore tandiu à pellicis amplexibus auulsus. Ita se Regnumque Mariæ Padillę, & eius propinquis permiserat, vt vulgo Regi veneficijs, & carminibus iniectam amentiam crederetur. *Sed frustra quæruntur philtra, vbi cordi hæserit insana libido.* Iudæi cuiusdam zona medicata in draconis speciem Regis occulis obiecta ferebatur qua in libidinem exarsit.

Petrus veneficijs ad amorē illectus.

Referam impudens mendacium, vt refellam. Regem à Blanca repente alienatum, quòd illi prius Fridericus frater vitium attulisset. Ex commercio natum Henricum, quem secretò Iudæa, Columba nomine, nutrierat. Indeque Henricorum illustrissimæ familiæ, & planæ Regiæ origo. Sed quot mendacia in vna tantum impudentia, in alienati Regis gratiam pessima confinxit adulatio? Hoc retulimus, vt tam à sanctissima fœmina, quam à nobilissima Henricorum, & Regia familia tantæ turpitudinis notam abstergamus. Regi fratres conciliati à propinquis Mariæ Padillæ. In Regia mutata officia, dignitatesque, ad quas non paucos Alburquerquius euexerat, iam abs Rege hostis iudicatus. Regis fratres, Regnique proceres tempori seruire, & quasi precariam vitam agere. Tellio fratri Ioanna Laræ filia connubio iuncta est, agentibus Padillis, vt hoc blandimento, dotali Viscaia, Regis fratres sibi copularent,

Impudēs mendacium de Blancæ pudicitia, & Henricorum origo.

rent. Ab his (ò fœda Hispaniæ colluuio!) ad Regem aditus, & proceres id ambire! Hæc ad annum 1354.

1354. Calatrauæ Magister occisus. Quo Ioannes Nunius Calatrauæ magister, qui se metu mortis in Aragoniam contulerat, blandis abs Rege verbis reuocatus, Maquedæ obtruncatur, in cuius locum Didacus Padilla, nullis Comitijs, est suffectus. Regis voluntas lex, & comitia fuerunt. Henricus, Fredericusque à Rege contra Alburquerquium relicti, cum eo rebellionis consilia communicare.

Petri scelus. Additum à Rege sceleri scelus. Ioannæ Castriç, Didaco Haro viro defuncto, eximia forma Regis libidinem incendit. Cui, quoniam pudicitiam expugnare non sperabat, vt tanta pulchritudine frueretur, nuptias obtendit. Finxit se cęlibem, Blanca repudiata. Et heu Episcopi Sanctius Abulensis, & Ioannes Salmanticensis appellati, metu vincente honestatem, communi lata sententia Regiæ libidini seruierunt. Festinatæ nuptiæ, & à copia satietas, vna nox, (alijs pauci dies) nobilissimæ, & pulcherrimę fœminæ data, quòd Mariæ Padillæ reuocaret insania, quæ sola nunquam fastidio erat. Ioannes ex eo commercio natus, fortunę postea ludibrium, solatium repulsę matris. Hac iniuria Ferdinandus Castrius perculsus fratribus Regis accessit. Iam Tellius Viscaiæ Principatu fuerat spoliatus, minori filię Laræ Isabellę Ioanni Aragonio datæ in matrimonij tributo. Sic paulatim à proceribus defectio fouebatur. *Defectio à Rege.* Toletani ciues, Chonchenses, Cordubenses, Giennenses Blancę fortunam miserati, & Regis impietatem detestati desciuerunt. Fridericus Toletum properauit, & contra Regem, qui in vlteriorem Castellam fuerat profectus arma mouit. Conditiones feroci Regi propositæ, reiectæque omnes, vim parare, cùm neque Blancam Regio thoro restituere, neque pellicem dimittere voluisset. *Alburquerquius sublatus.* Alburquerquium interea Paulus medicus, iussu Regis, veneno sustulit. Sic perijt vir ea tempestate clarissimus, & nepos Dionysij Portugalię Regis, extra matrimonium tamen.

Regina

Regina mater à filio alienata, proceribus Taurum vocatis, ciuitatem tradidit. Tandem extimuit Rex ne vniuersa Hispania deficeret, tanto exemplo commota. Ergo comitibus Hinistrosa, & Samuele Iudęo ærario prefecto, Taurum repetijt, matrique se commisit. Sic pax ad tempus breue composita, & Regiæ officia mutata proceribus coniuratis data. Sed erat ignominia sic Regem, tanquam amissa libertate, in libera custodia teneri, & ab illis obseruari. Quod ille non tulit diu. Simulata venatione Segobiam se proripit. Proceres diuersâ abierunt. Henricus cum Regina Tauri substitit. Omnia in Castella plena tumultu, arma vndique circumstrepere. Rex Medinam Campestrem obsidere, habito prius Burgis Regni conuentu, aut potius habita nobilitatis laniena. Henricus, & Fridericus Toletum armati venere Iudæorum ibi edita strages. Rex, antequam federati vires confirmarent, accurrit, qui in ciuitatem admissus fratres fugauit, quibus saluti fuit celeritas. Multi è nobilitate, & è plebe crudeliter necati. In his non tacendum pietatis, & crudelitatis exemplum singulare. *Regina filio auersa.* *Castella tumult.*

Puer duodecim annorum pietate mirabili pro patre se velle mori Regi renuntiat, (& erat aurifex pater,) Accepit conditionem sæuus Rex, & pro patre, gratissima diuis victima inimitabili exemplo, puer cadit. O puerum meliori sęculo, & nobiliori fortuna, conditioneque dignum. Et ô in Rege detestandũ crudelitatis spectaculum! Taurus deinde obsessa vbi Regina mater, & Henricus cum copiarum robore erant. Incolę cuiusdam proditione ciuitas in potestatem venit, Henrico prius in Astures elapso; Sæuitum in ciues, matre coram sæuitia exanimata. Quæ paulo post, impetrato commeatu, in Lusitaniam abijt, non sine suspicione substratæ pudicitiæ Martino Tellio Lusitano, & ob id fratris Regis iussu veneno sublata: quę omnia ad annum 1356. *Pueri pietas mira, & inaudita Regis crudelitas.* *1356.*

DE BELLO ARAGONIO.

CAPVT XVIII.

BELLVM opinione magnum inter cognatas nationes, Aragoniam inter, & Castellam exarsit. Causa leuis, sed *inter animos alijs de Rebus exulceratos, quæcumque oblata, grauis esse videtur.* Mali ministri Principibus irritandis causa præcipua. *Vtilitas, auaritiaque priuata semper causam communem perdiderunt.* Petrus Rex Hispali recreationis ergo scapha maritimas captabat auras, & thynnorum piscatione forte delectabatur. Erant prope quædam triremes in anchoris. Appulerat, Aragonia classis. Præfectus, prædæ attentus, Genuenses suspicatus, cum quibus Aragonio bellum erat, cepit, incenditque, vidente Petro Rege. Qui feritate solita, interpretatus iniuriam, misso feciale, res repetere, communes querelas exponere: Aragoniam perfugis receptaculum esse, & alia multa obijcere, quibus bello fomes, & materies quæsita. Datum ab Aragonio mite responsum. Fæcialis tamen (vt in mandatis habebat) bellum denuntiat. Obtestatur Aragonius diuinum numen, iniustam belli causam quæsitam, at iniurias se depulsurum respondit. Sed hac via Henrico Castellę Regnum destinatum erat, qui renuntiata de more patria, sese Aragonio sociauit, à quo præcipuus belli dux declaratus, oppida, quæ Ferdinandi Aragonij fuerant, accepit, cum valida manu aduersus fratrem dimicaturus.

Alfonsus Lusitan° moritur. Siciliæ status.

Ventum ad arma, & bellum gestum est varia fortuna, nullo memorabili euentu. Quo tempore Alfonsus Rex Lusitanus obijt, Petro successore. Quo etiam præcipua Siciliæ pars armis Ludouici Neapolitani occupata; Fridericus cognomento Simplex, qui ante duos annos Ludouico fratri successerat, Catanæ spe satis ægra, Regium nomen tuebatur. Eleonoræ sorori Aragonię Reginæ,

ginæ, ſuis viribus diffiſus, Siciliam, Athenas, Neopatriamque donare, publiciſque tabulis, inſtrumentiſque de ea re ad Aragoniam miſſis, illius armis Regiam maieſtatem in Sicilia ſaluam eſſe voluit.

Interim Artalis Alauonę virtute Miſtretæ Comitis Siculæ res ſteterunt. Petrus tunc, Caſtellaque interdicto ſubiecta à Pontificis legato, quòd ſequeſtram pacem ab illo compoſitam ſeruare noluiſſet. Ambo Reges animis irritatis, (heu pudor) ad auxilia Maurica reſpexerunt. Sequutę Principum cędes à ſæuiente Petro. *Principũ cædes.* Fridericus frater D. Iacobi Magiſter capite plexus, quòd ad Aragonios deficere cogitauerit. Feſtinatum in Aſtures, vt alterius fratris Tellij ſanguine impias cruentaret manus. Præuenit Tellius, & fuga ſe in Aragoniam proripuit, opportunèque fratri, Aragonioque adiunxit. Pro eo tamẽ altera victima crudelitati ſuppoſita. Ioannes Aragonius fugato Tellio Principatum Viſcaię importune petere, & aſſerre promiſſum. Rex vitam pro Principatu donare potuit, maluit tamen eripere. Sunt qui dicant Regis ipſius manu cecidiſſe.

Ænea Magni dextra cadis!

Sæuitiæ fuit additamentum, proiectum cadauer per feneſtram in ſubiectam viam, & Burgos relatum, in fluuium præcipitatum. Parum erat in viuos, in mortuos quoque ſæuitum. Vbique videre erat procerum carnificinam. Sex eorum capita Burgos allata gratum Regi ſpectaculum. Eleonora Regina, Iſabella Ioannis interfecti vxor, cuſtodiæ traditę. Sic Rex mulieribus addictus in mulieres quoque ſæuiebat, vt quas effręni luxurie deperibat, impia crudelitate vexaret.

Anno 1359. miſſa à Pontifice legatio, ſed irrita, cùm ſuperbas Petrus conditiones propoſuiſſet, quas merito reiecit Aragonius. Comparata deinde vtrinque claſſis, ſ dinani conatu, cum ab vtraque parte iuſta pugna detrectaretur. Henricus tamen, & Tellius à fratre hoſtes iudicati ad Campos Arauianæ de Rege Caſtellæ victoriam retulere. Trecenti ceciderunt, in quibus multi *1359.*

nobiles cum ipso duce Hinistrosa. Hæc Petro clades ingentē incussit dolorem. Versa rabies in fęminas, & innocentes fratres, Populi incredibili inuidia. Ioannes octodecim annorum, Petrus quatuordecim, trucidati.

Petri crudelitas insatiabilis.

Petrus Osorius inter prandendum obtruncatus. Maldonatus Archidiaconus, quòd literas ab Henrico acceperat, necatus. Sacra, quam gerebat, Persona, sacrilegas manus prohibere debuit. Cum Rege Lusitano facta pax, traditis vtrimque perfugis, iure gentium violato. Inde nouæ cędis materies. Petrus Gusmanius Hispali cęsus. Ferdinādus Toletus Regię supellectili præfectus obtruncatus, quòd Regi salutaria monita dare fuerit ausus. *Periculosa bonis apud malos Principes vitæ probitas, & prudens admonitio; semper assentatio valuit.*

Samuelis Iudæi diuitiæ, & nex.

Samuel Leuites Iudæus, qui nostro damno, & suo malo in diuitias immensas creuerat, Regio ærario præfectus, eadem crudelitate fuit oppressus. Quadringenta aureorum millia, & infinita suppellex fisco addicta. Procerum inde ad Aragonios sequuta defectio, quod nihil tutum in Castella iudicaretur, in quod crudelitatis rabies non grassatura timeretur.

Bellum Mauricum imminens Reges ad pacem compulit; ne patrię vires, intestino bello fractę, ab externo hoste opprimerentur. Adnitente ergo Cardinali legato, pax, licet non satis firma, his conditionibus composita est. *Oppida bello capta restituuntor. Perfugis in Aragonia nullus locus esto.* Sic fratres Henricus, Telliusque in Gallias ad externa auxilia discessere. Erant Galli Petro irati, quos innocentis Reginæ Blancæ impuri Regis iussu nex ad vindictam armauerat. Regem ad necem scelera trahebant. Quam illi pastor quidam horrido vultu (spectrum existimatur) squalidus repentè apparens prædixit, vt fama tenuit. Assidoniæ Regina Blanca veneno sublata est, quo etiam Isabella Larę filia Cæsariani necata. Sed i Rex infelix, nam his manibus victima cades.

Blancæ nex.

GRANA-

GRANATENSIS REX OCCISVS.

CAPVT XIX.

HÆc ad annum 1361. gesta, quo Mariæ Padillæ obitus bonis omnibus leuamen aliquod fuerat, ni ægram pacem noua bella turbassent. 1361. Petrus Rex magnis copijs Granatenses fines inuaserat, & parum operæ pretio facto redierat Hispalim, cum Calatrauæ Magister ad Guadixium insignem cladem accepit. Parabat expugnare ciuitatem, à qua præsidiarij milites, qui se inscio, auxilio venerant, facta irruptione, palantes nostros, nihilque minus cogitantes, adoriuntur. Multitudini cessit virtus. Multi ex nostris desiderati, plures capti: in illis Calatrauę magister, ab Rege tamen Granatensi sine pretio dimissus. (Hoc blandimento ferocem Regem placare cupiebat.) Metũ Rex interpretatus, ferocior bellum repetiit, anno sequẽti. Discordia Maurica Petro opportuna victorię occasio erat, qui omni belli iniuria, oppida Granatẽsis tractus, agrosque vexare. Rex maiora mala timens, facta adeundi potestate, Petrum Regem conuenire. Quadringenti equites, pedites dimidiato numero sequebantur. Auri, argenti, pretiosæ vestis ingens vis. His donis Petri ferox, durusque animus poterat emolliri, & oratione, ad id cõposita, tigres, & leones, cicures reddere potuisset. *Et quem non moueat supplicis Regis oratio?* Vnus Petrus barbara feritate, simulata verò commiseratione, verba speciosa dare. A Garsia Toleto D. Iacobi Magistro lauto Rex hospitio exceptus est. Sed heu perfidia! *Perfidia Petri.* Cœnanti vincula iniecta. Paucos post dies cum triginta socijs, asino impositus, per ora ciuium traductus, ipsius Regis manu capite truncatus perijt. Addita cõtumeliosa verba. *I ad vmbras infelix, qui secreta cum Aragonio cõsilia in nostrũ caput inijsti*, (ea causa prætẽsa.) *Barbara Petri crudelitas.* Diuitias Mauri, quibuscum venerat exitio fuisse fama vulgauit. Certè

Certè tã insigne feritatis exemplũ, etsi nihil aliud ex taret, ad alienãdos animos abunde sufficeret. Quo vno facinore omnia continẽtur flagitia, quę natura duce omnes barbari detestantur. Profectò ego, cùm miserandi Regis lacrymas, & verba, quę fertur dixisse, considero, non possum non commoueri, & tam immane facinus execrari.

Odio deinde Henrici, qui Gallica sollicitabat arma, filios, filiasque Mariæ Padillę Regni successores declarare: insuper, & Ioannem, quem ex Ioanna Castria susceperat. Sed hęc ludibria Regni erant. Deinde cum equitibus decem millibus, & viginti millibus peditum in Aragoniam irruere. Oppida, qua vi, qua sponte capta non pauca. Vasconum Regem ad belli societatem attrahere, Angliæ, Portugalliæque Reges sollicitare. Ab his Aragonius fere oppressus erat, & arma ad interiora Regni penetrauarant, cum Henricus tribus millibus equitum à Gallia rebus desperatis affuit subsidio. Petrus diductis plurimis in præsidia, certamen detrectare, & inde bonis omnibus annitentibus actum de pace. Ex ea Ferdinando Aragonio nex illata à fratre. Idem Henricus timuit, ne Reges inter se causas belli decreuissent amputare, & suo capite sancire pacem. Beneficio Arellani Arcis Vncastelli præfecti, quo Reges Vasco, Aragoniusque conuenerant, insidias euasit. Et mirum est, hominem exterũ, Regis Vasconis cubicularium, fidem erga Henricum, tẽpore, quo inter propinquos, & cognatos rara fides erat, seruasse! Sed cęlum sublimiorq; vis hac via Hẽrico Regnum destinabat. Anno sequenti 1364. Reges Aragonius, Vascoque fędus inierunt. Affuit Henricus, compositis controuersijs, spe Regni concepta. Quod non perijsset in tanta rerum perturbatione, victoriam computabat.

Henrici periculũ

Petrus Per Murciam in Valentiam ingruerat. Omnia ferro, flammaque vastans, ciuitatẽ ipsam obsidione cinxerat. Affuit Aragonius, & hostem prouocauit. Petrus non fidere suis, & proditionem timere, certamẽ detrectare. Magna ex parte amissæ classis fama, firmatis in Aragonia oppidis pręsidio valido, Hispalim properè reuocauit.

uocauit. Eo tempore, pace inter Anglum, Gallumq; facta, magna vis militum, Henrici promissis, in Hispaniā attracta. Duodecim armatorum millia erant, quorum præcipui duces Bertrandus Clachinus Armoricus, Hugo Carbolaius Anglus. Qui Regis Aragonij hospitio, Principatuque inuitati, & allecti, contra Petrum arma expedierunt. ¶ Anno deinde 1366. Inter Henricum, & Aragonium fędus ictū. Henricus externis copijs succinctus Castellam inuadit. Venienti prima Calagurris portas aperuit. Ibi de ratione belli consultum. Placuit vt quamprimùm Henricus Regiū nomen vsurparet, authore Bertrando. Recusabat Henricus, sed omniū sententia vicit. Sic explicata vexilla, & Rex proclamatus. Duces deinde, Comitesque creati, & de alieno effusa liberalitas Regni maiestatem constituit. Prona Henrico erant omnia, Regis odio; sed ciuitates, ne illico dederentur, vna Petri crudelitas retardabat: nec tēpus vim afferēdi erat. 1366.

Petrus Regni conuentus habere ad belli subsidia, sed animos auersos sentiens locum dare tempori, & fugere statuit. Iter de more cruentum fuit, Ioanne Touario interfecto, Suero Episcopo Cōpostellano, Petro Decano Toletano obtruncatis. Sacrilegijs propitiando numini diuino se dabat. In ipsaque miseria, quā diuos placare potuit, irritabat. Intra paucos dies, omnia Henrico, Petro nulla parebant, Toletum restitit aliquandiu nomini Regio, quòd ab ea Regia vrbe nomē auspicari debuisset. Petrus dijs iratis à Lusitania repulsus, ius gentium, quòd ille sæpius violarat, ne violaretur, valuit. Qui se, thesaurosque Regios mari commisit, si mare forte acciperet, quem terra euomuerat. Sic breui sine sanguine Castella in Henricum concessit. Qui futurā belli tempestatem prouidens, Lusitanum, Granatensemque Reges sibi fędere conciliare. Duos exteros duces cum equitibus mille quingentis, cæteris dimissis, retinere. Burgis habito conuentu, in Ioannis filij verba iuratum, si quid Henrico humanitus contigisset. ¶ Petrus interea (vt erat ardenti ingenio) Anglicis auxilijs Hispaniam, Regnumque repetijt. Stetisset pro Henrico victoria, si tempus trahere, nō

Auxilia externa pro Henrico. 1366.

Hēricus Rex proclamatur.

prelio

Hëricus victus. prælio decernere maluisset. Victus Henricus Gallias repetijt. Magna pars nobilitatis capta, & in eam de more à Petro sęuitum, accusante, monenteque Vualiæ Principe, sed calamitate non erat remissa innata crudelitas Eapropter Angliæ Princeps Petro iratus, & quia promissa tardabant, domum abijt. Interim ab Henrico cũ Gallicis copijs Hispania repetita est, & sine sanguine Toletum vsque penetratũ. Ciuitatē Petri timor, quàm amor, ne dederetur, continebat. Accurrit Petrus. Maurorũ agmen, quod pro illo militabat, illi fuit exitio. Nam ad oppidũ Montielem cõmissa pugna, fugę initiũ à *Petrus. victus* Mauris, cędes inde sequuta, & quia Petro suspecta omnia, & infida, victus Montielē fuga tenuit. Oppidum circumsedit Henricus. Penuria rerum laborabatur. Petro euadendi spes omnis præclusa. ¶ Erat Sanabria vir nobilis. Et licèt Trastamarę natus, Petro tamē fidissimus. Hic Clachinum solicitat, pactis ducentis aureorũ millibus, vt Regem pateretur elabi. Negauit suæ fidei, famęque perfidiæ notam inuri. It, reditque Sanabria, instat, & ingentibus promissis Clachinum onerat. Petit ille tempus ad deliberandum. Re cum fidissimis communicata, Henricum de toto negotio certiorē facere placuit. Cõuentum, vt Clachinus spe fugæ Regem in tentorium secretò admitteret, in quo lateret Henricus Tragędiā peracturus. Venit Petrus cũ vno, aut altero comite ignotus. Quem vt Hēricus adspexit, primo quidem quodam stupore defixus ad tantę rei magnitudinem hęsit. O quid expectas (Clachinus ait?) En æmulus. Et Petrus magno animo. Ego, inquit, sum. Irruit Hēricus stricto pugione, & leui vulnere inflicto arctè sese brachijs astringunt, luctantesque ambo prostrati cadunt. Fama est, à Clachino Henricum adiutum præualuisse. Petrus ergo repetitis vulneribus confossus à fratre superiora fratricidia fratricidio compensauit, & tot innocentiũ sanguini, manibusque opima victima parentauit. *Vt Reges discant, neque Regno, neque opibus, tutam vnquam esse improbitatē.* Necatus est annos natus triginta quatuor, sepultus plebeio funere, nulla commiseratione.

Finis libri Quinti.

MA-

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII.

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ Anacephalæosis.

LIBER SEXTVS.

HENRICVS CASTELLÆ REX.

CAPVT PRIMVM.

INTERFECTO Petro, statim omnia Henrico cesserunt. Venere legationes variæ gratulatum, fausta omnia comprecantes, & à Regibus nouis Principibus officia solita. Noui Regni opes armis, & potentia confirmandę erant. Domi discordia componebatur, & foris magni belli formido

Nn immine-

imminebat. Multi ad Regnum tanquam ad prædam aduolare. Præcipui Ioannes Lecestriæ Dux Principis Vualiæ frater. Habebat Constantiam occisi Regis filiam in matrimonio. Idem Comes Cantabrigensium, quòd Isabellam alteram filiam duxerat. Rex Lusitanus Castellæ se Regem ferre Sanctij Regis pronepos. Sic multi de nouo Regno altercantes Henrico facilius confirmarunt. Omnis Henrici cura ad soluenda Clachino debita, pactaq; incubuit: homini extero, magno duci, & in cuius potestate (quod ipse palam dictitabat) Regni fuerat arbitrium. Et profecto si Petrus non tam superbus fuisset, & amens consilia salubriora respuisset, præoccupato Clachino, quod prudentiores suadebant, non regnaret Henricus. Clachino ergo, & multis alijs Regia liberalitate satisfactum, qua Regnum stabiliendum erat. Suauissimis enim moribus Petri crudelitati contrarius, tributa, quibus pacta liberaliter persoluit, exegit. Alijs oppidorum amplissima donatione, beneficia pensata. Ita vt inter Hispaniæ Reges, vulgo *Munifici*, & *liberalis* nomen tulerit. Clachinus inde ad noua nata bella inter Anglos, & Gallos reuocatus est. Lusitanus, qui populabundus in fines Castellæ irruperat, ab Henrico virtutis ostentatione repressus. Vasco tamen, & Aragonius mitigandi restabant. Omnia Regni mutatione, mutatione monetæ primùm suppleta. Adulterata Principio statum præsentem iuuit, futurum perdidit, rerum venalium aucto pretio.

Henrici gesta.

Moneta mutatio.

1370. Sequens annus 1370. contra Lusitanum fortuna varia consumptus: quo Tellius frater obijt. Fama est veneno sublatum, quòd à fratris authoritate defecisset. Viscaiæ Principatum Rex occupauit. ¶ Anno sequenti Carmona recuperata est, vbi Regia suppellex, thesauri, filij. Rex Lusitanus insanis Eleonoræ Menesiæ amoribus deditus, Alfonso Gusmanio Gibraleonis Regulo internuntio, cum Henrico pacem fecit his conditionibus. *Eleonora Henrici Lusitano nubito. Oppida hinc inde ablata restituuntor.* Nuptiæ caruerunt effectu,

ctu, quòd Rex Eleonoram Menesiam sibi matrimonio copulauit, pro concubina legitimo thoro iunctam, indignante Regno. Parum abfuit, quin Regni, capitisque discrimen adiret, quòd Regiam dignitatem impari matrimonio fœdauisset. At Rex potentior nuptias celebrare, & omnes ad officia Reginę præstanda compellere. Vnus frater Dionysius recusauit, tanta Regis ira, vt stricto pugione in eum irrueret, qui se per latebras fraterno furori subducens, ad Henrici Regis amicitiam vix euasit. Acunij quoque solum vertêre, quod authores tumultus extiterint, & quia nouę Reginę potentiam vel timere, vel vitare oportuerit. *Lusitani nuptiæ.*

Eo tempore Iudæorum, & Maurorum multitudo nostris confusa, habitu, vesteq; distingui iussa. ¶ Contra Anglos Regi Gallo auxilia missa propter superiora beneficia. Classis nostra, Bucanigra maris præfecto duce, de Anglicana insignem reportauit victoriam, Gallo Regi opportunam, celebratamque. Triginta sex naues superatæ, ad litus Rupellæ, quæ secundum hanc victoriam in potestatem venit. Viri nobilissimi cum ipso Classis duce capti nobiliorem fecere. Magnum auri pondus, pretiosæ vestis multum, argumenta magnę victoriæ, Burgos allatum, vbi Henricus tunc erat. Hęc ad annum 1372. *Iudæi, & Mauri habitu distincti.*

Sequens annus bello turbidus inter Lusitanum, & Henricum. Causa naues Castellæ à Lusitanis intercepta. Missi fęciales res amissas repetitum bellum denuntiarunt. Quod à Rege Henrico tanto victoriæ ardore gestum est, vt Vlissiponem vsque ferro penetraret; sed annitente legato Pontificis, composita inter eos pace, terrorem belli in Vascones conuertit: at eiusdem legati opera partibus satisfactum, sicut & Aragonio, depositis querelis, versa in religionem gente, Catalaunia terræ motu concussa, classe Aragonia fere submersa. Ex fœdere Eleonora Aragonia Ioanni Principi data. Dos dicta ducenta florenorum millia, quę Henricus principio belli ciuilis mutua ab Aragonio acceperat. Molina *Hispanorum de Anglis victoria. 1372.*

Castellæ Regi restituta. Octoginta centum florenorum millia Aragonio in belli sumptus certis pensionibus numeranda, pacta. Mutuis deinde nuptijs pax stabilita, magna vtriusque gentis lætitia, festisque diebus. Sic Reges studijs discrepantes, fessi tamen bello quieuerunt. Hæc ad annum 1376. Quo Henricus tanto Regno parto, confirmatoque clarissimus, optima pace florebat, cum anno 1379. Pontificum discordia turbato Christiano orbe, heu heu, quando pacis, Regnique noui fructum percipere debuit, migrauit è vita. Vixit sex, & quadraginta annos, Regnauit tredecim fortuna varia, inter optimos Principes annumerandus, qui tam prosperæ, quam aduersę casibus iactatus varijs, didicit dominari. Certe sibi, posterisque potentissimum fundasse Regnum videtur. Prętér libidinem cætera bonus. Oppida, quibus Clachinum pro nauata opera multis donauerat, ingenti summa redemit. Cum is amore patrię vendere, quam retinere in alieno Regno maluisset.

1376. *Henrici obitus.* *1379.*

Fama est Henricum à Rege Granatensi medicatis ocreis sublatum per Maurum, qui se Regis amicitiæ omni officio insinuarat, & illas affabrè factas inter alia dona perfidus obtulerat. Argumentum facinoris, ab illo die, quo sibi eas induxerat in morbum incidisse. Alijs ex neruorum dolore diem clausisse placet. Constat Granatensem Regem propter superiora merita, vehementer timuisse, ne Henricus pace composita in Mauros omnem belli molem conuerteret: & profecto à Maurica fide non leuis est suspicio. At ille eodem anno perijt Mahomad filio successore. Henricus in veste D. Dominici humari voluit. Erat enim erga illum ordinem impense affectus. Inde Hispaniæ Regibus mos in eligendis ex eo ordine Sacerdotibus, quibus conscientiæ prodant arcana.

Mos Hispan. Regibus in eligendo confessario.

IOAM-

IOANNES I. CASTELLÆ Rex.

CAPVT II.

A Paterno funere Ioannes Burgis Rex proclamatur, viginti vnum annum natus. Egregia indoles, oris dignitas, & magna bene gerendæ reipublicę spes inerat. Burgis propter sumptus, quos in Regia inauguratione fecerat, oppidum Pancoruum attributum. Classis comparata statim, & Galliæ Regi auxilio missa contra Monfortium ducem Marmoricum à Regio Senatu hostem iudicatum, quod Anglicis partibus fauisset. Gratum Gallo Regi auxilium Anglo terrorem iniecit, cuius armis Londinum vsque penetratum. Agri, villęque præcipuæ amænitatis incensæ, & omnia circa vastata. Ab his initijs Angli cum Lusitano Rege pace facta, & ab eo Castella promissa, victoriæ pręmium, ad quam Lecestriæ dux ius obtendisse memorauimus, arma in Hispaniam transtulerunt.

Anno 1382. Touarius Classis dux, cum sexdecim triremibus classem Lusitanam superauerat: viginti nauibus captis, cum magna Lusitanorum multitudine. Et profecto, secundum hanc victoriam, ni se Touarius Hispalim retulisset, imperio maris Anglicas copias prohibuisset, ne Lusitaniam tenerent. ¶ Simul ergo ab Anglis, & Lusitanis in Castellam irruptum. Erant magno studio Castellæ vires contractæ, milites superioribus bellis vincere assueti, duri, robustique. Partibus tamen, antequam ad pugnam ventum esset, salutare consilium subijt. Luctuosa victoria futura erat: primores studio pacis tenebantur: Anglos longinquæ militiæ tædere cæperat. Missis ergo caduceatoribus pax ita composita. *Beatrix Lusitana Ferdinando Castellæ Regis filio nubito, captæ nauali prælio naues,* 1382.

Pax. & pacta. *naues, & Lusitani captiui restituuntor, Angli Castellanis nauibus in patriam peruehuntor.* Sic magna illa belli tempestas dissipata est. Mortua paulo post Regina Castellę, ingenti Regis, Regnique męrore, rescissa priori conditione Rex Lusitanus Beatricem illi sociauit. Satius id esse quam puerum Ferdinandum ad maturam ætatem expectare. Qui etiam paulopost moritur, anno sequenti 1383. *1383.* Regnauit annos sexdecim, & menses nouem. Excepta domestica intemperantia, Rex clarus, sermone facundus, rerum ciuilium, quam belli peritus.

Eo tempore Dalmatius Rocaberti Aragoniæ classis præfectus Athenas, Neopatriamque, pulsis Vasconibus, occupauit ¶ Mortuo Ferdinãdo Lusitano, Ioannes Regnum ex fœdere cum Beatrice cernere: sed Lusitani externum Principem auersari. *Ferdinãdi Lusitani obitus* Plurimi Regem euocabant, & vt maturaret, monebant. *Et est in celeritate magna fœlicitatis pars.* Rex cunctando rem perdidit. Profectus inermis tandem exercitum sequi iubet. Vlissipon sacramentum Regis accepit, authore Ferdinando Regis Lusitani auunculo Comite Sintriæ. Ioannes at Rex non ita comis Lusitanis, ac Reges superiores, gentis animos alienare. Tumultuari cœptum, & aliquot cædes factę. *Ioannes Lusitaniæ Rex salutatus.* Cædis initium ab Andeiro Comite, quem cum Regina suspicio consuetudinis neci dedit. Auisij Magister cędis author. Erat enim propter insignes virtutes, omnibus ordinibus charus, dignusque quẽ Rex ex legitimo matrimonio procreasset, & nõ ex pellice genuisset. Paulatim ergo seditio creuit, & facta secessio Regem ad arma compulit. Omnes Auisij Magistrum respectare, qui moribus ad Regnum natis, nullo alio studio, iam pridem proceres, plebemque sibi conciliarat. *Auisij magister nothus.* Homo versuto, vafroque ingenio, qui primus Regni spe concepta, Regem inuitauit ad Regnum: & modo se, suaque pro republica deuouens in Regem maius seditionis excitauit incendium. Accessere Lusitani proceres Nunius Pereira prioris Hispitalarij filius coniurationis.

rationis princeps, ingenij præstantis vir, manu promptus, & qui post victoriam Brigantinorum Regulorum fuit origo, & alij multi. Pereire sententia Lusitanæ copię in Castellæ fines immissæ, tuendæ famæ, & opinionis ergo, opportunam rebus nouis victoriam reportarunt. Magna Castellanis confidentia, hostium contemptus, negligentiaque fuit exitio. Ad Pacem Augustam tumultuaria pugna pugnatum. Alcantaræ Magister cecidit. Ioannes Gusmanius Nieblę Regulus, Touarius Maris præfectus fuga se periculo subduxerunt. Magna clades, sed maior ignominia fuit. Quam victoriam tanquam libertatis prędudium ęstimauerunt Lusitani. Sic tanquam omine accepto ad eam tuendam vnanimiter conspirare. *Et quæ potest esse potentia valida aduersus concordes?* Ad nostram tamen pertinere videbatur disciplinam, vt Hispaniæ Regna ad Regiam extra matrimonium prolem respexissent, vt *Principes moniti quàm caduca, & fluxa hæc omnia condiscant, Regna quoque ad exteros transire, proprijs opibus priuari, & suis visceribus Caucasios vultures nostros Prometheos aluisse abundè nos superiora sæcula docuerunt.* Rex interea ex cõmuni ducum consilio Vlissiponem obsidere, & obsessa ciuitas à nostris: nostri tamen malis obsessi, dijs iratis, cælum, terra, mareque bellum superis displicere monstrarunt. Morbus in nostros pestilentię grassatus obsidionem soluere compulit, præsertim cùm Lusitana classis audacter per mediam nostram irrumpens, amissis tribus nauibus, ciuitati fame laboranti copiam inuexisset. Cùm ergo quotidie pestilentia sæuiret, & pacis conditiones omnes reijcerentur, ni Auisij Magistro vniuersi Regni procuratio crederetur, donec ex Beatrice Proles matura cresceret Regno, obsidio soluta est. Potuit Lusitanus miles nostras copias morbo afflictas delere, ni stupor, & admiratio mentes omnium occupasset, qui ad agendas Deo gratias conuersi templa diuûm votis, lacrymisque complerunt, dum se tot malis liberatos contemplantur, & vix credunt.

Brigãtinorũ Ducũ origo.

Lusitanorum victoria.

Nostrorũ clades

Eo

Eo tempore Aragonius Rex â filijs Ioanne, Martinoque alienatus erat. Nuptias Ioannis cum Violante Ioannis Bituricum filia festinatas contra patris voluntatem causam Rex querebatur. Odium tamen fuisse nouercale postea declarabitur.

Lusitani, & Angli Castel. vexant.

Anno deinde 1385. Magister Auisij Conimbricę Rex salutatur. Id contra Castellę vires pręsidium inuentum. Opus esse Rege, vt maior vetandi, aut iubendi authoritas esset. Et profecto in eo, & Regis, & strenui ducis eximię partes erant. Ioannes Castellæ Rex interea grauissimo decubuit morbo, in ipso belli ardore. Sic omnia Lusitanis Regnum stabilire videbantur. Vicitius gentis studium, vulgaris adulatio. Non defuerunt viri docti qui fieri posse firmarût. Additum paratis animis, vel fictum, aut verum oraculum Infantem in cunis Ioannem Regem ter proclamasse: Id nomen erat Auisij Magistro. Castellę copię diuersa Lusitaniam inuaserunt. Pars grauis præda à Lusitanis victa, & præda recuperata est. Ad Mirobrigam exercitus collati, & ibi de belli summa consultum. Ardentiores pugnam decernere, antequam nouum Regnum cōfirmaretur. Prudentiores diuturnitate nouum impetum debilitandum iudicare. Insuper expectandum Vasconem qui cum valida suorum manu properabat. Præceps consilium placuit. Et non semel à nostris in hac expeditione peccatum. Tanta fuit animi nostris fiducia, & hostium contemptus, vt sic ordines explicarentur. In medio agmine Castellæ Rex erat. Pręcipui proceres cornua curare iussi: ex omnibus copijs, cum selecta manu Gonsalius Gusmanus hostilem exercitum circundare, & à tergo stare, nequis ex Lusitanis elabi posset. Et certe si Deo irato inter cognatas acies non fuisset pugnatum, certa victoria erat. Vltro citroque pacis arbitri remeare, sed præter temporis iacturam nihil aliud. Castellani moræ impatientes, inclinata iam die, sine ordine, tanquam ad prędam, & victoriam certam in Lusitanorum ordines irruerunt. Resistunt fortiter Lusitani: sed primum agmen impetum non tulit,

tulit, terga vertit. Instant Castellani fugientibus, sed dum occasionem inferendi reliqua signa omittunt, putantes vno tantum agmine Lusitanos fudisse, se, victoriamque pariter perdiderunt. Nam Auisij Magister suorum fuga conspecta, fugientes grauissimis verbis increpitans, retinensque pugnam reparauit. Secundo ergo Lusitanorum agmine irrumpente, pugnę versa fortuna Castellanos quadam vecordia destituit attonitos. Nunquam Castella maiorem stragem est passa. Nobilissimi duces in ipsius Regis oculis trucidati aduerso corpore. Passimque milites tanquam oues, terrore Panico dementati, prostrati: Rex timens ne in hostium potestatem veniret, in paratum equum insiliens periculo se continēti fuga proripuit. Decem millia cecidisse memorantur. In his promptissimi quique. Reliqui noctis beneficio seruati, dilapsique. Tam luctuosæ stragis victoriam Lusitani ad hodiernam diem anniuersaria festiuitate, tanta lætitia concelebrant, vt vniuersa gens sese in Bacchanalia effundat, ingentibusque chachinis vecordiæ Castellanę illudat. *Prælium ad Aliubam rotā Lusitanorū victoria.*

Causas tantæ cladis afferunt scriptores nostri hostium contemptum, & exercitum sacrilegio pollutum. Nam è Guadalupensi templo, quidquid erat argenti, ablatum ad stipendia militaria fuerat. Aliter quî vincere potuere Lusitani subitarij milites, nullis bellis durati, tyronesque, Castellanos robustos, experientia militari doctos, periculis exercitatos, vincere assuetos, ni Deus scelerum vindex, vltorque sacrileg:j, robur, & animos faceret Lusitanis, quos Castellanis abstulerat? *Caueant Principes dicata semel Deo in profanos vsus conuertere, nam raro Ecclesiæ bona auferentibus profuerunt; & Ecclesijs extorta militiæ semper funesta fuere.* *Causæ cladis.*

Secundum hanc victoriam Lusitani homines ferocis ingenij, vt Regnum confirmarent, Castellæ fines vastare, & Ducem Leceſtriæ, missa in Angliam legatione, ad repetendam Castellam inuitare:

domandæ gentis optimam occasionem ne omitteret, adhortari. Arripuit Anglus opportuna promissa, & cum exercitu valido ad Calæcos appulsus iram belli in vicinas ciuitates effudit. Metus ingens erat, ne se Angli Lusitanis miscerent, & gens vtraque miseram Castellam omni destitutam auxilio communibus armis inuaderent. Missa legatio in Galliam in procerum conuentu Regni miserias exposuit, Gallorumque animos ad ferenda permouit auxilia. Anglorum metu, ne antiquo gentis odio, iterum ab Hispania in Gallias irruerent. Duce Borbonio missa duo millia equitum, & in stipendium centum aureorum millia; exiguum rebus afflictis leuamen. Habiti tota prouincia delectus, & iustus iam exercitus conuenerat: cùm diui Hispaniæ tutelares opportunius occurrerunt. Ingens pestilentiæ morbus in Anglorum exercitum grassatus tertiã copiarum partem absumpsit. Et semper Anglis Hispanica expeditio funesta fuit.

Lusitani, & Angli Castellã vexant.

Pestilentia in Anglorũ exercitu.

Viris deinde Sanctis, proceribusque annitentibus cęptum agi de pace. Negabat Anglus vllas fore conditiones, nisi tradito Regno. Palam hæc. Secretò tamen iniecta matrimonij spe inter Catarinam ducis Angli filiam, & Henricum Principem iuuentutis, ab armis discessurus videbatur. Hæc ad annum 1387. Quo Rex
1387. Vasconum Carolus 2. obijt. Vixit annos 55. Regnauit 37.

Reges Vasco Aragoniusque moriuntur.

Eodem anno Petrus Aragonius eo nomine 4. decessit. Vixit 75. Regnauit 42. Vasconi Regi successit filius eiusdem cognominis, Castellæ Regi comes assiduus, munificus, suauis, vnde cognomen illi Nobilis. Aragonio Petro cognomento ceremonioso successit Ioannes filius. Ab exteris militibus segnius bellum gerebatur. Castellæ Rex superiori calamitate prudentior trahendo bello, externas vires frangere; milites stipendiarij, quibus in temeritate lucrum, tantam prudentiam auersari. Luem, pestemque indies augeri. Quæ omnia ad pacem Anglum, ma-

matrimoniumque paciscendum perpulerunt. Sexcenta millia aureorum certis pensionibus numeranda erant, & annua quadraginta millia, summa eo tempore ingens. Sic pax cum Anglo composita irato Lusitano, qui superiori victoria elatus, nihil de aduersa fortuna cogitabat. A Castella prędas agere, vicinis oppidis molestus esse, modis omnibus Castellanis insultare. At confirmando Regno prudenter intentus sexennales inducias cum Rege Castellę fecit, restitutis hinc inde ablatis oppidis. Caracæ conuentu habito Rex se abdicare constituit. Negatum tamen. Et erat exemplum pessimum. *Pax cum Anglo.*

Ergo Rex rebus alijs constitutis, soluto conuentu Segobiam abijt. Quæ omnia sunt ad annum 1390. acta. Appetente deinde vere, Complutum venit, adeundæ Bethicę studio, quæ temporum licentia latrocinijs, & rapinis vexabatur. Compluti vero dum equorum in orbem, aut girum agitatione delectatur, qua quidam ex Africa Farfanes dicti pollebant, & dum eandem agitationem imitari conatur, in verbacto, loci iniquitate, circumducto equo, ab eo cadente excussus, terræ allisus, exanimatusque est, ætatis flore, trigissimo tertio anno, Regni vndecimo. *Rex Regno abire statuit.* 1390. *Ioannis obitus.*

In Aragonia res ad rebellionem spectabant, quòd Ioannes Rex, amissa Regni cura, Carrociæ fœminę, Poetis, voluptatibus, saltationibus, choręis, se totum dediderat. In Regni conuentu, annuente Rege æquis postulatis, vt erat ingenio miti, facilique, restricta hæc omnia, & temperata, sanataque coniuratio. Armorici milites magno numero, qui ductore Comite Armeniaco, in Ausetanos, Indigetesque prædandi studio se diffuderant, superati, & in Galliam repulsi. *Aragoniæ res.*

HENRICVS III. CASTELLÆ REX.

CAPVT III.

SEQVVNTVR Henricum tertium, cognomento Valetudinarium, nondum Regno idoneum, turbida tempora. Persequi omnia, & operosum, & inutile iudicaui. Rerum summa hæc est. Puero post varias altercationes, & conuentus, dati curatores, Beneuenti, Villenę, Trastamaræ Reguli: Archiepiscopi Toletanus, Compostéllanusque: D. Iacobi, & Calatrauæ Magistri: Quibus octo Regni procuratores adnumerati erant. Ab hac Oligarchia nata discordia, Præsulis Toletani, & quorumdam procerum ambitione. Dux Beneuentanus cæteris iratus in suam ditionem discessit, &cum Rege Lusitano de sanciendo fœdere secreta cõsilia inijt. Nõ minor à Mauris metus, qui & ipsi cõposita domestica discordia, magno numero in Murciæ fines inuaserant. Conflictabatur, lacerabaturque misera Castella his annis procerum contentione, quorum libidini Regia vectigalia seruiebant. Fœda vbique, & miserabilis Rerum facies. Sacris viris allata vis, Tenorio Toletano, & Petro Vxamensi Præsuli, Ioanni Fussulensi Abbati. Sentica, Salmantica, Palentia, vbi hæc admissa sacrilegia, sacro sunt interdicto subiecta. Rex ipse, & facinoris conscij anathemate percussi. Et certe his annis, omnia metu, perturbationeque plenæ fuerunt. Maurorum in Murciam incursus ab Alfonso Faxardo egregiè repressi magna clade, adeo vt Mauri viribus accissis vltro pacem obtulerint, & inducias orauerint. Ex hac parte metus sublatus debetur Faxardis. Quorum domus, & illustris familia ad res magnas nata, instituta, factaque videtur; Ea est *Marchionum de los Velez*, quibus Hispania plurimum debere necesse est fateatur.

Misera Castellæ facies.

Faxardorum mentio.

Rex Lusitanus viris vndique sanctis, proceribusque quibus

quibus reipublicę salus cordi erat, ad quindecim annorũ inducias pertractus. Sic Beneuentani arma, quamuis ægrè, deposita. Hæc ad annum 1394. Quo Rex Henricus perturbati Regni administrationem suscepit. Laus præcipua penes Compostellanum præsulem fuit, qui perturbationes magna diligentia composuit. Hic est Ioannes Manricus, illustri familia, sed magnis virtutibus illustrior. Pace firmata à Cantabris felix nauigatio suscepta (alias tentata) ad insulas Fortunatas. Pugna cum incolis inita, Rex, Reginaque, & centum septuaginta insulani capti. Ceræ copia, pelles caprinæ in Hispaniam aduectæ. Sic ad eas insulas Regno adijciendas animus adiectus. Rex initio Madriti coacto Regni conuentu multa statuit, & quibusdam ab eo animo exulcerato, palam approbantibus, secreto coquentibus iram. Rex inde nuptijs celebratis, fœdere superiori, cum Catarina, & frater Fedrinandus cum Eleonora Alburquerquia pulcherrima, ditissimaque fœmina læta omnia reddiderunt. 1394.

Henrici nuptiæ.

Hoc anno Martinus Barbuda Lusitanus, qui quòd Castellæ partes fuerat sequutus, Alcãtaræ magister creatus, homo ingenio præcipiti, à Ioanne Sago, sanctitatis opinione inductus, Maurorum potentiam temere prouocauit: quòd ei Sanctulus ille, aut potius homo furiosus, victorias inauditas fuerat pollicitus, si ad singulare certamen Maurorum Regem propter Religionem prouocaret. Credidit Magister vanus, & opinione Religionis multis seductis, in hosticum irruit. Vastat, & incendit omnia, sed ab obuio Mauro occissus, & fugati cæteri, temeritatis pœnas luerunt.

Alcantara Magistri temeritas.

Eodem anno Ioannes Aragonius Rex obijt in venatione, conspecta ingentis magnitudinis ceruа. Spectrum, aut malum genium fuisse, creditum. Successit Martinus frater, cum prole mascula Rex caruisset. Henricus toto Regno pace composita florere potuisset, si talem postea se Principem gessisset, qualem initio monstrauit. Ægra corporis valetudo, corporis macies, in becillem

Ioanis Aragonij obitus,

Henrici ægra valetudo. cillem ad tantam rerum sustinendam molem, rebusque gerendis ineptum reddidit. Sic reliquæ Henrici actiones obscuræ sunt, & nulla memoria dignæ. Reliqua, quæ gesta supersunt, hanc in summam redacta. Lusitani superiores inducias violare. Henrici valetudo propagandi Regni occasionem dedit genti feroci. Pax Augusta correptis repente armis occupata est. Inde in fines Castellæ irruptum, prædę abactę. Rodericus Daualus equitum magister, Didacus Mendocius maris pręfectus impetũ Lusitanorum fregerunt. Classis Castellę quinque longarum nauium septem Lusitanas omni bellico apparatu instructas superauit. Inde Lusitaniæ litora vastata. Homines quadringenti in mare pręcipitati. Crudele spectaculum. Sed sic erat ferocis gentis insolentia fręnanda. Sic semel, & iterum terra, marique Lusitanis versa fortuna, infestaque, gentem ad inducias compulit, & pax facta.

Castellanorum de Lusitanis naualis victoria.

Rex Granatæ Veneno necatur. Granatæ Rex Iuzephus à Marrocij Rege pulcherrima veste, sed pręsentaneo veneno imbuta, donatus, interemptus est. Mahomad filius minor armis Regnum occupat. Paulus Carthagena, cognomento Burgensis, eruditione clarus, dum S. Thomę Theologiam versat, abiurata Iudaica pertinacia, nostræ religioni nomen dedit. Qui cum opibus potentiaque valeret, in Regis gratiam admissus, Carthaginensem primò, mox Burgensem Episcopatum adeptus est. Huius filius Aluarus Garsias cum quibusdam Hispanię nobilibus sanguinem confudit. Hęc ad annum sæcularem 1400. gesta: cuius initio
1400. Tenorius Toletanus Præsul obijt, vir sempiterna memoria dignus, propter excellentes animi dotes, virtutesque singulares. Quo etiam ingens pestis in Hispaniam grassata multos mortalium absumpit.

Paulus Cartagena cõuersus.

Duobus annis sequentibus celebris fuit Henrici ad Tamberlanum legatio. (Tunc orbis ad eius gesta obstupuerat) Pelagius Sotomaior, & Fernãdus Palazuelos tam longinquam legationem susceperunt, prælioque illo memorabili interfuerunt, in quo Tamberlanus Baiacetum.

iacetum Turcarum Imperatorem, ducentis millibus trucidatis, superauit. Legati à Barbaro benigne habiti, atque liberaliter cum donis dimissi, oblata Henrico amicitia. Pacem Castellæ Rex Granatensis intempestiuè turbare, Aiamonte oppido ad Annæ fluuij ostium occupato. Annuum tributum pendere recusare, hac rebellione. Res repetitum feciales missi, Barbarus metum interpretatus irruptiones in Gienēses agros facere, prędas agere; metus, terrorque oppidis, & agris illatus. Petrus Manricus limiti prefectus, Didacus Benabidius, Martinus Rogius subitario milite, tumultuariaque pugna Mauris obuiam facti, Barbaris restiterunt. Ad Quesadam dimicatum, dubia victoria nox pugnam diremit. Nostri per agmina hostium perrumpentes in collem proximum euaserant, id argumentum hostes fuisse superiores, precipuè cum viri nobilissimi ceciderint, Martinus Rogius, Alfonsus Daualus, Garsias Osorius, Ioannes Ferrerius Marescalus. Hæc ad annum 1406. Rex Henricus ad vindicandas iniurias Toleti conuentum Regni agere, pecunias exigere, quibus tam copiosus exercitus aleretur, qui còmprimendis barbaris sufficeret. Interea Rex in morbum solito grauiorem incidit, quo paulo post extinctus est. Frater Ferdinandus Regis partes implere, centum myriades ad belli subsidia extorsit, cætera sine conuentu exacturus. Obijt Henricus anno 1407. mense Ianuario, viginti septem annos natus, sextodecimo Regni anno. Reliquit filios Ioannem successorem, Mariam, Catharinam. Toleti tumulo illatus totius Regni lacrymis, miserias futuras diuinantibus. Si vita superstes fuisset, infirma valetudine magni Regis ostentasset vires. Hoc exemplo saltem declarabitur.

Legatio Henrici ad Temberlanū.

Mauri rebellāt. 1406.

Henrici mors. 1407.

A coturnicum aucupio, quo delectabatur, redierat: comes erat opsonator. (Ea illo tempore Regum comitas, & facilitas. Vtinam semper.) Rex cænam apponi iubet. Nulla est, ait opsonator; Cur? Rex infit. Perdita nostra fides oppignerata, quod soluendo non simus. O Regis

O Regis prudentia miseriæ adiuncta, cum Regia vectigalia proceres dilapidarent! Abi, ait Rex, & hoc venatorium indumentum pro arietina carne arrhabonem dato, ea cum coturnicibus quas cepimus, cęnabitur. Factum ita. Ea nocte apud pręsulem Toletanum cænitabatur. Se enim Regni proceres per orbem inuitabant. Rex simulato habitu, cum eodem opsonatore domū Præsulis ingressus, quam abunde lauteque contemplatus conuiuiū, sermones quoque, quos cænę misceri mos est, audire. Inter eos, quantum quisque de Regijs vectigalibus consumeret, iactatum. Postera die Rex omnes illos accersit singulatim. Velle se, ait, graui morbo afflictum suprema dare mandata. Conuenere proceres. Rex, amotis arbitris armatus ad conuentū egreditur. Mirati rogant, quid causę armorum? Sedere iussos rogat ille. Quot Reges in Castella nostis? Hic duos, ille tres, senior quatuor, aut quinque respondit. Ego, inquit, Rex iunior plures quam viginti agnoui. Admirantibus verò responsi insolentiam subiecit. Vos omnes Reges estis, vestris tamen capitibus sanciam, ne Regia nostra authoritas vobis ludibrio sit, qui magna nostri nominis ignominia vectigalia Regia domum auertistis, lauteque cęnastis, cum ego impransus opipara vestra fercula contemplarer. Hæc ait, & signo dato armati milites circumsistunt. Procubuere omnes ad genua, trementesque veniam precari, se, suaque omnia in Regis potestate esse, passis manibus, oculis manantibus; sic Regium ærarium auctum, restitutis vectigalibus, quæ temporum licentia priuatis vtilitatibus seruiebant.

Henrici factum egregium

IOANNES II. CASTELLÆ REX.

CAPVT IV.

MORTVO Henrico, Ferdinando fratri Regni proceres Regnum obtulerunt. Graue videri Ioannem filium ad aptam Rebus gerendis ætatem expectare. Regnum sine rectore, in-

ſtar nauis varijs tempeſtatum procellis iactari. At Ferdinandus magno animo procerum petitione reiecta, Ioannem Regem dixit. Regnum oblatum vltrò reſpuit, ad quod multi, violato diuino, humanoque iure, per ignes, ferrumque viam ſibi aperiũt. Vir dignus ſempiterna memoria, & cui fata maiora Regna deſtinabãt. Ex teſtamẽto tamẽ fratris Regni ſuſcepit curas, pueri Regis educatione Reginæ matri permiſſa ¶ De bello Maurico actũ, quod magnis parabatur ſumptibus. Ferdinandus Hiſpalim abijt, & copias ad fines Mauricos conuenire iuſſit. Per Murciæ Regnum Ioannes Faxardus, & alij viri primi in fines irruperunt Mauricos. Quędam oppida capta, & obuia manus magna clade profligata. In Bethica Pruna oppidum, beneficio cuiuſdam Mauri, qui abiurata ſuperſtitione, noſtræ religioni nomen dederat, in poteſtatem venit. Ab Alfonſo Henrico maris Pręfecto magna parta victoria. Tredecim nauibus quinque & viginti Tunetanas deuicit: captis octo, alijs vel fugatis, vel ſubmerſis. Gienna bis à Rege Mauro centum peditum millibus, ſeptem equitum obſeſſa, ſed cum ignominia repulſus. Hiſpali cum omnibus copijs Ferdinandus mouit, quibus Zahara ciuitas expugnata. Pacti Mauri vitam, & res quas exportare poſſent, pręter arma, ciuitatem dediderunt. Varię noſtrorum manus Malacam vſque ſeſe populabũdę immittere. Sic hoc anno ſatis vindicata iniuria eſt. Sequenti 1408. Caracæ Regni conuentu de repetendo bello Maurico retractatum. Venere Mauri legati pacem orantes, quibus octimeſtres inducię ſunt conceſſæ.

Bellum Mauricum.

1408.

Venit ad conuentum Petrus Luna, qui antea Toletanus præſul fuerat renuntiatus, ſecumque Aluarum Lunam deduxit propinquum decem, & octo annorum natum. Huius pater Aluarus in Aragonia Cagneti, & Iuberæ Regulus, mater Maria Cagnetia notæ libidinis fœmina, cuius pudicitia non ſolum Aluaro Lunæ, ſed Cagneti præfecto, deinde cuidam opilioni, poſtea aratori ſubſtrata eſt, ab omnibus ſuſcepta prole. A tam

Aluari Lunæ natales.

humili principio Aluaro Lunæ adeò potentia creuit, vt ipsi Regi Ioanni, vniuersoque Regno formidabilis videretur. Principio Regi Ioanni datus pueritię comes: oris elegantia, eloquentia faceta, primam inter cubicularios gratiam promeruit. ¶ Ferdinandũ Principẽ apud Reginam inuidia laborare. Quòd Regni procuratione nimium opes auxisset, numerosa prole auctus. *Et semper nimia potentia suspecta Regibus est.* Ex vno matrimonio virilem prolem susceperat, Alfonsum, Ioannem, Henricum, Sanctium, Petrum, quos vulgus Aragoniæ infantes vocabat. Magister Alcantaræ Sanctius filius, Henricus D. Iacobi magister, creati, præter ætatem, Benedicto asserto in Schismate Pontifice legem ætatis soluente. Vnius hominis potentia ad vnam familiam Regni opes auerti. Et quid vltra præter Regnum videri restare? Hæc, & alia Reginæ auribus immurmurare ij, quibus Ferdinandi actiones ingratæ.

Infantes Aragonij qui.

Fridericus Trastamaræ Comes author Ferdinando erat, his omnibus vincula inijciendi: quod illi subodorati fuga se periculo subduxerunt. Hinc Reginæ tantorum destitutę prędisio nouæ suspiciones natæ. Hæc anno 1409. Quo Salmanticam inter & Mirobrigam D. Virginis signum est repertum, mira deuotione cultum, & vulgo Rupis Franciæ dicitur, miraculis, & Dominicani ordinis monasterio constructo fidelium votis frequentato satis illustre. Sequenti anno vterque Rex Martinus Aragonius, & Siculus decesserunt, sine legitima prole. Ferdinandum Castellę Principem à propinquitate ius ad Regnum trahebat. Id Martinus Aragonius adhuc viuens suasit. At Ferdinandus bello Maurico intentus Regni conuentus admonuit de successionis iure. Hoc satis illi videbatur admonuisse, missis legatis. Interim Vrgelitano Comiti Regni cura demãdata. Ferdinandus Archidonę obsidionem vrgebat, ad quam nostri illustrem de Mauris victoriam retulerunt, qui decem peditum millibus, equitum tribus millibus, & quingentis, Maurorum exercitum centum millium, pręter equitatum

1409. Rupis Franciæ. Duo Martini Reges mortui.

tatum, occisis quindecim millibus, fugarunt, ac dissiparunt. Vnde Mauris nata formido, ne amplius cum nostris iusto prelio pugnarent. Tercentum equites nostri qui temere in hosticum irruperant, à circumfusa, multitudine interempti. Hac elati victoria Mauri, his, qui aquatum modico presidio exire consueuerant, ad Gorzam amnem, insidias tetendere. Noster speculator ab Amantium Rupe fumo nostris dato signo eas aperuit. Qui correptis armis aduolant, pugnam ineunt, vincunt, fugant, fugientibus instant, & pro muris Archidonæ pugnam instaurantes peruincunt. Duo Maurorum millia ceciderunt, è nostris duo tantum desiderati. Sic clades compensata est.

Nostrorũ de Mauris victoria.

Et quoniam in Amantium Petram incidimus, non alienum causam nominis exponere. Captus quidam è nostris, (nomen, & patria non proditur,) apud herum gratia, & authoritate valuit. Accessit vrbanitas, solicitudo, dignitas oris, & alia à natura dona. Quę omnia heri filiam nubilem in captiui amorem incenderunt. Expositus est amor, & admissus libertatis amore. Puella se captiuo permittens fugam adornat. Pater fugientium vestigijs inhærens ad locum prædictum consequitur. Conspicientes patrem vitæ consulere: fuga nusquam. Ambo amantes in excelsam Rupem arrepserunt, inde in sequentes prouoluta saxa. Omnes adhortari deditionem, & vt patris clementiæ se darent, veniam sperantes. Perstant amantes. Sagittarij è proximo aduocantur. Amantes, vt omnem vitæ spem videre præcissam, vt ignominiam, & supplicium vitarent, mutuis complexibus se inuicem complicantes, ab excelsa Rupe præcipites sese dant. Sic ad obsidentes casum miserantes, lacerati, exanimesque peruenere. Secundum Pugnam ad Archidonam Antequera cum alijs oppidis expugnata est. Quibus Ferdinandus Princeps celebris apud omnes erat.

Amantiũ Petra vnde.

FERDINANDVS ARAGONIÆ Rex.

CAPVT V.

CVm res Aragoniæ in magno discrimine versarentur, ex omni gente, quæ Regi Aragoniæ parebat, iudices delecti, qui iure propinquitatis Regem sciscerent. Nouem iudices controuersiam disceptarunt. Quisque siue per se, siue per legatos, procerum studia ambire. Comes Vrgelitanus multorum animos alienauerat, quòd à crudelitate Regnum auspicari voluisset. Antonius Luna Garsiam Herediam Cæsaraugustanum præsulem Vrgelitano repugnantem compositis insidijs peremit. Inde res ad bellum ciuile spectare. Ex Gallia, & Castella militares copiæ se ostentare, & omnia turbari. Ingens fuit suscepta disputatio, & ex Iudicibus vnus erat S. Vincentius Ferrerius. Opinio sanctitatis ad seculares controuersias traxit: *& partium studia iniecta religione conquiescunt.* Die dicta pro tribunali iudices consederunt, in magnoque conuentu ipse S. Vincentius ad proceres, populumque magnam, feruidamque de more concionem habuit. Deinde iudicum sententia pronuntiata, & omnium audita silentio. Ferdinandus Rex iure propinquitatis declaratus. Ad Ferdinandi nomen omnium ordinum studia singulari plausu responderunt, qui Cōchę se tenebat spectator, quorsum comitia inclinarent, animo repetendi armis, quod iuri denegaretur. Sequutæ ab omnibus legationes. Celebrior Sigismundi nuper Imperatoris, cuius industria Pontificum dissidia fuerant sublata. Inde se Cæsaraugustam contulit, & Regni suscepit infulas. Affuerunt Candidati, & submiserunt fasces. Vnus Vrgelitanus, morbū causatus, adesse noluit. Erepti Regni iniuriam vulgus inter-

S. Vincētij Ferrerij celebritas.

Ferdinādus Rex.

interpretabatur. Noui Regis famam Sardica, Siculaque pax sequuta, & res Aragonię sub optimo Principe conquierunt. Quidni? si Castellæ Regno repudiato, Regna sine controuersia venirent? Motus procerum Vrgelitani Comitis studio excitati, qui armis Regnum repetere destinarat, Carcere comitis, & Antonij Lunæ fuga sedati. Comes in Castella retentus ad finem vitæ est. Hæc ad annum 1413.

Tribus sequentibus annis orbi Christiano pacando, Concilio ad Constantiam indicto, tribus Pontificibus abdicandis, ab Imperatore, Regibusque Christianis summa ope adhibita, Ecclesiæ patres, & Principum legati conuenerũt. Totus ergo Christianus orbis in vnum Martinum, huius nominis, V. in Concilio renuntiatum Pontificem, cõcessit. Anno 1417. Sed heu! Ferdinandus Rex immatura rebus morte decessit. Regnauit annos tres, menses nouem. Reliquit heredem Alfonsum natu maximum. Quo tempore, Regina Castellæ concedente, Fortunatarum insularum nauigatio repetita est, Ioanne Bentacurtio duce Gallo. Mortuo, Ioannes Menante successor propinquus expugnatis insulis abuti, vendere insulanos, iam factos Christianos, nullo respectu religionis. Petrus Barba sequutus cum classe à Regina insulanis presidium attulit. Eas auro redemptas Petro Perasę vendidit. Perasę propinqui eas ad Ferdinandum quintum Regem obtinuerunt.

1413. Conciliũ Constantiense.

1417. Ferdinãdus Rex moritur. Fortunatarum insularũ expugnatio.

Anno sequenti Catharina Regina obijt, & rerum magna sequuta mutatio. Ioannes Rex ætate minor ad Regni curam, quasi è tenebris erutus, procurante Toletano Præsule, cum Maria Regis Aragoniæ sorore, nuptias inijt. Toletanus alieno Regnare nomine, & omnia ad se animo trahere ambitioso. Dolere proceres, vnum sacerdotem, posthabita nobilitate, se tanquam Regem gerere. *Et videtur alienum à sacerdotali dignitate sese ad seculares curas abijcere. Nulla tamen lex, siue à republica, siue à Deo ipso, optimo, maximoque præcepta, ambitionem frenabit.*

1418. Ioannis nuptia.

Sequenti

Sequenti tamen anno Regi suasum ab iis, quibus Toletani potentia inuisa erat, vt integram Regni administrationem susciperet. Quatuordecim annorum ętatem Rebus gerendis idoneam probabant: & confirmabant exemplis. Qui Regni cura suscepta, Rebus gerendis sapientiores viros adhibuit. In his erāt ipse Toletanus, Maris præfectus, Magister equitum, Legionis Antelatus Petrus Manricus, Gutierrus Toletus, qui Regias dictaret tabulas, dolente Toletano pręsule, qui ad se pertinere disputabat. Affuerunt Aragonij fratres, Iuuenes magnæ potentiæ, & authoritatis. Præcipui Ioannes, & Henricus D. Iacobi Magister, qui iure propinquitatis, omnia ad se trahere conabantur, & quisque studia partium alere. *Infida etiam inter fratres potentia est.* Henrico Magister equitum Daualus, & Petrus Manricus. Ioanni Fridericus Trastamaræ, Toletanusque præsul faucbant. Itum Tordesillam, vbi Henricus D. Iacobi Magister Catharinę Principis nuptias ambiens, militari manu Regem in suam redegit potestatem, Ioanne Mendoza aulæ Magistro, alijsque proceribus captis, ablata insuper omnibus Regem adeundi, aut alloquendi potestate. Sed ea indignitas infimos, medios, magnosque permouit, vt Ioannem ad arma contra fratrem Henricum incitarent. Habebat Henricus tria equitum millia, par numerus ad fratrem Ioannem ad oppidum Olmedum conuenit. Henrici metu in conuentu procerum libera suffragia non erant, qui nuptias celebrauit, & dictados Villenę Principatus, ducis nomine. Aluaro Lunæ, pro nauata opera, Gormatium oppidum datum, Rege omnia concedente. Magisterium D. Iacobi, & cætera hæreditas Henrico, perpetuo stabilita. Sed hoc reipublicę vulnus postea sanatum.

Fratres Aragonij res turbant.

Contra Henrici Aragonium sententia.

Rex Ioannes interim venatum abiens, authore Aluaro Luna, fuga se ad Montalbanum proripuit. Indoluit Henricus consciētiæ metu, sed accessit facinori pręceps audacia. Contractis copijs Montalbanum obsidere, & Regis authoritati datum, ne ab Henrico expugnaretur;

ne

ne vim attulisse videretur. Fit Procerum concursus ad vindicandam iniuriam. Toletanus Præsul, Ioannes frater, Maris præfectus, & alij. Soluta obsidione, Aluaro Luna suadente, cuius Rex totus erat, in vlteriorem Castellam abijt, vbi studia synceriora erant. Disputatum interea, *omnia Henrico concessa vi extorta, libera non fuisse suffragia.* A disceptatione ventum ad arma. Henricus, cui audacia, quam prudentiora consilia placebant, oppida præsidio firmare, iussus copias dimittere, recusare. Propterea Regis edicto tanquam rebelli ablata omnia. At ille mille quingentis equitibus stipatus ad Regem se contulit. Regina Eleonora pro filio Henrico sollicita, Archiepiscopus Compostellanus, Lupus Mendoza illi suaserunt, vt ab armis discederet. Turpis exempli esse dictitantes, quod iure posset, armis extorquere velle. Sic ab armis discessum. Acti deinde generales conuentus Madriti. Alij simulatione, alij metu, alij spe noua concepta, conuenere proceres. Ergo dum primo mane Regem salutatum Henricus, & Garsias Manricus intrant, comprehensi ambo, & in vincula coniecti. Henricus Garsiæ Toleto Oropesæ Regulo custodiendus traditur. Productę deinde epistolæ de prodenda republica Regi Mauro scriptæ. Sed fama tenuit fuisse confictas. *Inuidia valida probatio est destitutis.*

Iudicium fuit atrox. Henrici, Garciçque bona publicata. Eadem sententia Daualum Magistrum equitum, Petrum Manricum comprehendit. Quorum ruina ędificia postea ruitura quoque sunt constructa. Aluarus Luna Dauali dignitati successit. Postea tamen Aragonio Rege pro fratre Henrico sollicito, Regeque Vasconum intercedente. (Trium enim gentium studia in id vehementer incubuerunt.) Henricus libertatem, & ablata bona consequutus est, resistente Aluaro Luna, alijsque, quibus formidabilis Aragoniæ fratrum potentia erat. Aluarus postea ab aula cogitur exulare, Aragoniæ fratribus infensus, alijsque vehementer iratus pro innata viri animi elatione: qui Regis amicitia fretus nobilita-

Aluari fortuna varia.

bilitatem omnem superbe tractaret. Inde ambo fratres Aragonij Ioannes, Henricusque in omnem euentum vnanimiter conspirare.

Petri Lunæ obitus Moritur interea Petrus Luna dictus Pontifex Benedictus, Peninsulę, vbi se loci munitione ad vitę finem tenuit, nonagenarius, quod mirandum est tandiu vitam produxisse, in tam magno rerum dissidio. Duo Cardinales qui in eius fide perstabant, collatis suffragijs Ægidium Munocium Canonicum Barcinonensem Pontificem dixerunt; (Ad eas sordes Pontificale schisma fuit abiectum) & Clementis nomine indito, intermorientes dissidij scintillas inani vento sufflarunt. *Antipapa Munozius.*

Ioannes Castellæ Rex in magno merore esse, Aluari Lunę absentia. De eo frequens Regi mentio, & licèt discessisset ab aula, ab illius tamen memoria nunquam discesserat. Et quia nihil antiquius, quam Regibus placere, proceres omnes, præter vnum Henricum, Aluari exulantis gratiam ambire, & de eo reuocando cęptum agitari. Moritur interea Daualus, prole quam vita felicior, qui magnis ducibus, Principibusque nobilis fuit origo. A magna potentia in extremam inopiā deiectū, cęteris deserentibus, vnus Aluarus Nunius Ferrerius Cordubensis nunquā destituit: quem venditis omnibus suis facultatibus aluit: qui & Ioannem Garsiam falsi in eum criminis conuictum ad necem persequutus, Daualū innoxium in exilium pulsum reuocandum curauit: conatus tamen mors anteuertit. Sic, ęmulo sublato, Aluarus cum magno splendore, ouanti similis in aulam reuocatus, Regis lętitia singulari, cuius anima quasi quodam philtro Aluaro deuincta erat. Hęc ad annum *Aluari Nunij fidelitas rara.*

1429. 1429. Quo Ægidius Munocius Pontificatu se abdicauit, Cardinales loco moti, & dissidio sublato, pax Ecclesiæ restituta. *Pax Ecclesiæ.*

BELLVM

BELLVM ARAGONICVM.

CAPVT VI.

QVIESCEBAT Hispania malis fessa, & procerum sublatis diffidijs, pax erat reddita rebus, cum reuocato Aluaro creuit audacia, & violentia maior. Quos beneuolentia sibi ad confirmandas opes deuincire debuit, eos è curia, Regiaque domo studuit amouere. In fratres Aragonios præcipui conatus fuere: sed maioris potentiæ, & authoritatis erant, quam vt ab Aluaro deijci, aut euerti potuissent. Henricum fratrem Aragonius Rex interim euocat, & secreta cum illo consilia habet: de inferendo Castellæ bello fuisse docuit euentus. Habiti in vtraque natione delectus, bellum apparatu magno, fortuna varia gestum. Æquis tandem conditionibus discessum ab armis, cum vtraque gens, paucorum inuidia bellum concitatum auersaretur, tanquam impium. Belli moles in Mauros conuersa est, quòd Rex Mahomad tributum annuum pendere recusasset. Vastatus Granatensis ager animo ciuitatis expugnandæ. Nostri infinitæ Maurorum multitudini circumfusæ ægrè resistere. Regis deinde præsentia, cuiusque virtutis arbitri, Mauri repulsi, fugatique, & cædendi finis nox fuit. Decem Maurorum millia cecidisse illa pugna proditur. Vastatis agris, multisque illatis damnis, Mauris nulla neque fœderis neque pacis mentio erat. Nostri firmatis præsidio locis, remigrare. Fama tenuit, Aluaro Luna Maurico auro corrupto, discessum.

Bellum Mauricū

Aluari insolentia.

1433.

Qui metu sublato, domesticas discordias alebat, coniectis in vincula Velasco, Ferdinando Toleto: Causa, quod Aragonijs fratribus fauissent. Hęc ad annum 1433.

Quo anno flamma ingens in Hispania visa magno spatio discurrens in tonitruum stupendum finita euanuit. In Aragonia, & Vasconia tam altæ niues è cælo delapsæ, vt ingentem animantibus stragem attulerit, & feræ omnes paratæ aut occidi, aut occidere in oppida irruerint. Sequuta Lusitani Regis mors, successore Eduardo. Regnauit annos 48. Vixit annos, 76. Regno posteris firmato. Hæc ad annum 1435. Quo in Hispania fœda hyeme, & ingenti fame laboratum. Continuis imbribus ædificia multa euersa, frumentariæ molæ quadraginta dies cessarunt. Cocto frumento sustentati multi periere mortales. Inde magna caritas, & sæua fames. Fluuij adeò inflati, vt Hispali ciues multi, conscensis nauibus, ab aquis in aquis salutem quæsiuerint. Non minor à Mauris, capta occasione, belli tempestas. Multæ datæ, & acceptæ clades, è nostris multi nobiles desiderati, Mauri oppida nonnulla amiserunt, clade compensata.

Lusitani Regis obitus.

1435. Ingens inundatio & fames.

Rex Aragonius & fratres capti.

Hoc tempore Regi Aragonio, fratribusque memorabilis illa contigit clades, de qua hæc. Regnum Neapolitanum, inter Aragonias, Gallicasque bellorum procellas agitatum, Ducis Andegauensis, Reginæque obitu, Aragonio Regi oblatum, armis occupandum erat. Philippus Mediolanensis dux cum Genuensibus defendere. Aragonius Rex cum fratribus, magna classe ad Regnum soluere. Placuit primum obsidere Caietam. Genuenses classem amicæ ciuitati mittunt, suppetias laturam, cui Blasium Asaretum præficiunt, qui ex infimo loco ad eum honorem peruenit, propter scientiam rei nauticæ, militaremque disciplinam. Venientem adoritur Aragonia classis. Ille misso caduceatore testari se cum animo pugnandi non venisse, sed vt amicæ ciuitati commeatum inueheret, orareque ne susceptum iter impedirent, si cædes tantorum virorum vitare mallent. Excepta cum risu inepta, & ridicula legatio est, & pugnæ signum propositum. Ab Aragonijs magno ardore principium pugnæ, & tanquam ad certam victoriam

qui

qui & profectò numero, & virtute vincebant. Genuensis tamen dux arte vicit. Tres naues à reliquis separatas, tanquam fugientes, longo circuitu, à tergo inpugnæ ardore iussas inuadere, amandat. Aragonij fugam interpretati sine ordine irruunt. Pugnabatur acriter, cum ecce à tergo tres illę naues inuectę classem Aragoniā dissipant. Fœda Aragonijs fuga, cędes, submersio. Philippo Duci absenti Rex se dedit cum omni nobilitate. Ingens captiuorum numerus fuit. Nulla naualis pugna nobilior. Reges duo Aragonius, & Vasco, & frater Henricus capti. Quid ageret Philippus Dux? Quis tam insperatę victoriæ vsus? Id diu consultatum. Honestior, & in paucis clarior, illustriorque sententia placuit. Omnes cum amplissimis donis liberaliter dimissi, hac tantum conditione, eosdem sine exceptione amicos, & inimicos fore. Ad annum 1436. hæc omnia prodigijs prænuntiata. Illud nobilius, Campanam Vilillæ nemine mouente, insolente sonitu, tunc, & postea magnos euentus in ea gente prædixisse. *Philippi ducis liberalitas* *1436.* *Campana Vililla.*

Philippus ea liberalitate ab se Genuenses alienauit. Communē victoriam priuato beneficio ad se traxisse. Inde Spinula duce rebellant, & receptis oppidis, pulso Mediolanensi præsidio, iugum excusserunt. Pace in Hispania firmata, totum se Aragonius occupando Neapolitano Regno dedit. Sequenti anno nobilis fuit Lusitanorum clades in Africa. *1437.*

Quinque Lusitani fratres amplificandi Regni cupidine, contra saniorem in concilio sententiam, copias in Africam transmiserunt. Tingis obsessa menstruam obsidionem magno animo tolerauit. Principes Mauri numero infinito accurrunt. Lusitanis numero paucis aduersus sexcenta millia nulla euadendi spes relicta. Ergo conclusi, & fere capti conditiones pacis offerre. Nullas admissuros respondere Mauri, ni Septa tradita tota cederent Africa. Accepta necessario grauis conditio, dummodo incolumes abire permitterentur. Dati obsides Ferdinandus ipse dux, & alij viri primarij: sicque de- *Lusitanorum clades in Africa.*

formibus Lusitania repetita. Disputatum in procerum conuentu de fœdere. Irritum probauere Rex, & proceres, tanquam sine authoritate publica factum. Retenta ergo Septa Ferdinandi perpetuo carcere. Sepulchrum in sublimi loco in ciuitate Phutensi monstratur.

Aragoniorum clades.

Sequitur anno sequenti altera non leuis clades Aragonijs ad Neapolim. Qui occupatis plurimis oppidis Neapolim Regni caput petere destinarant, quam cum obsedissent, muros speculaturus Petrus Princeps Regis frater, Iuuenis magni spiritus, & militari peritia clarus, à reliquis auulsus cum paucis processit. Tormento deinde (siue è muro, siue è ciuitate incertũ) percussus perijt. Nex Regi & vniuerso exercitui Inctuosa copias obsidionem soluere, & in hyberna discedere compulit.

Clades Castellanorum.

¶ Castellani quoque alterius cladis dolore perculsi, Roderico Perea Caforlę Antelato, cum mille, & quadringentis à Maurorum multitudine oppresso, cadente etiam Maurorum duce, cum magna suorum strage. Id acceptæ calamitatis leuamen.

CASTELLÆ MOTVS.

CAPVT VII.

NIMIA *potentia in priuato non potest esse diuturna. Et videtur orbi necessarius rerum orbis, & vicissitudo, cuius æterno motu voluũtur omnia. Quæ ima modò mox summa, quæ verò summa modò ima trahuntur.* Aluarus Luna hæc non animo reputare, Castellæ Regnum pro voluntate versare, & (vno verbo) alieno nomine ipse Regnare. Manricus Antelatus è custodia, qua iubente Aluaro tenebatur, elapsus procerum animos iamdiu inuidia exulceratos, ad euertendum Aluarum vehementer accendit. Ergo secessione facta de vindicando in libertatem Regno,

Regno, vnius hominis libidine oppresso, frequentes agitare consilia Duces præcipui coniurationis fratres Aragonij, Rex Vasco, & Henricus. Sic ea, quæ Aluari potentia in Castella amiserant, recuperare tentarunt. Arma, milites, equi, & alia bellis ciuilibus necessaria comparata, & omnes fere Regni proceres in partes attracti, preter paucos, quos Aluarus magnis beneficijs sibi deuinxerat.

Aluarus omnia turbat.

Coniurati oblato Regi supplici libello, communes Regni querelas exponunt. Paratos omnes imperata facere, dummodo ipse Regnaret. Vnum Aluarum publicam turbare pacem. Non passuros tantum Regni dedecus. Turpe videri omnem nobilitatem vnius hominis arbitrio subiectam. Hęc & alia: & res erat in armis posita. Viri sancti, & alij, quibus pax reipublicę curę, Regem ad ablegandum, per semestre spatium, Aluarum, & ad restituenda fratribus Aragonijs ablata, pertraxerunt. Hęc in Castella.

Coniuratio in Aluarum.

Eodem anno Lusitanis funesto, sæua grassante peste, qua multi mortales extincti, Rege ipso Eduardo eodem morbo sublato, Regni anno quinto, Alfonso filio sexenni hęrede: Nati in Lusitania motus, quod Eleonora Regina ex testamento Regis pueri tutelam sibi vindicare, Regnique gubernacula suscipere voluisset. Regni tamen administratio Duci Conimbricæ, dolente Regina, demandata est.

Lusitaniæ motus.

Castellæ motus non satis erant sanati superioribus conditionibus, imò Friderici Maris præfecti gratia apud Regem, quem illi discedens Aluarus commendarat, recruduerunt: Cum Rex nisi alieno imperio regnare nesciret. Sic noua omnia perturbauit ambitio: nouisque studijs in conuentu ab exilio Aluarus reuocatur, exilio factus insolentior, & lingua procacior. Princeps quoque Henricus alienus à patre nouam quasi secessionem instituere. Non Regem adire, nisi quibusdam amotis consiliarijs: Et certe miserrerat Castellæ status. At Princeps ęgre patri conciliatus parumper quieuit.

Moritur

FERDINANDVS ARAGONIÆ Rex.

CAPVT V.

CVm res Aragoniæ in magno discrimine versarentur, ex omni gente, quæ Regi Aragoniæ parebat, iudices delecti, qui iure propinquitatis Regem sciscerent. Nouem indices controuersiam disceptarunt. Quisque siue perse, siue per legatos, procerum studia ambire. Comes Vrgelitanus multorum animos alienauerat, quòd à crudelitate Regnum auspicari voluisset. Antonius Luna Garsiam Herediam Cæsaragustanum præsulem Vrgelitano repugnantem compositis insidijs peremit. Inde res ad bellum ciuile spectare. Ex Gallia, & Castella militares copiæ se ostentare, & omnia turbari. Ingens fuit suscepta disputatio, & ex Iudicibus vnus erat S. Vincentius Ferrerius. Opinio sanctitatis ad seculares controuersias traxit: *& partium studia inicctà religione conquiescunt.* Die dicta pro tribunali iudices consederunt, in magnoque conuentu ipse S. Vincentius ad proceres, populumque magnam, feruidamque de more concionem habuit. Deinde iudicum sententia pronuntiata, & omnium audita silentio. Ferdinandus Rex iure propinquitatis declaratus. Ad Ferdinandi nomen omnium ordinum studia singulari plausu responderunt, qui Cõchę se tenebat spectator, quorsum comitia inclinarent, animo repetendi armis, quod iuri denegaretur. Sequutæ ab omnibus legationes. Celebrior Sigismundi nuper Imperatoris, cuius industria Pontificum dissidia fuerant sublata. Inde se Cæsaragustam contulit, & Regni suscepit infulas. Affuerunt Candidati, & submiserunt fasces. Vnus Vrgelitanus, morbũ causatus, adesse noluit. Erepti Regni iniuriam vulgus inter-

S. Vincētij Ferrerij celebritas.

Ferdinãdus Rex.

interpretabatur. Noui Regis famam Sardica, Siculaque pax sequuta, & res Aragoniæ sub optimo Principe conquierunt. Quidni? si Castellæ Regno repudiato, Regna sine controuersia venirent? Motus procerum Vrgelitani Comitis studio excitati, qui armis Regnum repetere destinarat, Carcere comitis, & Antonij Lunæ fuga sedati. Comes in Castella retentus ad finem vitæ est. Hæc ad annum 1413.

Tribus sequentibus annis orbi Christiano pacando, Concilio ad Constantiam indicto, tribus Pontificibus abdicandis, ab Imperatore, Regibusque Christianis summa ope adhibita, Ecclesiæ patres, & Principum legati conuenerũt. Totus ergo Christianus orbis in vnum Martinum, huius nominis, V. in Concilio renuntiatum Pontificem, cõcessit. Anno 1417. Sed heu! Ferdinandus Rex immatura rebus morte decessit. Regnauit annos tres, menses nouem. Reliquit hæredem Alfonsum natu maximum. Quo tempore, Regina Castellæ concedente, Fortunatarum insularum nauigatio repetita est, Ioanne Bentacurtio duce Gallo. Mortuo, Ioannes Menante successor propinquus expugnatis insulis abuti, vendere insulanos, iam factos Christianos, nullo respectu religionis. Petrus Barba sequutus cum classe à Regina insulanis præsidium attulit. Eas auro redemptas Petro Perasæ vendidit. Perasæ propinqui eas ad Ferdinandum quintum Regem obtinuerunt.

1413. Concilium Constantiense.

1417. Ferdinãdus Rex moritur.

Fortunatarum insularum expugnatio.

Anno sequenti Catharina Regina obijt, & rerum magna sequuta mutatio. Ioannes Rex ætate minor ad Regni curam, quasi è tenebris erutus, procurante Toletano Præsule, cum Maria Regis Aragoniæ sorore, nuptias inijt. Toletanus alieno Regnare nomine, & omnia ad se animo trahere ambitioso. Dolere proceres, vnum sacerdotem, posthabita nobilitate, se tanquam Regem gerere. *Et videtur alienum à sacerdotali dignitate sese ad seculares curas abijcere. Nulla tamen lex, siue à republica, siue à Deo ipso, optimo, maximoque præcepta, ambitionem frenabit.*

1418.

Ioannis nuptiæ.

Sequenti

Sequenti tamen anno Regi suasum ab iis, quibus Toletani potentia inuisa erat, vt integram Regni administrationem susciperet. Quatuordecim annorum ętatem Rebus gerendis idoneam probabant: & confirmabant exemplis. Qui Regni cura suscepta, Rebus gerendis sapientiores viros adhibuit. In his erāt ipse Toletanus, Maris præfectus, Magister equitum, Legionis Antelatus Petrus Manricus, Gutierrus Toletus, qui Regias dictaret tabulas, dolente Toletano pręsule, qui ad se pertinere disputabat. Affuerunt Aragonij fratres, Iuuenes magnæ potentiæ, & authoritatis. Præcipui Ioannes, & Henricus D. Iacobi Magister, qui iure propinquitatis, omnia ad se trahere conabantur, & quisque studia partium alere. *Infida etiam inter fratres potentia est.* Henrico Magister equitum Daualus, & Petrus Manricus. Ioanni Fridericus Trastamaræ, Toletanusque præsul fauebant. Itum Tordesillam, vbi Henricus D. Iacobi Magister Catharinę Principis nuptias ambiens, militari manu Regem in suam redegit potestatem, Ioanne Mendoza aulæ Magistro, alijsque proceribus captis, ablata insuper omnibus Regem adeundi, aut alloquendi potestate. Sed ea indignitas infimos, medios, magnosque permouit, vt Ioannem ad arma contra fratrem Henricum incitarent. Habebat Henricus tria equitum millia, par numerus ad fratrem Ioannem ad oppidum Olmedum conuenit. Henrici metu in conuentu procerum libera suffragia non erant, qui nuptias celebrauit, & dicta dos Villenę Principatus, ducis nomine. Aluaro Lunæ, pro nauata opera, Gormatium oppidum datum, Rege omnia concedente. Magisterium D. Iacobi, & cætera hæreditas Henrico, perpetuo stabilita. Sed hoc reipublicę vulnus postea sanatum.

Fratres Aragonij res turbant.

Contra Henrici Aragonium sententia.

Rex Ioannes interim venatum abiens, authore Aluaro Luna, fuga se ad Montalbanum proripuit. Indoluit Henricus consciētiæ metu, sed accessit facinori pręceps audacia. Contractis copijs Montalbanum obsidere, & Regis authoritati datum, ne ab Henrico expugnaretur; ne

ne vim attulisse videretur. Fit Procerum concursus ad vindicandam iniuriam. Toletanus Præsul, Ioannes frater, Maris præfectus, & alij. Soluta obsidione, Aluaro Luna suadente, cuius Rex totus erat, in vlteriorem Castellam abijt, vbi studia synceriora erant. Disputatum interea, *omnia Henrico concessa vi extorta, libera non fuisse suffragia*. A disceptatione ventum ad arma. Henricus, cui audacia, quam prudentiora consilia placebant, oppida præsidio firmare, iussus copias dimittere, recusare. Propterea Regis edicto tanquam rebelli ablata omnia. At ille mille quingentis equitibus stipatus ad Regem se contulit. Regina Eleonora pro filio Henrico sollicita, Archiepiscopus Compostellanus, Lupus Mendoza illi suaserunt, vt ab armis discederet. Turpis exempli esse dictitantes, quod iure posset, armis extorquere velle. Sic ab armis discessum. Acti deinde generales conuentus Madriti. Alij simulatione, alij metu, alij spe noua concepta, conuenere proceres. Ergo dum primo mane Regem salutatum Henricus, & Garsias Manricus intrant, comprehensi ambo, & in vincula coniecti. Henricus Garsiæ Toleto Oropesæ Regulo custodiendus traditur. Productę deinde epistolæ de prodenda republica Regi Mauro scriptæ. Sed fama tenuit fuisse confictas. *Inuidia valida probatio est destitutis.*

Iudicium fuit artox. Henrici, Garcięque bona publicata. Eadem sententia Daualum Magistrum equitum, Petrum Manricum comprehendit. Quorum ruina ędificia postea ruitura quoque sunt constructa. Aluarus Luna Dauali dignitati successit. Postea tamen Aragonio Rege pro fratre Henrico sollicito, Regeque Vasconum intercedente. (Trium enim gentium studia in id vehementer incubuerunt.) Henricus libertatem, & ablata bona consequutus est, resistente Aluaro Luna, alijsque, quibus formidabilis Aragoniæ fratrum potentia erat. Aluarus postea ab aula cogitur exulare, Aragoniæ fratribus infensus, alijsque vehementer iratus pro innata viri animi elatione: qui Regis amicitia fretus nobilita- *Aluari fortuna varia.*

bilita.

bilitatem omnem superbe tractaret. Inde ambo fratres Aragonij Ioannes, Henricusque in omnem euentum vnanimiter conspirare.

Petri Lunæ obitus Moritur interea Petrus Luna dictus Pontifex Benedictus, Peninsulę, vbi se loci munitione ad vitę finem tenuit, nonagenarius, quod mirandum est tandiu vitam produxisse, in tam magno rerum dissidio. Duo Cardinales qui in eius fide perstabant, collatis suffragijs Ægidium Munocium Canonicum Barcinonensem Pontificem dixerunt; (Ad eas sordes Pontificale schisma fuit abiectum) & Clementis nomine indito, intermorientes dissidij scintillas inani vento sufflarunt. *Antipapa Munozius.*

Ioannes Castellæ Rex in magno mœrore esse, Aluari Lunę absentia. De eo frequens Regi mentio, & licèt discessisset ab aula, ab illius tamen memoria nunquam discesserat. Et quia nihil antiquius, quam Regibus placere, proceres omnes, præter vnum Henricum, Aluari exulantis gratiam ambire, & de eo reuocando cęptum agitari. Moritur interea Daualus, prole quam vita felicior, qui magnis ducibus, Principibusque nobilis fuit origo. A magna potentia in extremam inopiā deiectū, cęteris deserentibus, vnus Aluarus Nunius Ferrerius Cordubensis nunquā destituit: quem venditis omnibus suis facultatibus aluit: qui & Ioannem Garsiam falsi in eum criminis conuictum ad necem persequutus, Daualū innoxium in exilium pulsum reuocandum curauit: conatus tamen mors anteuertit. Sic, ęmulo sublato, Aluarus cum magno splendore, ouanti similis in aulam reuocatus, Regis lętitia singulari, cuius anima quasi quodam philtro Aluaro deuincta erat. Hęc ad annum 1429. Quo Ægidius Munocius Pontificatu se abdicauit, Cardinales loco moti, & dissidio sublato, pax Ecclesiæ restituta. *Aluari Nunij fidelitas rara.* *1429. Pax Ecclesiæ.*

BELLVM

BELLVM ARAGONICVM.

CAPVT VI.

QVIESCEBAT Hispania malis fessa, & procerum sublatis dissidijs, pax erat reddita rebus, cum reuocato Aluaro creuit audacia, & violentia maior. Quos beneuolentia sibi ad confirmandas opes deuincire debuit, eos è curia, Regiaque domo studuit amouere. In fratres Aragonios præcipui conatus fuere: sed maioris potentiæ, & authoritatis erant, quam vt ab Aluaro deijci, aut euerti potuissent. Henricum fratrem Aragonius Rex interim euocat, & secreta cum illo consilia habet: de inferendo Castellæ bello fuisse docuit euentus. Habiti in vtraque natione delectus, bellum apparatu magno, fortuna varia gestum. Æquis tandem conditionibus discessum ab armis, cum vtraque gens, paucorum inuidia bellum concitatum auersaretur, tanquam impium. Belli moles in Mauros conuersa est, quòd Rex Mahomad tributum annuum pendere recusasset. Vastatus Granatensis ager animo ciuitatis expugnandæ. Nostri infinitæ Maurorum multitudini circumfusæ ægrè resistere. Regis deinde præsentia, cuiusque virtutis arbitri, Mauri repulsi, fugatique, & cædendi finis nox fuit. Decem Maurorum millia cecidisse illa pugna proditur. Vastatis agris, multisque illatis damnis, Mauris nulla neque fœderis neque pacis mentio erat. Nostri firmatis præsidio locis, remigrare. Fama tenuit, Aluaro Luna Maurico auro corrupto, discessum.

Bellum Mauricũ.

Aluari insolentia.

1433.

Qui metu sublato, domesticas discordias alebat, coniectis in vincula Velasco, Ferdinando Toleto: Causa, quod Aragonijs fratribus fauissent. Hæc ad annum 1433.

qui & profecto numero, & virtute vincebant. Genuensis tamen dux arte vicit. Tres naues à reliquis separatas, tanquam fugientes, longo circuitu, à tergo inpugnæ ardore iussas inuadere, amandat. Aragonij fugam interpretati fine ordine irruunt. Pugnabatur acriter, cum ecce à tergo tres illę naues inuectę classem Aragoniã dissipant. Fœda Aragonijs fuga, cędes, submersio. Philippo Duci absenti Rex se dedit cum omni nobilitate. Ingens captiuorum numerus fuit. Nulla naualis pugna nobilior. Reges duo Aragonius, & Vasco, & frater Henricus capti. Quid ageret Philippus Dux? Quis tam insperatę victoriæ vsus? Id diu consultatum. Honestior, & in paucis clarior, illustriorque sententia placuit. Omnes cum amplissimis donis liberaliter dimissi, hac tantum conditione, eosdem sine exceptione amicos, & inimicos fore. Ad annum 1436. hæc omnia prodigijs prænuntiata. Illud nobilius, Campanam Vilillæ nemine mouente, insolente sonitu, tunc, & postea magnos euentus in ea gente prædixisse.

Philippi ducis liberalitas *1436.* *Campana Vililla.*

Philippus ea liberalitate ab se Genuenses alienauit. Communẽ victoriam priuato beneficio ad se traxisse. Inde Spinula duce rebellant, & receptis oppidis, pulso Mediolanensi præsidio, iugum excusserunt. Pace in Hispania firmata, totum se Aragonius occupando Neapolitano Regno dedit. Sequenti anno nobilis fuit Lusitanorum clades in Africa. 1437.

Quinque Lusitani fratres amplificandi Regni cupidine, contra saniorem in concilio sententiam, copias in Africam transmiserunt. Tingis obsessa menstruam obsidionem magno animo tolerauit. Principes Mauri numero infinito accurrunt. Lusitanis numero paucis aduersus sexcenta millia nulla euadendi spes relicta. Ergo conclusi, & fere capti conditiones pacis offerre. Nullas admissuros respondere Mauri, ni Septa tradita tota cederent Africa. Accepta necessario grauis conditio, dummodo incolumes abire permitterentur. Dati obsides Ferdinandus ipse dux, & alij viri primarij: sicque de-

Lusitanorum clades in Africa.

formibus Lusitania repetita. Disputatum in procerum conuentu de fœdere. Irritum probauere Rex, & proceres, tanquam sine authoritate publica factum. Retenta ergo Septa Ferdinandi perpetuo carcere. Sepulchrum in sublimi loco in ciuitate Phutensi monstratur.

Aragoniorum clades. Sequitur anno sequenti altera non leuis clades Aragonijs ad Neapolim. Qui occupatis plurimis oppidis Neapolim Regni caput petere destinarant, quam cum obsedissent, muros speculaturus Petrus Princeps Regis frater, Iuuenis magni spiritus, & militari peritia clarus, à reliquis auulsus cum paucis processit. Tormento deinde (siue è muro, siue è ciuitate incertū) percussus periJt. Nex Regi & vniuerso exercitui luctuosa copias obsidionem soluere, & in hyberna discedere compulit. ¶ Castellani quoque alterius cladis dolore perculsi, Roderico Perea *Clades Castellanorum.* Casorlę Antelato, cum mille, & quadringentis à Maurorum multitudine oppresso, cadente etiam Maurorum duce, cum magna suorum strage. Id acceptæ calamitatis leuamen.

CASTELLÆ MOTVS.

CAPVT VII.

NIMIA *potentia in priuato non potest esse diuturna. Et videtur orbi necessarius rerum orbis, & vicissitudo, cuius æthereo motu voluitur omnia. Quæ ima modò mox summa, quæ verò summa modò ima trahuntur.* Aluarus Luna hæc non animo reputare, Castellæ Regnum pro voluntate versare, & (vno verbo) alieno nomine ipse Regnare. Manricus Antelatus è custodia, qua iubente Aluaro tenebatur, elapsus procerum animos iamdiu inuidia exulceratos, ad euertendum Aluarum vehementer accendit. Ergo secessione facta de vindicando in libertatem Regno,

Regno, vnius hominis libidine oppresso, frequentes agitare consilia Duces præcipui coniurationis fratres Aragonij, Rex Vasco, & Henricus. Sic ea, quæ Aluari potentia in Castella amiserant, recuperate tentarunt. Arma, mulites, equi, & alia bellis ciuilibus necessaria comparata, & omnes fere Regni proceres in partes attracti, preter paucos, quos Aluarus magnis beneficijs sibi deuinxerat. *Aluarus omnia turbat.*

Coniurati oblato Regi supplici libello, communes Regni querelas exponunt. Paratos omnes imperata facere, dummodo ipse Regnaret. Vnum Aluarum publicam turbare pacem. Non passuros tantum Regni dedecus. Turpe videri omnem nobilitatem vnius hominis arbitrio subiectam. Hęc & alia: & res erat in armis posita. Viri sancti, & alij, quibus pax reipublicę curę, Regem ad ablegandum, per semestre spatium, Aluarum, & ad restituenda fratribus Aragonijs ablata, pertraxerunt. Hęc in Castella. *Coniuratio in Aluarum.*

Eodem anno Lusitanis funesto, sæua grassante peste, qua multi mortales extincti, Rege ipso Eduardo eodem morbo sublato, Regni anno quinto, Alfonso filio sexenni herede: Nati in Lusitania motus, quod Eleonora Regina ex testamento Regis pueri tutelam sibi vindicare, Regnique gubernacula suscipere voluisset. Regni tamen administratio Duci Conimbricæ, dolente Regina, des mandata est. *Lusitaniæ motus.*

Castellæ motus non satis erant sanati superioribus conditionibus, imò Friderici Maris præfecti gratia apud Regem, quem illi discedens Aluarus commendarat, recruduerunt: Cum Rex nisi alieno imperio regnare nesciret. Sic noua omnia perturbauit ambitio: nouisque studijs in conuentu ab exilio Aluarus reuocatur, exilio factus insolentior, & lingua procacior. Princeps quoque Henricus alienus à patre nouam quasi secessionem instituere. Non Regem adire, nisi quibusdam amotis consiliarijs: Et certe miserat Castellæ status. At Princeps ęgre patri conciliatus parumper quieuit.

Moritur

humili principio Aluaro Lunæ adeò potentia creuit, vt ipsi Regi Ioanni, vniuersoque Regno formidabilis videretur. Principio Regi Ioanni datus pueritię comes: oris elegantia, eloquentia faceta, primam inter cubicularios gratiam promeruit. ¶ Ferdinandũ Principẽ apud Reginam inuidia laborare. Quòd Regni procuratione nimium opes auxisset, numerosa prole auctus. *Et semper nimia potentia suspecta Regibus est.* Ex vno matrimonió virilem prolem susceperat, Alfonsum, Ioannem, Henricum, Sanctium, Petrum, quos vulgus Aragoniæ infantes vocabat. Magister Alcantaræ Sanctius filius, Henricus D. Iacobi magister, creati, præter ætatem, Benedicto asserto in Schismate Pontifice legem ætatis soluente. Vnius hominis potentia ad vnam familiam Regni opes auerti. Et quid vltra præter Regnum videri restare? Hæc, & alia Reginæ auribus immurmurare ij, quibus Ferdinandi actiones ingratæ.

Infantes Aragonij qui.

Fridericus Trastamaræ Comes author Ferdinando erat, his omnibus vincula inijciendi: quod illi subodorati fuga se periculo subduxerunt. Hinc Reginæ tantorum destitutę pręsidio nouæ suspiciones natæ. Hæc anno 1409. Quo Salmanticam inter & Mirobrigam D. Virginis signum est repertum, mira deuotione cultum, & vulgo Rupis Franciæ dicitur, miraculis, & Dominicani ordinis monasterio constructo fidelium votis frequentato satis illustre. Sequenti anno vterque Rex Martinus Aragonius, & Siculus decesserunt, sine legitima prole. Ferdinandum Castellę Principem à propinquitate ius ad Regnum trahebat. Id Martinus Aragonius adhuc viuens suasit. At Ferdinandus bello Maurico intentus Regni conuentus admonuit de successionis iure. Hoc satis illi videbatur admonuisse, missis legatis. Interim Vrgelitano Comiti Regni cura demãdata. Ferdinandus Archidonę obsidionem vrgebat, ad quam nostri illustrem de Mauris victoriam retulerunt, qui decem peditum millibus, equitum tribus millibus, & quingentis, Maurorum exercitum centum millium, pręter equitatum

1409. Rupis Franciæ. Duo Martini Reges mortui.

tatum, occisis quindecim millibus, fugarunt, ac dissiparunt. Vnde Mauris nata formido, ne amplius cum nostris iusto prælio pugnarent. Tercentum equites nostri qui temere in hosticum irruperant, à circumfusa multitudine interempti. Hac elati victoria Mauri, his, qui aquatum modico præsidio exire consueuerant, ad Gorzam amnem, insidias tetendere. Noster speculator ab Amantium Rupe fumo nostris dato signo eas aperuit. Qui correptis armis aduolant, pugnam ineunt, vincunt, fugant, fugientibus instant, & pro muris Archidonæ pugnam instaurantes peruincunt. Duo Maurorum millia ceciderunt, è nostris duo tantum desiderati. Sic clades compensata est.

Nostrorũ de Mauris victoria.

Et quoniam in Amantium Petram incidimus, non alienum causam nominis exponere. Captus quidam è nostris, (nomen, & patria non proditur,) apud herum gratia, & authoritate valuit. Accessit vrbanitas, solicitudo, dignitas oris, & alia à natura dona. Quę omnia heri filiam nubilem in captiui amorem incenderunt. Expositus est amor, & admissus libertatis amore. Puella se captiuo permittens fugam adornat. Pater fugientium vestigijs inhærens ad locum prædictum consequitur. Conspicientes patrem vitæ consulere: fuga nusquam. Ambo amantes in excelsam Rupem arrepserunt, inde in sequentes prouoluta saxa. Omnes adhortari deditionem, & vt patris clementiæ se darent, veniam sperantes. Perstant amantes. Sagittarij è proximo aduocantur. Amantes, vt omnem vitæ spem videre præcissam, vt ignominiam, & supplicium vitarent, mutuis complexibus se inuicem complicantes, ab excelsa Rupe præcipites sese dant. Sic ad obsidentes casum miserantes, lacerati, exanimesque peruenere. Secundum Pugnam ad Archidonam Antequera cum alijs oppidis expugnata est. Quibus Ferdinandus Princeps celebris apud omnes erat.

Amantiũ Petra vnde.

FERDINANDVS ARAGONIÆ Rex.

CAPVT V.

CVm res Aragoniæ in magno discrimine versarentur, ex omni gente, quæ Regi Aragoniæ parebat, iudices delecti, qui iure propinquitatis Regem sciscerent. Nouem iudices controuersiam disceptarunt. Quisque siue perse, siue per legatos, procerum studia ambire. Comes Vrgelitanus multorum animos alienauerat, quòd à crudelitate Regnum auspicari voluisset. Antonius Luna Garsiam Herediam Cæsaraguſtanum præsulem Vrgelitano repugnantem compositis insidijs peremit. Inde res ad bellum ciuile spectare. Ex Gallia, & Castella militares copiæ se ostentare, & omnia turbari. Ingens fuit suscepta disputatio, & ex Iudicibus vnus erat S. Vincentius Ferrerius. Opinio sanctitatis ad seculares controuersias traxit: *& partium studia iniecta religione conquiescunt.* Die dicta pro tribunali iudices consederunt, in magnoque conuentu ipse S. Vincentius ad proceres, populumque magnam, feruidamque de more concionem habuit. Deinde iudicum sententia pronuntiata, & omnium audita silentio. Ferdinandus Rex iure propinquitatis declaratus. Ad Ferdinandi nomen omnium ordinum studia singulari plausu responderunt, qui Cōchę se tenebat spectator, quorsum comitia inclinarent, animo repetendi armis, quod iuri denegaretur. Sequutæ ab omnibus legationes. Celebrior Sigismundi nuper Imperatoris, cuius industria Pontificum dissidia fuerant sublata. Inde se Cæsaraguſtam contulit, & Regni suscepit infulas. Affuerunt Candidati, & submiserunt fasces. Vnus Vrgelitanus, morbū causatus, adesse noluit. Erepti Regni iniuriam vulgus inter-

S. Vincētij Ferrerij celebritas.

Ferdinādus Rex.

interpretabatur. Noui Regis famam Sardica, Siculaque pax sequuta, & res Aragoniæ sub optimo Principe conquierunt. Quidni? si Castellæ Regno repudiato, Regna sine controuersia venirent? Motus procerum Vrgelitani Comitis studio excitati, qui armis Regnum repetere destinarat, Carcere comitis, & Antonij Lunæ fuga sedati. Comes in Castella retentus ad finem vitæ est. Hæc ad annum 1413.

Tribus sequentibus annis orbi Christiano pacando, Concilio ad Constantiam indicto, tribus Pontificibus abdicandis, ab Imperatore, Regibusque Christianis summa ope adhibita, Ecclesiæ patres, & Principum legati conuenerũt. Totus ergo Christianus orbis in vnum Martinum, huius nominis, V. in Concilio renuntiatum Pontificem, cõcessit. Anno 1417. Sed heu! Ferdinandus Rex immatura rebus morte decessit. Regnauit annos tres, menses nouem. Reliquit hæredem Alfonsum natu maximum. Quo tempore, Regina Castellæ concedente, Fortunatarum insularum nauigatio repetita est, Ioanne Bentacurtio duce Gallo. Mortuo, Ioannes Menautc successor propinquus expugnatis insulis abuti, vendere insulanos, iam factos Christianos, nullo respectu religionis. Petrus Barba sequutus cum classe à Regina insulanis præsidium attulit. Eas auro redemptas Petro Perasę vendidit. Perasę propinqui eas ad Ferdinandum quintum Regem obtinuerunt.

1413. Concilium Constantiense.

1417. Ferdinãdus Rex moritur.

Fortunatarum insularum expugnatio.

Anno sequenti Catharina Regina obijt, & rerum magna sequuta mutatio. Ioannes Rex ætate minor ad Regni curam, quasi è tenebris erutus, procurante Toletano Præsule, cum Maria Regis Aragoniæ sorore, nuptias inijt. Toletanus alieno Regnare nomine, & omnia ad se animo trahere ambitioso. Dolere proceres, vnum sacerdotem, posthabita nobilitate, se tanquam Regem gerere. *Et videtur alienum à sacerdotali dignitate sese ad seculares curas abijcere. Nulla tamen lex, siue à republica, siue à Deo ipso, optimo, maximoque præcepta, ambitionem frænabit.*

1418.

Ioannis nuptiæ.

Sequenti

Sequenti tamen anno Regi suasum ab iis, quibus Toletani potentia inuisa erat, vt integram Regni administrationem susciperet. Quatuordecim annorum ętatem Rebus gerendis idoneam probabant: & confirmabant exemplis. Qui Regni cura suscepta, Rebus gerendis sapientiores viros adhibuit. In his erāt ipse Toletanus, Maris præfectus, Magister equitum, Legionis Antelatus Petrus Manricus, Gutierrus Toletus, qui Regias dictaret tabulas, dolente Toletano pręsule, qui ad se pertinere disputabat. Affuerunt Aragonij fratres, Iuuenes magnæ potentiæ, & authoritatis. Præcipui Ioannes, & Henricus D. Iacobi Magister, qui iure propinquitatis, omnia ad se trahere conabantur, & quisque studia partium alere. *Infida etiam inter fratres potentia est.* Henrico Magister equitum Daualus, & Petrus Manricus. Ioanni Fridericus Trastamaræ, Toletanusque præsul fauebant. Itum Tordesillam, vbi Henricus D. Iacobi MagisterCatharinę Principis nuptias ambiens, militari manu Regem in suam redegit potestatem, Ioanne Mendoza aulæ Magistro, alijsque proceribus captis, ablata insuper omnibus Regem adeundi, aut alloquendi potestate. Sed ea indignitas infimos, medios, magnosque permouit, vt Ioannem ad arma contra fratrem Henricum incitarent. Habebat Henricus tria equitum millia, par numerus ad fratrem Ioannem ad oppidum Olmedum conuenit. Henrici metu in conuentu procerum libera suffragia non erant, qui nuptias celebrauit, & dictados Villenę Principatus, ducis nomine. Aluaro Lunæ, pro nauata opera, Gormatium oppidum datum, Rege omnia concedente. Magisterium D. Iacobi, & cætera hæreditas Henrico, perpetuo stabilita. Sed hoc reipublicę vulnus postea sanatum.

Fratres Aragonij res turbant.

Contra Henrici Aragonium sententia.

Rex Ioannes interim venatum abiens, authore Aluaro Luna, fuga se ad Montalbanum proripuit. Indoluit Henricus consciētiæ metu, sed accessit facinori pręceps audacia. Contractis copijs Montalbanum obsidere, & Regis authoritati datum, ne ab Henrico expugnaretur; ne

ne vim attulisse videretur. Fit Procerum concursus ad vindicandam iniuriam. Toletanus Præsul, Ioannes frater, Maris præfectus, & alij. Soluta obsidione, Aluaro Luna suadente, cuius Rex totus erat, in vlteriorem Castellam abijt, vbi studia synceriora erant. Disputatum interea, *omnia Henrico concessa vi extorta, libera non fuisse suffragia*. A disceptatione ventum ad arma. Henricus, cui audacia, quam prudentiora consilia placebant, oppida præsidio firmare, iussus copias dimittere, recusare. Propterea Regis edicto tanquam rebelli ablata omnia. At ille mille quingentis equitibus stipatus ad Regem se contulit. Regina Eleonora pro filio Henrico sollicita, Archiepiscopus Compostellanus, Lupus Mendoza illi suaserunt, vt ab armis discederet. Turpis exempli esse dictitantes, quod iure posset, armis extorquere velle. Sic ab armis discessum. Acti deinde generales conuentus Madriti. Alij simulatione, alij metu, alij spe noua concepta, conuenere proceres. Ergo dum primo mane Regem salutatum Henricus, & Garsias Manricus intrant, comprehensi ambo, & in vincula coniecti. Henricus Garsiæ Toleto Oropesæ Regulo custodiendus traditur. Productę deinde epistolæ de prodenda republica Regi Mauro scriptæ. Sed fama tenuit fuisse confictas. *Inuidia valida probatio est destitutis.*

Iudicium fuit atrox. Henrici, Garcięque bona publicata. Eadem sententia Daualum Magistrum equitum, Petrum Manricum comprehendit. Quorum ruina ędificia postea ruitura quoque sunt constructa. Aluarus Luna Dauali dignitati successit. Postea tamen Aragonio Rege pro fratre Henrico sollicito, Regeque Vasconum intercedente. (Trium enim gentium studia in id vehementer incubuerunt.) Henricus libertatem, & ablata bona consequutus est, resistente Aluaro Luna, alijsque, quibus formidabilis Aragoniæ fratrum potentia erat. Aluarus postea ab aula cogitur exulare, Aragoniæ fratribus infensus, alijsque vehementer iratus pro innata viri animi elatione: qui Regis amicitia fretus nobilita.

Aluari fortuna varia.

bilitatem omnem superbe tractaret. Inde ambo fratres Aragonij Ioannes, Henricusque in omnem euentum vnanimiter conspirare.

Petri Lunæ obitus

Moritur interea Petrus Luna dictus Pontifex Bedictus, Peninsulę, vbi se loci munitione ad vitę finem tenuit, nonagenarius, quod mirandum est tandiu vitam produxisse, in tam magno rerum dissidio. Duo Cardinales qui in eius fide perstabant, collatis suffragijs Ægidium Munocium Canonicum Barcinonensem Pontificem dixerunt; (Ad eas sordes Pontificale schisma fuit abiectum) & Clementis nomine indito, intermorientes dissidij scintillas inani vento sufflarunt.

Antipapa Munozius.

Ioannes Castellæ Rex in magno mœrore esse, Aluari Lunę absentia. De eo frequens Regi mentio, & licèt discessisset ab aula, ab illius tamen memoria nunquam discesserat. Et quia nihil antiquius, quam Regibus placere, proceres omnes, præter vnum Henricum, Aluari exulantis gratiam ambire, & de eo reuocando cęptum agitari. Moritur interea Daualus, prole quam vita felicior, qui magnis ducibus, Principibusque nobilis fuit origo. A magna potentia in extremam inopiā deiectū, ceteris deferentibus, vnus Aluarus Nunius Ferrerius Cordubensis nunquā destituit: quem venditis omnibus suis facultatibus aluit: qui & Ioannem Garsiam falsi in eum criminis conuictum ad necem persequutus, Daualū innoxium in exilium pulsum reuocandum curauit: conatus tamen mors anteuertit. Sic, ęmulo sublato, Aluarus cum magno splendore, quanti similis in aulam reuocatus, Regis lętitia singulari, cuius anima quasi quodam philtro Aluaro deuincta erat. Hęc ad annum

Aluari Nunij fidelitas rara.

1429. 1429. Quo Ægidius Munocius Pontificatu se abdicauit, Cardinales loco moti, & dissidio sublato, pax Ecclesiæ restituta.

Pax Ecclesiæ.

BELLVM

BELLVM ARAGONICVM.

CAPVT VI.

QVIESCEBAT Hispania malis fessa, & procerum sublatis dissidijs, pax erat reddita rebus, cum reuocato Aluaro creuit audacia, & violentia maior. Quos beneuolentia sibi ad confirmandas opes deuincire debuit, eos è curia, Regiaque domo studuit amouere. In fratres Aragonios præcipui conatus fuere: sed maioris potentiæ, & authoritatis erant, quam vt ab Aluaro deijci, aut euerti potuissent. Henricum fratrem Aragonius Rex interim euocat, & secreta cum illo consilia habet: de inferendo Castellæ bello fuisse docuit euentus. Habiti in vtraque natione delectus, bellum apparatu magno, fortuna varia gestum. Æquis tandem conditionibus discessum ab armis, cum vtraque gens, paucorum inuidia bellum concitatum auersaretur, tanquam impium. Belli moles in Mauros conuersa est, quòd Rex Mahomad tributum annuum pendere recusasset. Vastatus Granatensis ager animo ciuitatis expugnandæ. Nostri infinitæ Maurorum multitudini circumfusæ ægrè resistere. Regis deinde pręsentia, cuiusque virtutis arbitri, Mauri repulsi, fugatique, & cædendi finis nox fuit. Decem Maurorum millia cecidisse illa pugna proditur. Vastatis agris, multisque illatis damnis, Mauris nulla neque fœderis neque pacis mentio erat. Nostri firmatis præsidio locis, remigrare. Fama tenuit, Aluaro Luna Maurico auro corrupto, discessum.

Bellum Mauricū

Aluari insolentia.

1433.

Qui metu sublato, domesticas discordias alebat, coniectis in vincula Velasco, Ferdinando Toleto: Causa, quod Aragonijs fratribus fauissent. Hęc ad annum 1433.

qui & profectò numero, & virtute vincebant. Genuensis tamen dux arte vicit. Tres naues à reliquis separatas, tanquam fugientes, longo circuitu, à tergo in pugnæ ardore iussas inuadere, amandat. Aragonij fugam interpretati sine ordine irruunt. Pugnabatur acriter, cum ecce à tergo tres illę naues inuectę classem Aragoniã dissipant. Fœda Aragonijs fuga, cędes, submersio. Philippo Duci absenti Rex se dedit cum omni nobilitate. Ingens captiuorum numerus fuit. Nulla naualis pugna nobilior. Reges duo Aragonius, & Vasco, & frater Henricus capti. Quid ageret Philippus Dux? Quis tam insperatę victoriæ vsus? Id diu consultatum. Honestior, & in paucis clarior, illustriorque sententia placuit. Omnes cum amplissimis donis liberaliter dimissi, hac tantum conditione, eosdem sine exceptione amicos, & inimicos fore. Ad annum 1436. hæc omnia prodigijs prænuntiata. Illud nobilius, Campanam Vilillæ nemine mouente, insolente sonitu, tunc, & postea magnos euentus in ea gente prædixisse.

Philippi ducis liberalitas 1436. *Campana Vililla.*

Philippus ea liberalitate ab se Genuenses alienauit. Communẽ victoriam priuato beneficio ad se traxisse. Inde Spinula duce rebellant, & receptis oppidis, pulso Mediolanensi præsidio, iugum excusserunt. Pace in Hispania firmata, totum se Aragonius occupando Neapolitano Regno dedit. Sequenti anno nobilis fuit Lusitanorum clades in Africa. 1437.

Quinque Lusitani fratres amplificandi Regni cupidine, contra saniorem in concilio sententiam, copias in Africam transmiserunt. Tingis obsessa menstruam obsidionem magno animo tolerauit. Principes Mauri numero infinito accurrunt. Lusitanis numero paucis aduersus sexcenta millia nulla euadendi spes relicta. Ergo conclusi, & fere capti conditiones pacis offerre. Nullas admissuros respondere Mauri, ni Septa tradita tota cederent Africa. Accepta necessario grauis conditio, dummodo incolumes abire permitterentur. Dati obsides Ferdinandus ipse dux, & alij viri primarij: sicque de-

Lusitanorum clades in Africa.

formibus Lusitania repetita. Disputatum in procerum conuentu de fœdere. Irritum probauere Rex, & proceres, tanquam sine authoritate publica factum. Retenta ergo Septa Ferdinandi perpetuo carcere. Sepulchrum in sublimi loco in ciuitate Phutensi monstratur.

Aragoniorum clades. Sequitur anno sequenti altera non leuis clades Aragonijs ad Neapolim. Qui occupatis plurimis oppidis Neapolim Regni caput petere destinarant, quam cum obsedissent, muros speculaturus Petrus Princeps Regis frater, Iuuenis magni spiritus, & militari peritia clarus, à reliquis auulsus cum paucis processit. Tormento deinde (siue è muro, siue è ciuitate incertū) percussus perijt. Nex Regi & vniuerso exercitui luctuosa copias obsidionem soluere, & in hyberna discedere compulit. ¶ Castellani quoque alterius cladis dolore perculsi, Roderico Perea Casorlę Antelato, cum mille, & quadringentis à Maurorum multitudine oppresso, cadente etiam Maurorum duce, cum magna suorum strage. Id acceptæ calamitatis leuamen. *Clades Castellanorum.*

CASTELLÆ MOTVS.

CAPVT VII.

NImia *potentia in priuato non potest esse diuturna. Et videtur orbi necessarius rerum orbis, & vicissitudo, cuius æterno motu voluūtur omnia. Quæ ima modò mox summa, quæ verò summa modò ima trahuntur.* Aluarus Luna hæc non animo reputare, Castellæ Regnum pro voluntate versare, & (vno verbo) alieno nomine ipse Regnare. Manricus Antelatus è custodia, qua iubente Aluaro tenebatur, elapsus procerum animos iamdiu inuidia exulceratos, ad euertendum Aluarum vehementer accendit. Ergo secessione facta de vindicando in libertatem Regno,

Regno, vnius hominis libidine oppresso, frequentes agitare consilia Duces præcipui coniurationis fratres Aragonij, Rex Vasco, & Henricus. Sic ea, quæ Aluari potentia in Castella amiserant, recuperare tentarunt. Arma, milites, equi, & alia bellis ciuilibus necessaria comparata, & omnes fere Regni proceres in partes attracti, preter paucos, quos Aluarus magnis beneficijs sibi deuinxerat. *Aluarus omnia turbat.*

Coniurati oblato Regi supplici libello, communes Regni querelas exponunt. Paratos omnes imperata facere, dummodo ipse Regnaret. Vnum Aluarum publicam turbare pacem. Non passuros tantum Regni dedecus. Turpe videri omnem nobilitatem vnius hominis arbitrio subiectam. Hęc & alia: & res erat in armis posita. Viri sancti, & alij, quibus pax reipublicę curę, Regem ad ablegandum, per semestre spatium, Aluarum, & ad restituenda fratribus Aragonijs ablata, pertraxerunt. Hęc in Castella. *Coniuratio in Aluarum.*

Eodem anno Lusitanis funesto, sæua grassante peste, qua multi mortales extincti, Rege ipso Eduardo eodem morbo sublato, Regni anno quinto, Alfonso filio sexenni hęrede: Nati in Lusitania motus, quod Eleonora Regina ex testamento Regis pueri tutelam sibi vindicare, Regnique gubernacula suscipere voluisset. Regni tamen administratio Duci Conimbricæ, dolente Regina, demandata est. *Lusitaniæ motus.*

Castellæ motus non satis erant sanati superioribus conditionibus, imò Friderici Maris præfecti gratia apud Regem, quem illi discedens Aluarus commendarat, recruduerunt: Cum Rex nisi alieno imperio regnare nesciret. Sic noua omnia perturbauit ambitio: nouisque studijs in conuentu ab exilio Aluarus reuocatur, exilio factus insolentior, & lingua procacior. Princeps quoque Henricus alienus à patre nouam quasi secessionem instituere. Non Regem adire, nisi quibusdam amotis consiliarijs: Et certe miserebat Castellæ status. At Princeps ęgre patri conciliatus parumper quieuit.

Moritur

Blanca Regina Vasconũ obitus. Moritur interea Blanca Regina Vasconum, successore Carolo filio, qui viuente patre, à Regio nomine abstinuit, matre ita iubente. Coniurati Medinam Campestrem vbi Rex erat obsederunt, qui perfosso muro in oppidum irrupere, Regemque, qui se, suosque in periculo armauerat, non tanquam coniurati, sed tanquam supplices ad genua prouoluti, salutant, manus osculantur, factum excusant, omnia pro tuenda authoritate Regia pericula suscepta. Extorquent tanquam à capto, vt in Re iudicanda delecti iudices, quid Regno, Regique salutarius foret, decernerent. Hoc decretum ad Aluari damnationem præludium fuit, quod à sexennali exilio cœpit. Ea tamen Regis, & Aluari maior irritatio erat.

Neopolis capta ab Aragonijs. In Italia Aragonia arma prosperè volitare. Expugnata Auersa, vrbs Neapolis post longam obsidionem, & varias pugnas tandem in potestatem venit. Hæc ad annum 1442. ¶ In Castella nulla pax, Aluaro viuente,
1442. firma poterat esse, Rege socorde, ignauoque, cuius respublica voluptates, & venationes erant. Procul aberat Regni cura, quidue homines dicerent, nihil pensi habere. *Hæc præcipua causa malorum, cum Regni molestiæ, laboresque penes alios sunt, quorum inuidia sapissime laboratur, & Reges oneri ferendo humeros subtrahunt.* Sic Ioannes aliena semper voluntate regebatur, & regebat. Absente Aluaro, cui se totum addixerat, fratribus Aragonijs se totum dare. Vasco superbe alieno nomine regnare sublata Regi loquendi, quæ luberet, potestate. Notari vultus, & verba. Omnia ad Vasconem referri: Et quia maioris, quam Aluarus, erat authoritatis, maius inuidiæ excitatum incendium. *Nesciunt homines imperio moderatè vti.*

Henrico Principi suasum, non quieturos Aragonios fratres: ad Regnum Castellæ animos adijcere, pro vno Aluaro, multos tyrannos pati rempublicam. Oportere Regni proceres pro publica salute arma sociare, formidolosam esse potentiam tanta authoritate, & sanguinis propin-

propinquitate fundatam. Sic ad ciuile bellum proceres conuersi, reuocato Aluaro, contra fratres Aragonios ad oppidum Olmedum pugnarunt. Victi fratres Aragonij tumultuaria, quam iusta pugna magis, in Aragoniam abiere. Henricus, leui accepto vulnere, paulo post moritur. Medicata plagà extinctum fama vulgauit. Victoriæ præmium Aluaro D. Iacobi Magisterium fuit. Pacieco Villena. Hi augendi principatus studio nouos motus excitare: & certe summa Regis vecordia nulla sedandę discordiæ via reperiebatur.

Ciuiles discordiæ

Alfonso Pimentelio Duci Beneuentano, Ferdinando Toleto Albano, & alijs vincula iniecta, procerum animos vehementer exulcerarunt. Crimini datum, quòd de reuocando Vascone consilia inirent. Sic plerique ad Vasconem elapsi. ¶ In publico Regni conuentu sanandis malis proposita via: sed Aluarus omnia turbare. Vnus Valera Conchæ procurator, libertate concessa dicendi, eleganti oratione Regem ad clementiam, procesque vinculis exoluendos flexit; quorum multi iam è custodia euaserant: cum nulla tuta fides esset, & Aluari odio, licere omnia putaretur.

Valera ciuis Chōchensis libertas in dicendo.

Aluarus Ocaniæ relictus contra Aragonios redigendæ pecuniæ studio, cuius inopia laborabatur, Toleto tria aureorum millia imperare. Ciues ea re vehementer commoti, pro tuenda libertate arma capiunt, & imperata recusant. Qui in Aluarum incitati omnia fieri atrociter maluerunt, quam libertatis detrimenta pati. cędibus, & rapinis omnia adeò misceri, vt Rex, ne latius malum serperet, euocaretur. In eum è muro tormentis displosa plumbea glans cum verborum contumelia. Talia poma Regi mitti, qui Regnare neglexisset. Aut Aluarum tolleret, aut Principem Henricum Regem diceret, cui parerent. Henricus Princeps à patre alienatus, Toletum ingressus magno vulgi plausu, de rapinis, cædibus, & alijs in tumultu patratis iubet anquiri. Sontes capite puniti, & exemplo monstratum, non impunè in aliena bona grassari.

Tumultus Toletanus.

Rex

Rex Castellæ tandem tot malis fessus, & rempublicam vnius Aluari licentia perturbari cogitans, cum Regina, & alijs de opprimẽdo Aluaro consilia confetre. Comprehenditur Aluarus. In carcere sæuior, & lingua procacior, superbe meditari vindictam! Ea res animos omnium penitus alienauit, cum eius indomitos spiritus capitis periculum neque fregerit, neque saltem ad aliquid humani cogitandum deiecerit. E vinculis causam dicere iussus, Regis, & iudicum aures occlusas frustra pulsare. Patiebatur ea, quæ ipse prius alijs intulerat! *Cœlum terraque eos destituunt, quorum peccata peruenerunt ad summum.* Certe periculosę potentiæ ambitio in vno Aluaro damnata, cæteris exemplo fuit, *ne se priuati in Regum amicitiam plus æquo insinuent, nullo moderamine, prudentiaque.* Ita omnibus sæculis nobile præbitum exemplum. Funesto habitu, mulæ impositus publicè circunductus, voce pręconis inclamantis iudicum sententiam, ad locum supplicij perductus, capite truncatus interijt, spectante, & admirante vulgo, gladio subiectam ceruicem illius, cuius imperium multorum gulas fregisset. Summe diues in summa paupertate decessit. Triduo relictus truncus, omnibus formidabile spectaculum, pelui apposita colligendæ stipi, sepeliendo cadaueri. ¶ Cadahalsum vitaret, vnde illi exitium, à vate prius admonitus, Oppidum eiusdem nominis, tanquam ominosum, detestatus nunquam intrauit. Cæca hęc, sed certe locus, in quo sontes puniuntur, Hispana lingua Cadahalsum vocatur. Rex Thesauros, quos diu cõgesserat Aluarus, occupauit. *Regibus opimæ victimæ saginantur.* Sunt qui Aluari actiones rō ita carpant, & credo multa illi odio, & inuidia conficta. ¶ Morte Aluari Princeps Henricus patri recõciliatus est, Rex tamen annum Aluaro superuixit. Morbo decessit, sacris omnibus procuratus Vallisoleti. Alfonso filio nuper nato.

Aluari carcer. *Aluari Lunæ nex.* *Periculosa Regum amicitia.* *Misera Aluari fortuna.* *Horrendum spectaculũ.* *Cædis vaticiniũ.* *Ioannis 2. obitus.*

Lusitani interea nauigationibus annuis ad caput Bonæ spei; id est, promontorium Tormentosum, pene-

penetrarunt. Castellę Rex ea ægre ferre, & ad se pertinere disputabat, cum eum mors oppressit, Anno 1454. funesto Christiano orbi Constantinopolitano Imperio à Turcis euerso. ¶ Floruit hoc tẽpore Alfonsus Tostatus Episcopus Abulensis vir prodigiosæ memoriæ, & exquisitæ doctrinæ in omni disciplina, cuius scripta ad miraculum vsque prodita celebrantur, cum viginti annorum spatio tot volumina euulgauerit, quot vix centum annos scribens absoluat.

1454. Constantinopolis capta. Alfonsi Tostati memoria

HENRICVS IV. REX.

CAPVT VIII.

PATERNO funere procurato Henricus IV. Rex proclamatur. Notatur vulgo, crediturque ad matrimonij vsum ineptum Reginam Blancam repudiasse, quasi magicis incantationibus veneris vsum impedijsset. Certe fœdis moribus, legum contemptu, ita vehementer Regiam maiestatem diminuit, vt maius ciuile bellum nullum, nullaque turbulentiora tempora in Hispania extiterint, quam Henrici Regno. Primum Ioanna Regis Lusitani Alfonsi soror Blancæ repudiatæ loco successit, magna vtriusque gentis lętitia, concursuque eorum, qui ad bellum Granatense confluxerant, quod magna mole parabatur. Et certe incredebili celeritate Granatensem ad Malacam tractum excursum, & omni belli vexatum iniuria. Nostri milites tumultuari, proceres indignari, quòd Rex pugnandi copiam facere recusasset: additaque murmuri coniuratio, ardore pugnandi, quam Rex soluto eo anno bello delusit. Semel, iterum, tertioque repetitum bellum Mauros ad pacem, ingenti tributo imposito, compulit. Quo absoluto Rex Henricus apud exteros clarus esse cœpit,

Bellum Granatense.

1458. *Alfonsus Aragoni' moritur. Ioannes Aragoni' Rex.* Anno deinde 1458. Alfonsus Aragonius Rex Neapoli moritur, Ioanne fratre Vasconum Rege dicto, Neapolitano Regno Ferdinando filio notho relicto.

Henricus interea Rex amissa Regni cura, plebem sibi conciliare, proceres alienare, optimatibus plebeios opponere, Catarinę Sandoualiæ amoribus insanire. Quam infidam inuentam monasterio inclusit, astringendæ laxatę disciplinæ causa. Rideas à Regia pellice seuerioris religionis normam petitam. De amasio Alfonso Corduba sumptum supplicium. Substituta Guiomaris egregię formæ puella, & quæ cum Regina de pulchritudine certare ausa, eam Zelotypiæ œstro pupugerat. Irata Regina riualem pugnis contundere, & Rege conscio sequuta turpitudo maior: (si vera est fama, quam socordia Regis aluit.) Bertrandum Cuebam Regiæ magistrum à Regina ad consuetudinem admissum. Quidam in gratiam Ferdinandi, & Elisabethę conficta hęc arbitrantur. Profectò male fingitur Regium dedecus, præcipuè si Henricus tam pessimo exemplo impotentię dolorem solari voluisset. *Ostenta futuri ciuilis belli.* Certe futura mala ostenta non pauca portenderunt. Ad oppidum Penaluerem infantem triennem, ni homines pænitentia vitam mutarent, infausta omnia prędixisse. Segobiæ inter Regios leones sęua laniena, minoribus maiorem lacerantibus, omnium animos perculit; Regem à proceribus, Regnumque discerpi credita prænuntia hæc.

Proceres inde nullo Regis metu coire, coniurationis semina iacere, & bellum ciuile meditari. Diuinæ iræ auerruncandæ nuncupata vota, sacrificia decreta. Sed, quod præcipuum erat, & placando numini salutarius, prauę consuetudines, mores pessimi non mutati diuinam vltionem irritarunt. Et quod caput malorum est, ab illis acerbius, petulantiusque peccari, à quibus mitigandi supplicij cęlestis principiū esse debuit. Rodericus Luna Compostellanus Episcopus puellam ex media nuptiarum lætitia rapuit ad stuprum. Intolerandum scelus à concitata plebe, duce Ludouico Osorio, vindicatum.

Breuis

Breuis voluptas perpetua infamia, & exilio punita.

Interea Didaco Mendozæ, misso à Rege Galindo cum militari manu, Caraca oppidum, quod incerto iure possidebat, aufertur. Ea iniuria coniuratio maiores vires sumpsit. Manricorum familia, Fridericus Maris præfectus, Toletanus præsul, & alij multi sociati. Accessere iniuria irritati Mendozæ. Hæc ad annum 1460. Quo Rex Aragonius filium Vianę principem, qui patri antea rebellarat, & victus impetrauerat veniam, euocatum, osculoque pacis impresso, comprehensum in custodiam dedit. Magni deinde motus à Catalaunis excitati, & ventum ad arma, quibus Castellæ Rex sua quoque coniunxit. Aragonię Rex tanti belli tempestate permotus Principem Catalaunis permisit, qui dum Isabellę Regis Castellæ sororis nuptias ambit, in ipso apparatu Barcinone moritur, non sine veneni suspicione.

Coniurationis initia. 1460.

Carolus Vianæ moritur.

Sequitur annus 1462. quo Castellæ Regina filiam enixa est, magna Regis lætitia, cui Ioanna nomen inditũ, & Regni hęres dicta, in eiusque verba iuratũ. Vulgus fœdum spectaculum existimare, Reginam dici puellam furto genitam. Sic persuasum, sicque ciuile bellum ab eo principio exarsit. Catalauni interea Principis Vianæ interitu vehementer commoti, duce Hugone Rugerio, Comite Palasio, arma capiunt: Reginam nouercam, cuius odio Principem extinctum ferebatur, aggrediuntur. Gerundam, vbi se tenebat, vi capiunt, illa tamen arce se tandiu defendit, donec Gallico equitatu, quem Rex Aragonius, facto cum Gallo fœdere, euocarat, obsidio dissipata est: & Regis accursu victa seditiosa gens. Ex fœdere cum Gallorum Rege Blanca Regina, ad quam Regni Vasconum summa redibat, extincto Carolo Vianæ Principe, comprehẽsa veneno cogitur mori, Deum, hominesque obtestata. *Sed ius Regnandi causa violatur.*

1462. *Ioanna Principis natiuitas*

Blanca Regina veneno necatur.

BELLVM CIVILE.

CAPVT IX.

1463. ANNVS 1463. belli Ciuilis initium habet. Causa præcipua Regis vecordia, & vita Regno indigna, & Ioannę Principis conceptæ ex adulterio suspicio. Accessit Regis odiū in Toletanū Præsulem, & Marchionem Villenæ, qui conuenientes Cōplutum coniuratos euocarunt. Affuerunt Maris pręfectus, Manrici Reguli, Calatrauæ Magister, & alij. Ad fœdus Rex Aragonius pertractus. Regios fratres Alfonsum, & Isabellam idoneos ad fouendum Ciuile bellum arbitrati, coniurati tentarunt. Paciecus data fide Madritum rediens, dolis armatus alios proceres â Rege alienare. Segobiæ cum armata manu in Regiam irrumpere, pręfractis foribus ad Regem capiendum. Periculum Rex vitauit cum Bertrando in secretiorem, munitioremque partem se recipiens. Paciecum ferro vinciendum, plerique suadebant, sed Regem tanta vecordia ceperat, vt ne violaretur, publicam fidem daret, clementiæ velamine. ¶ Catalauni Petrum Lusitanum Regis fratrem, cum auxilijs Burgundionum contra Aragonium ducem creatum incitare. Rex Aragonius filium Ferdinandum bello gerendo præfecit, adhuc tredecim annorum, in quo tyrocinia deponeret futurus Rex magnus, sub cuius imperio, præter Lusitaniam, vniuersa Hispania conquietura erat. Exercitus Catalauniorum duplo maior pugnam detrectare, licèt armata stetisset acies dispositis ordinibus vtrinque. At tandem pugna commissa insignem Aragonij victoriam retulere. Petrus Lusitanus, posito paludamento, victoribus se miscuit, & sic ignotus periculum euasit. Incruenta victoria fuit Aragonijs, paucis vulneratis, Burgundionibus omnibus occisis, reliquis fugatis. Sic Vasconum

Villenæ Ducis audacia.

Aragoniorū victoria.

conum motus compositi, & Gastoni Fuxensi Comiti, Eleonoræque vxori Regnum Vasconum confirmatū.

Henricus magnis ciuilis belli procellis agitatus concordiam inter seditiosos quærere, cum ingens à coniuratis facinus peractum pudet referre, & propter insignem gentis ignominiam euulgare. *At Reges discant se homines esse, & persona detracta, in hac mundi fabula, nihil aliud forsan esse, quam homines delitijs affluētes, alta vulnera sub splendida purpura tegentes.* Prope Albulam in Campo, magno erectō suggestu, Henrici statua superposita Regio habitu. Conuenientibus Regni proceribus coniuratis, infinitaque populorum multudine, præcone contenta voce crimina inclamante, ingeminanteque cur è Regni fastigio deturbari meruisset, spoliata Regijs insignibus, deijcitur. Statim Alfonsus frater Rex salutatur, vexillis eius nomine explicatis. Eo facinore euulgato coniuratorum copiæ Vallisoletum, Regiæ Taurum conuenere. Multi prisca tempora repetere à simili causa Hispaniæ olim allatam perniciem, & Regnum euersum. Toletanum præsulem Hoppam acclamatum vbique. Cuius statua vnco per platæas tracta leue Henrici solamen, & de statua in statuam animaduersum.

Hēricus à Proceribus deponitur.

Magna rerū perturbatiō.

Castra Regia Vallisoletum promota oppidum expugnare non potuerūt, quòd milites quidam torpor occupauerat, sui Regis exēplo: ita vt tantis Rex copijs succinctus, (octoginta millia peditū, quatuordecim equitū sub signis habebat) colloquium, concordiam, pacemque expeteret. Ergo facta potestate, vtriusq; partis consensu, in agro à Villenæ Regulo Rex conuenitur. Placandis proceribus ingētia dona concessa: Copiæ ab vtraq; parte dimissæ. Alfonso ad fratrem redire conanti minæ intentatæ, periturum veneno, ni Regnare mallet. Suasum Regi, vt Isabella Princeps Magistro Alcantaræ nuberet, quo matrimonio concordia sanciebatur. Consensit Rex, Isabella tamen, cui Deus magnum destinabat Imperium in squalore, luctuque, tam fœdum coniugium auersari, Deumque,

Vecordia Regis.

Beatricis Bobadilæ virilis animus.

Deumque apprecari, vt tantum scelus auerteret. Beatrix Bobadilla cubiculo præfecta solari mœstam animo virili. Hac, ait, sica, (& sicam monstrauit occultam) Regium dedecus vindicabo, qua sponso audaci vitam, antequam thorum attingat, eripiam infelicem. At hæc superior vis anteuertit. Magnis itineribus Magister ad pactas nuptias festinare, & Castellæ Regnum tam sublimi matrimonio concipere, cum repentino morbo in ipso itinere oppressus, opportuna morte, magno metu Isabellam liberauit. Proceres contempta Regia authoritate operam suam venditare, extorquere quę luberet. Henricus abiecta maiestate, pacem, quam bellum malle. Inter ipsos proceres diuersę dignitates ambitiosè quęsitæ omnes pacis conditiones disturbabant.

Magistri Alcantaræ obitus

Pugna ad Olmedū.

Tandem ad oppidum Olmedum, inuito Rege, pugnatum. Insignis ea pugna fuit, dubia victoria. Rex prælio non interfuit, neque Villenę Regulus militaribus comitijs occupatus, quibus Magister D. Iacobi renuntiatus opibus, & potentia magis, quam liberis suffragijs. Eo tempore Eleonora Fuxensis pro fratre Aragonio vicaria res gerebat. E Gastonis filio nata Catarina, qua Regnum Vasconum ad Lobretos transijt, nobilissimam in Gallia familiam.

Henricus paulatim à suis destitutus, quasi mota mēte vagari, incertus quid ageret. Modo pax, bellū modo placere. Regis ludibrio accessit impudentis Reginæ scelus. Ad oppidum Alahegium, à quodam iuuene, in quem salax procaces oculos coniecerat, prægnans facta, superiorem suspicionem confirmauit, & procerum coniurationem accendit, quibus dirę Pontificiæ intentatę, sed reiectæ. Qui non pertinere ad Pontificem rempublicam ordinare, responderunt. Rex vagus cum paucis comitibus errare. Moritur interim Princeps Alfonsus, Proceres perculsi, & Pontificis quasi oraculo minitantis, fore, vt quando Pontificias diras non timerent, diuinum numen iniuriam vindicaturum immatura Principis morte, cuius vmbra ciuile bellum alebant. De morte varia fuit

Reginæ impudicitia.

Alfonsi Principis obitur.

fuit opinio. ¶ Catalaunij Aragoniorum odio Renato Andegauensi imperium obtulerunt, qui studio vindicandę iniuriæ in Aragonios, à quibus Regno Neapolitano fuerat deturbatus, incensus arma corripuit, & valido Gallorum exercitu armatus Barcinonē tenuit. Gestum ibi varia fortuna bellū. Semel victus Ferdinandus à Gallis, cui Rex iam septuagenario maior, & cęcus belli curā demandarat. Et in Ferdinando Regia vere indoles, prudentia bellica supra ætatem: qui Gallorum impetum diuturnitate languescere animaduertens, eorum ardorem patientia extinxit, & audaciam, quam superiori victoria conceperant, bello trahendo fregit. Ferdinandus à patre Rex Siciliæ dicitur interea, vt bello maior authoritas esset. Sic Gerunda Gallorum obsidione liberata paulo post.

Catalauni Barcinonē euocant Andegauensem.

Regi seni, cæcoque videndi facultas restituta prope miraculum. Abiabar Iudæus Illerdensis Astrologus, & medicus insignis acu albuginē oculis detersit. ¶ In Lusitania Ioanni Regis Lusitani filio Eleonora patruelis Ferdinandi Ducis Visei filia matrimonio copulata est. Huius Ferdinandi filius fuit Emanuel Rex Lusitaniæ, de cuius rebus gestis extant præclara Offorij commentaria latinè conscripta singulari eruditione. ¶ In Castella mortuo Alfonso Principe coniurati Regnum Isabellę obtulerunt. Renuit illa, & animo constanti respondit. Regnum Henrico restituerent, nam illo incolumi, nullo alio Rege Hispaniam quieturam. Admirati fœminæ prudentiam, & constantiam, digniorem eam imperio iudicantes, tot malis fessi, de pace cogitare cæperunt. Pręsertim cum alios Alfonsi mors ad Regem conuertisset, & aliorum studia refrixissent. Ergo obliuionis iniuriarum fœdus percussum. Ablati honores restituti, & Isabella Regni hæres dicta. Regina cum prole supposita in Lusitaniam amandata, quod illa fuga præoccupauit, è carcere elapsa, Ludouico Mendoza authore.

Visus à Iudæo Aragonio restitus.

Isabellæ constātia. Pax cum Henrico.

In agro Toletano metentibus segetes è manipulis

copiosus

Portentum. copiosus effluxit sanguis. Quod ostentum bellum prænuntiauit, quod Hispaniæ opes, vireſque vehementer attriuit. Villenius vt antea, magna apud Regem gratia, frementibus cæteris, iam regnare videri. Quapropter studia procerum in varias partes discissa, & ob Isabellæ Principis nuptias, alij Gallicum, alij Lusitanum, alij Aragonium matrimonium optare. Cæteris tamen Aragonius Ferdinandus, magno reipublicę bono prælatus est. Qui quamuis nouo Catalaunico bello occupatus, maturandum ratus, magnis itineribus, occultè cum paucis comitibus, Vallisoletum peruenit, nuptiasque festinatas peregit, suadente Præsule Toletano. Hęc ad annum 1470.

Isabellæ, & Ferdinandi nuptiæ. 1470.

Rex Henricus Hispali tunc erat, componendis Bethicis tumultibus districtus, cū literas de festinatis nuptijs accepit. Quibus vehementer commotus Segobiam festinauit. Ibi ab Isabella supplices allatę literę, quibus colloquium inter Reges petebatur. Sed ab irato Rege nullum aliud responsum legati retulerunt: quam de re tanta communi procerum conuentu statuendum videri. Et Henricus iam ad Ioannam, quam filiam asserebat, animum adiecerat. Legati à Rege Gallorum venere Ioannam fratri Bituricum Duci petitum. Annuit Henricus, & rescissis prioribus tabulis, quibus Isabella hęres nuncupabatur, Ioannam instituit. Sic Gallo pacta ingens inter Gallos Hispanosque bellum conflabatur, nisi numina tantam miserata cladis tempestatem imminentem auertissent.

Factiosis interea Regnum erat pręda, & miser Castellę status. Mauri etiam prędas agere, & finitimis infinita mala inferre. Solus Rex Lusitanus optima pace florebat, qui magno belli terrore Africæ iniecto, Arzillam expugnauit, Tingim cepit, & ingenti gloria parta in Lusitaniam remigrauit. Toletanus præsul præcipuus inter Isabellam Ferdinandumque matrimonij conciliator, incerta de causa ab eis alienatus perturbare omnia. Carolus Aquitanus nuptias Ioannæ ob incertos natales,

Lusitanorum in Africa victoria.

natales, ambiguamque dotem repudiare, & ad Burgundi filiam animum adjicere, quæ paulo post moritur. Henricus Rex Isabellę iratus, proceres omnes arma capere, & ad Ferdinandum expellendum omnes Regni vires conferre iubet. Sed mitior sententia placuit; & Toletanus præsul iterum in Ferdinandi partes transijt, magnum rebus Isabellæ momentum.

Inter Fuxensem Comitem moræ impatientem, & Regnandi libidine ęstuantem, & regem Aragoniæ pax composita hac conditione, *ut Aragonius, Regio nomine retento, Vasconum administrationem Fuxensi crederet.* Anno deinde 1474. Isabella fratri Henrico, industria Andręę Cabrerę reconciliata est: ipsa, Ferdinandus, Henricusque simul per vias Segobiæ vecti, & simul cęnati singulari lætitia populum affecerunt. Magister D. Iacobi Regi suasit, vt Ferdinando, Isabellæque manus, & vincula mijceret. Res tam periculosa non potuit esse occulta. Ferdinandus mature periculo se subtraxit. Isabella in arce tandiu se tenuit, donec, quorsum hæc euaderent, prospiceret. Sed morte Magistri hæc omnia euanuerunt. Ipse quoque Henricus laterum dolore moritur, anno ætatis 45. Regnauit annos 20. Rex nulla re, quam perpetua infelicitate nobilis. In quo vigor Henrici nothi, qui Regnum fundauerat, prorsus fuit extinctus.

1474. Isabella Henrico conciliatur. Ferdinandi periculum.

Henrici Regis mors.

FERDINANDVS, ET ISABELLA Reges Catholici.

CAPVT X.

VENIAMVS nunc ad felicissima Ferdinandi, & Isabellę tępora, qui tot miseriarū procellis dissipatis, afflictę Hispaniæ inter decumanos fluctus, & nubila tempora Dioscuri apparuerāt.

Quorum erit sempiterna memoria, rerumque gestarum gloriam nulla poterit vetustas abolere. Nam in Isabella virilem constantiam, prudentiam supra fœminam: in Ferdinando militarem disciplinam, perpetuam in armis fœlicitatem, animi magnitudinem, magnanimitatemque si laudandam suscepissem, non solum propositam breuitatem, sed magna volumina superarem. Henricus ergo nullum condidit testamentum. Ioannes Ouetus, qui ei à secretis erat, pauca excepit à moriente Rege, Curatores eorum, quæ mandauerat, Cardinalem Hispaniæ, Villenæque Marchionem designauit. Ioannam Regni hæredem rogatus dixit. Hęc noui occasio belli. Procerum studia distracta. Villenius operam vendirare, Toletanus præsul querens se Ferdinando, Isabellæque Regnum dedisse, alienatus. Lusitanus ab his, & alijs inuitatus, tanquam cum Ioanna legitimus hæres, Castellę Regem se dicere. Non tamen prius illi iuncta Ioanna, quam iure propinquitatis soluto. Ab vtraque parte arma, bellum, & omnia perturbata interea. Cabrera Segobię Regios thesauros Ferdinando concessit, quibus illi Regnum confirmauit. Moia illi Marchionatus titulo pro nauata opera præmium. Anno deinde 1476. Ioanna Regina Madriti moritur, & Lusitanus cum Ferdinando ad Taurum collatis signis pugnauit. Tumultuaria, quam iusta pugna dimicatum. Victoria penes Ferdinandum stetit, quamuis Lusitani dubiam contendant: integro seruato milite, qua Ioannes Lusitani Regis filius curabat. At Castellani Regia Castra, impedimentaque diripuerunt. Sic Lusitanus in Regnum repulsus, & procerum studia Ferdinando hæserunt, & ciuitates passim deditionem fecere. Lusitanus Castellę studijs destitutus ad arma Gallica respexit. A Gallo tamen pręter speciosa verba nihil extortum. Rex Aragonius cum Ferdinando filio ad Victoriã ciuitatem colloquutus, in eius amplexum ruit, lacrymisque toto ore manantibus, primum locum Ferdinando dedit, tanquam Regi superiori, gratias diuino numini referens, quòd Regnum, à quo ille

Lusitan' Castellæ Regem se dicit.

Cabrera factum & Moia marchionatus.

1467.

Rex Aragonius filio Regi Castellæ primum locũ dat.

ille fuerat depulsus, filio referuasset. Omnes fere hi anni in placandis Castellę, Vasconum que motibus consumpti: & à Rege, Reginaque vehementer laboratum. Villenę Marchio honestis conditionibus receptus in gratiam, Bethica pacata. Hispali Regina magna Hispaniæ lętitia filium Ioannem enixa, Magnorum Regnorum futurum hæredem, ni eum nobis fata inuidissent. ¶ Eodem tempere Sardinia cruento bello flagrabat, sed Aragonij Regis armis subacta, illius imperio tandem acquieuit. Toletanus pręsul homo ferocis ingenii, ad sanitatem redire nolebat, quòd vitæ suæ paratas insidias quereretur. Qui Lusitanum in Castellam attrahere conabatur, eo velamento, vt rebus prospiceret suis.

Ioannes Princeps natus.

Granatæ Rex magnis copijs in fines Murciæ incurrit. Ciezam oppidum incendit, & infinitam abegit prædam. Petrus Faxardus Murciæ Antelatus, correptis armis iniuriam vlturus, cum Maurum assequi non potuisset, eas vires ostendit, vt territus Barbarus legatos de pace ad Ferdinandum miserit. Quibus Rex, concessurum se ait inducias, repræsentato tributo, quod Reges Granatenses Castellę Regibus priùs soluerunt. Cui superbe Rex Barbarus. Reges illos iam pridem extinctos, modò Granatæ non cudi ad tributum monetam, sed gladios, sagittasque ad bellum conflari. At Ferdinandus animo maiora concipiens, tempori seruiendum ratus, concessit inducias. ¶ Eodem tẽpore magna contentione à Romano Pontifice Ferdinandus obtinuit, vt ij Episcopi Hispanis Ecclesijs præficerentur, quos ipse Rex nominasset. Sic hominibus exteris ad eas aditus occlusus. De magistratibus ordinum obtentum, vt Rex eos ad sedandas discordias, factionesque procerum, eas dignitates ambientium extirpandas, administraret. Instituté præterea populorum societates, qui in latrocinia, necesque anquirerent: quæ temporum licentia vehementer increuerat, & quod maius sacrum institutum tribunal, ad quod fidei desertores, Religionisque patriæ, plectendi traherentur. Nomen ab officio datum, In-

Regis Granatẽsis superbum Responsum.

Ferdinã di gesta praclara Nominatio Episcoporum. Magistratuum administratio. Tribunalia Inquisitionis.

quisitorum tribunal dictum. Cardinalis Hispaniæ tam salutaris consilij author ferebatur.

1479. Rex Aragonius moritur. Anno deinde 1479. Rex Aragonius octogenario maior moritur, & diuturnitate Regni, & rerum varietate mirandus: hæredem reliquit Ferdinandum filium, cuius nepotes prælatos voluit. Obijt etiam Eleonora Regina Vasconum, relicto hærede Francisco nepote, cui à venustate formæ Phœbus nomen: ætas vndecim annorum erat. Regni administratio penes Magdalenam matrem, & Petrum Cardinalem patruum. *Ioanna Princeps nata. Lusitani Regis obitus. 1480.* ¶ Ioanna Principe monasterio inclusa, bellum inter Castellam, & Lusitaniam, quasi sublata materia, honestis conditionibus, restinctū. Nouo gaudio Hispania Ioannę Principis natiuitate perfusa dies festos agere, tanquā illi, cui magna destinabantur imperia. Anno sequenti 1480. Rex Lusitanus obijt, Ioanne filio hærede, Rerum gestarum gloria, & animi magnitudine, cognomēto Magnus. Ferdinandus Rex, iam nouo Regno potentior, ad sanandos procerum animos, & expiādum Regnum tot latrocinijs, & perturbationibus imminutum. Henrici donationes vi extortas rescidit. Multa proceribus oppida ablata Regiæ coronæ restituta. Sic timeri cępit authoritas Regia his temporibus vilis. *Toletani præsulis Alfonsi Carrilli obitus. 1482.* Anno deinde 1482. Alfonsus Carrillus obijt Toletanus præsul, vir Magnus, ingenio viuido, bello gerendo instructo, & ad bella ciuilia alenda propenso. In cęnobio D. Francisci Compluti sepultus est ad aram maximam. Troili filij consequētibus annis, ad leuam coniunctum sepulchrum, incontinentiæ paternę fœda memoria. Postea Cardinalis Ximenij iussu inde amotum, & ad intima monasterij, vbi monachi conuentus habent, retrulerunt. *Cū plutē sis Ecclesiā Magistralis.* Complutensem Ecclesiam è Paręcia Collegiatam fecit, quæ postea Cardinalis Francisci magnificentia ita aucta, & amplificata est, vt inter orbis Collegiatas, Ecclesias pręcipuum locum obtineat, nonque Collegiata, sed Magistralis vocari debeat, quod multis placuit, inscribuntque non pauci: de hoc tamen aliàs egimus, anno 96. Moritur

etiam

etiam Franciſcus Fœbus Nauarrę Rex ætate florenti, Catharina hærede, ſororeque. *Franciſci Phœbi Nauarræ obit⁹.*

DE BELLO GRANATENSI.

CAPVT XI.

SEQVITVR nobiliſſimum, poſtremumque cum barbaris in Hiſpania bellum, hucuſque noſtræ gentis ignominia protractum. Et profectò parum abfuit, quin gens in vltimum Hiſpaniæ angulum reiecta, in Hiſpanos varijs diſſidijs, ciuilibuſque bellis diuulſos, vt olim, infuſa veteres calamitates renouaret, ni ipſa quoque diſſenſionibus agitata conceptam diu de inuadenda rurſus Hiſpania opinionem diſtuliſſet.

Mauri ruentes in interitum contra pactas inducias, oppidum Zaharam, Arundam inter, & Aſſidoniam improuiſa vi capiunt, quòd nullo ſe oppidani commeatu munierāt, ab omni metu ſecuri, & nox erat hoſtibus opportuna, ventis, imbribuſque turbida. Capto oppido omnes in re trepida trucidati. Grauis iniuria præclaro aliquo facinore vindicanda erat. Pręfectis limitum mandatum abs Regibus, vt ſe bello comparando darent: Veniſſe tempus impię gentis extirpandę. Alhama erat oppidum expoſitum iniurię: prę ſidio exiguo, infrequentibus vigilijs cuſtoditum. Didacus Merlus Hiſpali præfectus cum Roderico Pontio Gaditano Marchione communicato conſilio, nocturnis, auijſque itineribus, aduolat. Sequebantur equites duo millia quingenti, pedites ad quatuor millia. Trecenti equites pręmiſſi, nocte intempeſta, omnia quieta eſſe renunciant. Noſtri ſilentio ſcalis admotis muros ſcandunt. Primi Ioannes Ortega, Ioannes Toletanus ciuis, Martinus Galindus milites præcipuę audaciæ ſecuros vigiles trucidant, & refracta porta copias *Zahara capta à Mauris.*

Albama capta à nostris. copias admittunt. Ingens trepidatio, vt in re subita. Correptis armis concurritur. Numero vincebant Mauri, & animos faciebat desperatio: eorum tamen pertinacia nostrorum virtute victa locum cædibus, prædisque dedit: & sic amissæ Zaharæ compensata iniuria. Hæc initia diuturni, cruentique belli.

Albohazenus Rex Maurus cum magnis copijs quinquaginta millium peditum, equitum trium millium, accurrit. Nostri in tanto periculo nuntios diuersà ad auxilia mittunt. Saluti fuit, quòd tanquam in subita trepidatione, neque machinæ, neque tormenta, neque cætera ad expugnationem attulerant necessaria. Sic illis inanis ad mœnia impetus, nostris egregiè parta defendentibus. Interim omnis ad auxilia Bethica concitata. Sed erant viæ, montesque omnes ab hostibus infessi, qua nostris necessario penetrandum. *Magni nostrorũ ad auxilia conatus.* Mille equites, pedites ad tria millia Corduba, duce Alfonso Aquilario reuerti coguntur. Dux Asidoniæ, licèt infensus Gaditano Marchioni (patriæ charitas generosum flexerat animum) adiũctis alijs proceribus Roderico Gironio Calatraue Magistro, Villenæ Marchione, cum quinque millibus equitũ, quadraginta peditum millibus accurrit. Multi quoque voluntarij magno pugnandi pro religione desiderio concitati confluxere. Mauri non ausi pugnare, obsidione relicta fugere. Obsessi obuiam prodeuntes, tanquam magno periculo liberati, obortis lacrymis, exercitum salutantes, dextras iungunt. Gaditanus prior in Asidoniæ Ducis amplexum ruit, illum patriæ liberatorem, & assertorem compellans, gratias cum cæteris agere. Sic inter eos, deposita inimicitia, gratia conciliata. Ita oppido munito copiæ in pacata reductæ.

Maurus maiori mole ad obsidionem reuersus, copias diuersà in Bethicam immittit. Rex Ferdinandus interea de summa belli sententias conferre. Placuit Loxam ciuitatem petere, quam Aliatar vir impiger valido præsidio tenebat. Infausta nostris fuit prima illa expeditio.

ditio. Castra nostra malè metata dux Aliatar repente inuasit, diripuitque. Cędes, & fuga sequuta Magistro Calatraue cadente, exercitus retro abijt, Gaditani virtute compositus, & victoribus Mauris repressis. Ager Granatensis à nostris vastatus, Sexcenti equites à Cabræ comite cum strage in ciuitatem repulsi. Ciues Granatenses intestina discordia diuulsi, Regem Albohazenum, quòd tantum bellum in Regnum attraxisset, auersari. Tandem è ciuitate correptis armis expellunt, & Mahomadem Boabdilem eius filium Regem salutant. Sic gens in factiones distracta sibi exitium, Ferdinando nouum Regnum attulit. At dum Rex colligendę pecuniæ, & componendis quorumdam procerum motibus abest, nostri memorabilem ad Malacæ montes cladem acceperunt. Audacia, quia prima successerant, eos ad vastandos Malacę agros compulit. Facto pretio operæ graues præda redire. Via montium angustijs, silua vepribus, & ad explicandum equitatũ impedita. In his locis à circumfusa Maurorum multitudine petiti, trucidatique. Magna pars nobilitatis cæsa. Octingenti equites cecidere. Captiuorum numerus duplicatus. Cæteri dissipati. Sed accepta clades maiori compensatur illata. Sic sunt belli euentus varij.

Nostrorũ clades Granatẽses discordia.

Nouus Rex Granatæ, collecta valida manu, fines nostros inuadit. Lucenam tentat. Et erant, ea parte nostrorum animi superiori clade fracti. Didacus Corduba Regię cohortis præfectus obtinebat Lucenam, qui cognito Mauri consilio, patruum suum Comitem Cabræ de periculo certiorem facit. Interim ille Maurorum impetum sustinet quo non pauci ex Mauris cecidere runt. Versa in oliueta, vinetaque rabie Maurus ferro, flammaque vicinos agros vastat. Infinita deinde abacta præda grauis impedito agmine remigrabat, cum nostri ab oppido egressi postremos carpere, iter morari. Comes Cabrę interim cum valida manu conuolare. Et vix hęc posteritas credet. Commissa pugna Mauri duplicato numero superiores primum impetum non tulerunt,

Nostrorũ clades

Maurica strages.

tulerunt, quantumuis hortante Rege, præsenteque. Cecidit Aliatar dux, & impulsor. Fœda strages, fugaque: mille cæsi equites, pedites ad quatuor millia, qua capti, qua occisi. Præda recuperata. Rex Granatæ captus liberalitate Ferdinandi libertati restitutus, conditionibus, quas victor imponere voluit, consilio salutari ad fouendas Maurorum discordias, quibus Regnum necesse erat ruere: cum iam pater Albohazenus in gratiam ciuium rediens, sine controuersia Regnaret.

Muleius Granatæ Rex. *Granatẽses perturbationes.* His annis bellum repetitum. Alora, Arunda captæ. Vastatus ager Granatensis. Albohazenus senio confectus, filius profugus, nullum rebus turbatis præsidium erat. Nouo consilio Mauri Muleium Abohardilium Malacitanum ciuem ditissimum, militarique disciplina clarum Regem creant. Qui felici Regnum auspicio suscepit, in itinere nonaginta è nostris occisis, qui temere Alhama egressi prędatum abierant. Sic ouanti similis Granatam inuectus Rex proclamatur. Albohazenus fuga se Almunecarem, vbi thesauri erant, recepit, ibique occiditur à fratre. Granatæ interim discordiæ gliscere, cruentę dissensiones, factionesque inter duos excitatæ Reges, occasio nostris euertendæ gentis erat. Rex Ferdinandus Granatæ agros singulis annis vastare, quia sic capta Toletum olim, & quia nulla res sic premit, quam rerum caritas. *Gõsalius Fernandus.* Captæ Illorę Gonsalius Fernandius Corduba præficitur, futurus dux Magnus postea in Italia. Captum etiam oppidum Moclinum, quo Maurorum vires vehementer conciderunt. Mauri Illoram oculum Granatæ dextrum, Moclinum Clypeum vocare solebant. Capta etiam alia minoris nominis oppida, & Mauricum imperium paulatim, quasi vestis attrita vetustate à nostris lacerum discerpi.

MALACA

MALACA CAPITVR.

CAPVT XII.

MALACA ciuitas portuosa, & excipiendis Africanis auxilijs opportuna, qua capta magna Mauris spes, & cum Africa commercium intercidebatur, sequenti anno expugnanda proposita est. In eam expeditionem Rex prudens, alijs aliter sentientibus, vehementer incubuit. Occultata sententia, maioribus quam antea copijs expeditionē adornat. Quatuordecim equitum millia, peditum quadraginta sequebantur. Velesmalaca tentata prius. Granatæ Rex, præmissum Reduanum vrbis Prætorem expeditis cohortibus, & trecentis equitibus, ipse cum equitibus mille, peditibus viginti millibus sequitur. Reduani consilium erat, bellica nostra ignea tormenta, qua parte concipiunt ignem, clauis defigere, sed irritum conatum reddidere Maurica castra nostrorum virtute capta, quibus exuti Mauri facile cędibus dedere locum, qua data euadendi via dissipati, fugatique. Victum nouum Regem ho minū studia destituerunt. Portę ciuitatis venienti clausę, recepto Boabdile. Quid illi in priuata fortuna felici Regnare profuit, ni maiori dolore rursus ad priuatam deturbatus vitam finiret miserrimam? Captum deinde oppidum oppidanis res, quas exportare possent, efferendi, & abeundi quo vellent, facultate datā. Oppidi amissio Malacitanos vehementer perculit, statimque ad Malacam promota castra horruerunt. Nam in ea ciuitate tota spes conseruandi Africani imperij sita erat. Sicque vltimi ad eam defendendam conatus adhibiti, collatique: non tamen Ferdinandi conatibus pares, ad quam expugnandam vniuersa belli moles erat conuersa. Africanis auxilis, præsidioque ciuitas muniebatur, validisque Regni copijs instructa satis. Regina quoque cum Hispanię Cardinali Petro Gonsalio Mendoza, in

Velesmalaca capta.

Tt castra

castra venit. Venerunt etiam ab Aragonia non contemnenda auxilia. A Belgis Maximilianus Cęsar dictus duas onerarias cum bellico apparatu misit. Quibus Ferdinandus auctus Malacam fossa à mari deducta, dispositisque stationibus cinxit. Inde in mænia factus impetus. Cecidit in conflictu fortis miles Ortega, cuius Alhamæ captæ laus præcipua, cum pręclaris alijs rebus gestis nobilis. Tria millia Maurorũ nostra repẽte castra inuaserunt. Curabat ea Gaditanus Marchio. Nostrorum prima cædes, & tumultus eum exciuit: qui nihil inopinato tumultu turbatus, dispositis ordinibus, irruentes hostes excipiens magna ex parte trucidat, & cum strage castigatos repellit. Sic obsidio trahi videbatur: sed Regis Ferdinandi constantia victa Maurorum pertinacia est. Dorduce nobili Mauro interprete, de conditionibus deditionis ceptum agi. Ferdinandus nullas admissurum respondit, ni prius ciuitas dederetur. Hæc palam. Secreto Dorduci data fide promittit, suisque incolumitatem, modò ciuitatem tradat. Hac spe Maurus, rebus desperatis allectus, Regia vexilla in turre explicat, & nostros admittit. Cęteri Afri putantes rem honestis conditionibus transactam vasa conclamare, sed subito nostrorum impetu direpta omnia, & capta ciuitas est. Victoria lęta fuit, quia incruenta, & felix ad cætera omen.

Ortega cadit.

Dordux Malacã tradit.

Malaca capta.

BASTA, ET ALIÆ CIVITATES captæ.

CAPVT. XIII.

SEQVENTI anno Basta Ciuitas opulenta bello destinata. Rex cum peditum quinquaginta millibus, equitum duodecim ciuitatẽ expugnandam suscepit. Obsidio diuturna fuit, & penè ad inanes conatus,

conatus, desperationemque nostris redactis. Pestis, incursiones variæ, tria millia è nostris peremerunt. De soluenda obsidione ceptum agitari. Gaditanus suadebat, & probabat. Contra Rex perstare. Regina venit in castra; & videbatur esse in fatis, aut apud Sybillina carmina, vt vbi Regina affuisset, quasi præsentia numina victoria certa esset. Malaca capta sic, modo Basta dedita est. Nam simul ac Mauri Reginam adesse senserunt, animum ad captam ciuitatem Regem non remissurum diuinarunt. Ergo sic dedita Basta conditionibus, quas victor voluit, & Reges in ciuitatem triumphãtes admissi. Res comparanda miraculo, ciuitates aliæ, Guadixium, Almeria, Taberna, Seron, quæ diu tolerare obsidionẽ potuerunt, necdum tentatæ in potestatem venere. Sic hoc anno exercitus in hyberna dimissus, Reges Hispalim cõtẽderunt. Ingredientes circumfusa turba Reges humano maiores, augustioresque videndi studio, faustis acclamationibus prosequi, & tot victorijs illustres, quasi è cęlo delapsos admirari, summisque laudibus celebrare.

Basta capta, & aliæ ciuitates.

Ferdinandi fama per orbem volitare. Principes Christiani Hispanam amicitiam ambire. Lusitanum Regem matrimonium inter Alfonsum filium, & Isabellam Ferdinandi maiorem filiam vrgere. Nuptiæ magno vtriusque gentis apparatu peractę tristem finem habuerunt. Nam Princeps inter continuatam lætitiam cum proceribus, Regeque, Ioannem Menesium ad cursum prouocauit equorum. Admissis equis, medio cursu ferox equus, quo Princeps vehebatur, casu repentino sessorem allisit, oppressitque. Sic Isabella modo virgo, nupta, vidua, remissa cum vtriusque Regni luctu ad patrem. ¶ Mauro Regi seni ad Almeriã obuio data quædam à Ferdinando ad principalem vitam oppida, & concessa delictorum venia. Ea minore commiseratione, quòd Regnum à parricidio fuerat aggressus.

Alfonsi Lusitani Principis repętinus obitus.

Sultanus Ægyptius minacibus literis Ferdinandum à bello Granatẽsi deterrere, misso Hierosolymitano diui

Ægyptij Sultani minaces literæ.

Tt 2 Fran-

Francisci monachis præfecto ad Pontificem primum, & Regem Neapolitanum, & ad Ferdinandum. Minabatur Barbarus omnes in sua ditione Christianos perituros ni ab inferendo suæ genti bello Ferdinandus abstineret. Ad quæ ille bona verba (& erat dandis pro tempore verbis egregius artifex.) Ergo Ferdinandus *miti* responso cum donis legatos ad Sultanum remisit, & simul Granatam eo anno bello destinauit, tanquam Regni caput.

GRANATA CAPTA.

CAPVT XIV.

REGIS Ferdinandi sententia stabat, vt Granata, quotannis vastatis agris, fame, & rerum caritate pressa in potestatem veniret. Sic principes ciuitates captas docuit experientia. Et vt omnes in suam traheret sententiam, iurat, nisi capta Granata, non discessurum. Quod vt omnibus innotesceret, ciuitatem prope Granatam condidit, cui Sanctam Fidem nomenque imposuit, quasi pro Sancta Fide ad extirpandam infidelitatem pugnandum. Opus celeriter in modum ciuitatis assurgit, & genti tentoria fixa suis ordinibus, vijs, officinis, quasi in quieta republica. Hæc omnia repentinus euentus turbare cæpit. Arsit Tentorium Regis, & quia ex materia subitaria, proxima quoque arserunt, ingens trepidatio, ne incendio fraus, quam casus subesset: Rex nudus arrepto clypeo prosiluit, & arma clamauit. Timor erat, ne Mauri capta occasione castra nostra inuaderent. Timorem discussit Gaditanus Marchio, occupatis cum equitatu opportunis locis. Trepidatio, metusque tantùm fuit, periculum nullum, extincto igne. Vastata omni circum regione, summa rerum inopia Granatę creuit. Ergo fame

ciues

ciues oppressi de deditione conditiones offerunt, admissæque in hunc modum. *Ciuitatem Mauri tradunto, suis ipsi legibus vtuntor. Christianos omnes captiuos sine pretio dimittunto. Tributa Regibus Mauris pendi solita, Regi Ferdinando appendunto. Quibus in Africam nauigare placuerit, Rex securam nauigationem concidito, & vt bona sua vendant, distrahantque facultas esto.* Hæc tamen pacta penè disturbata fuerunt, quodam Mauro, per compita, perque plateas, magna voce populum ad arma concitante. Viginti millia ciuium arma corripuerunt, qui nullo maiestatis respectu Regiam inuasere. Rex trepidus tandiu se loci munitione defendit, donec ira vulgi resedit. Qui blandè ciues alloquutus, causas deditionis exposuit, eosque ad meliorem mentem reduxit. De his Regem Ferdinandum admonuit, suasitque vt ad capiendam vrbem festinaret, antequam Mauris suum rediret ingenium. Lectę in castris literæ, Reges, vniuersumque exercitum summa lętitia affecerunt.

Conditiones traditionis.

Dicta ergo die, cum armato ad speciem exercitu ciuitatem iniens obuium habuit Regem Boabdilem cum equitibus quinquaginta. Qui ab equo desiliens ad Ferdinandi se pedes abiecit oculis manantibus, & oratione lugubri: manumque ad osculum petijt. Negauit Rex, erexitque, & blãde solatus bono animo esse iubet, nihil illi in priuata fortuna defuturum ad splendorem, & authoritatem prope Regiam data fide promittit. Barbarus pauca loquutus (amissi Regni dolore faucibus verba hæserunt) claues arcium, & ciuitatis Regi tradidit. Rex eas Reginæ, Regina Principi, Princeps comiti Tendillæ, cui Granatæ custodia concredita fuit. Sic Rex Ferdinandus noui Regni hæreditatem creuit, Ferdinando Talauera nouo Archiepiscopo creato. Datæ literę ad Pontificem, Principesque Christianos. Castellæ Reges tanquam è cęlo delapsos vniuersis admirationi esse. Tota Hispania publicę supplicationes decretę. Deo, diuisque Hispanię tute-

laribus

Quot boni in Remp. à Ferdinãdo. laribus, pro beneficijs actæ gratiæ, & ô quam ingens gaudium vniuersum Regnum occupauit! Ferdinandum, & Isabellam humano maiores ęstimari. Quòd Regni dissidia sustulerint, quòd Regiam authoritatem restituerint, quòd collapsam iustitiam sanxerint, quòd Religionem, extirpata impia gente, propagauerint, quòd sublato terrore hostili, æternam in Hispania pacem fundauerint. O quot, quantaque bona ab vno, optimoque Principe in rempublicam emanarũt! ¶ Rex Boabdiles priuatæ vitę tędio in Africam transmisit, multique Mauri simul ab nauigare. Plurimi Mahometica superstitione relicta, nostra sacra susceperunt. Quingenti captiui sine pretio dimissi Regem magnis clamoribus, semper Augustum, patriæ parentem, obortis lacrymis salutarunt. Proceres omnes Regum, Principisque manus deosculati nouum gratulati Regnum, faustũm, felixque apprecati. Hæc omnia gesta ad annum 1492.

1492.

IVDÆI AB HISPANIA pulsi.

CAPVT XV.

IDEO Ferdinandi Regnum auctum, quòd Religione fundatum, Religioni accepta retulit incrementa. Iudęi hominum genus reipublicę perniciosum, vsuris, & malis artibus Regni opes corradere, gentis cęremonias antiquatas Hispanis intrudere, multosque patrijs institutis imbutos seducere, mos genti, ingeniumque. Ferdinandus Rex Granatensi bello confecto, Mahometica superstitione prostrata, ad extirpãdam Iudaicam perfidiam animum appellere. Sic Regnum ab omni labe purum æternũ fore putauit. Ergo proposito edicto, Iudęos omnes intra quadrimestre tẽpus abscedere Regno iubet, pręter eos, qui nostris sacris nomina

Numerus Iudæorũ migrantium.

nomina darēt. Centum ſeptuaginta mille familias exiſſe, in his octingenta millia ſolum vertiſſe feruntur. Errorem dixere nationes exteræ Iudæos expulſos cum tot diuitijs abire iuſſos, quibus inimici ditati Hiſpanis opibus inhiarent.

Ad Barcinonem Reges profecti, quòd Ferdinandi præſentia componendis motibus erat neceſſaria. Rex Barcinone vitæ periculum adijt, à furioſo quodam enſe petitus. Leue fuit vulnus, ſed in re ſubita trepidatio magna. Ipſa Regina abiecta authoritate, clamitans in publicum ſe proripuit. Comprehenſo percuſſori nihil amētia profuit. Forcipibus candentibus dilaniatus cæteris amentibus exemplum eſſe decretum, ſi forte in amentia lucida (vt aiunt) interualla ceperint. *Periculū Ferdinādi.*

INDICÆ NAVIGATIONES,

CAPVT XVI.

HISPANA gens quieta eſſe non poteſt, neque Hiſpaniæ terminis contineri. Hiſpani ergo à fundata in Regno beneficio Ferdinandi pace, more Romano, nationes exteras animo concipere. Nouæ mundi partes quæſitę, quarum antiquis notitia nulla. Luſitani primum Africę litora nauigationibus anniuerſarijs explorare, & ad Indos orientales penetrare. Vnde aromata varia, piperis, cynami, zinziberis, margaritarum, adamantum, vnionum, & peregrinarum rerum ad delicias, & admirationem, præter aurum, & argentum, ingens in Hiſpaniam aduecta copia. ¶ Varia bella, miraculoſæ victoriæ, gentes ſub iugum miſſæ plurimę. Religio illac inuecta gentibus in orbe incognito. Emporia Indorum præcipua occupata. Ad Perſas vſque penetratum, inaudita facinora, gloria militaris ſupra mortales, res denique geſtæ heroica ipſa tempora, fabuloſaque pericula ſuperarunt. Hæc Luſitanis

tanis de quorum rebus gestis extant patrio sermone commentaria præclara. Castellanis oblata occasio à Christophoro Columbo Genuensi, qui confecto Granatensi bello Regi Ferdinando suasit, esse ad occidentem solem amplissima Regna nostris, antiquisque incognita, vnde Regi magna gloria, diuitiæque immensæ venire possent. Tres naues illi datæ rebus ad tam peregrinam, & longinquam nauigationem necessarijs instructæ, septendecim aureorum millibus mutuo acceptis, exhausto ærario superioribus bellis. Data vela ventis, & nouus exploratus orbis auro, argentoque diues: continuatisque nauigationibus sequentibus annis, immensæ diuitiæ in Hispaniam auctæ, propagata religio, & noua Hispaniæ Regibus imperia parta. ¶ Extant multa à nostris commētaria de Rebus Indicis conscripta, in quibus plurima admiratione digna referuntur. Et certe ita Hispanum Regnum his nauigationibus creuit, vt vniuersum pene orbem imperio maritimo complectatur.

Indicæ Diuitiæ.

Cantria Hispaniæ attributa.

¶ Eodem tempore duo memoria digna contigerunt. Alterum insulas Fortunatas Regno Castellæ adiectas. Alterum Gallorum Regem Regnum Neapolitanum ea celeritate subiugasse, qua subiugatum amisit. Ferdinandus Rex Regnum Neapolitanum iure propinquitatis sibi asserere. Cum Imperatore, Summo Pontifice, duce Mediolanensi, arma sociare, Veneti in partes attracti. Sic Gallus tempestate prius obrutus est, quam eam persensisset. Relicto Neapoli Prorege propere se victus in Regnum recepit, multis amissis. Ferdinandus Rex Gonsalium Fernandium ad id bellum destinauit, cui præclara gesta Magni ducis nomen apud omnes nationes pepererunt.

Gonsalius Fernandius dux Magnus.

Eodem tempore Ioannes Rex Lusitanus obijt sine liberis. Emanuel patruus successit reipublicæ bono. Magna, & inaudita facinora gessit apud Indos, duce Alfonso Alburquerquio, de quibus eruditissimi Hieronymi Osorij extant commentaria. Obijt etiam

Petrus

Petrus Mendoza Cardinalis, cuius apud Reges authoritas præcipua, sed prudentiæ, nobilitati, cæterisque tanto loco dignis virtutibus hæc, & alia debebantur. Successit Franciscus Ximenius, ex ordine S. Francisci vitæ sanctitate clarus. At Complutensis Academiæ, ab se fundatæ, & Magistralis Ecclesiæ auctæ gloria clarissimus. *Franciscus Ximenius Episcopus Toletanus.*

Anno 1496. Emanuel Rex Lusitanus Isabellam Ferdinandi viduam Alfonsi Principis matriomonio sibi copulauit, ea conditione, vt Iudæos quoque Lusitania pelleret quòd Ferdinandus prius fecisset. ¶ Eodem anno mortuo Ferdinando Neapolitano, Friderico fratre successore, Galliæ, Hispaniæque animi ad Regnum Neapolitanum adiecti. Comparatus vndique numerosus exercitus, & ad Galliæ Hispaniæque confinia castra posita, pactis tamen aliquot mensium inducijs, bellum in Italiam translatum. Quo anno Ioanna Princeps Ferdinandi filia Philippo Austriaco nupsit, & in eadem classe Margarita soror aue cta Principi Ioanni copulanda. Nuptiarum lætitiam mors repentina Principis turbauit. Sponsa grauida relicta, quæ victa doloris impatientia fœtum immaturum exclusit. *Sunt certè fallaces humanæ spes*, & Hispaniæ Regnum per Ioannam in exteros recidit. *Ioannis Principis nuptiæ, & obitus.*

Mortuo Ioanne Philippus, & Ioanna Hispaniæ Principum titulum vsurparunt, ægrè ferentibus Ferdinando, Isabellaque: cum Isabella soror natu maior extaret, quæ Emanueli iuncta erat, & ad se Regnum pertinere disputabat. Ea de causa habiti conuentus Regni Aragonij fœminis dicere sacramentum recusare: & Ioannis Regis testamenti tabulas proferre, quibus fœminis nepotes præferebantur. Nascitur interim ex Regina filius Michael, qui ad tempus dissidia sustulit, ob idque Princeps pacis appellatus. *Michael Princeps nascitur. Complutensis academiæ initia.*

Anno 1499. Franciscus Cisneros Cardinalis præsul Toletanus, vir eximiæ sanctitatis celeberrimæ Com- *1499.*

plutensis Academiæ fundamenta iecit. Opus admiratione dignum, quod consequentibus annis, Cathedris, collegijs, numerosa iuuentute confluente ad omnes liberales disciplinas. ita creuit, vt doctissimorum virorum officina, ingenia florentissima, tanquam fęcundissima mater, sparserit in omnes mundi partes, magno Religionis, reique publicæ commodo. Sed istius sanctissimi Præsulis opera, admiratione magis, quam imitatione celebrantur. Inter alia illa est in primis celebris cogitatio, quæ nobis Biblia Complutensia (dicta à loco,) dedit: magnis sumptibus, incredibili labore, conquisitis in orbe castigatissimis exemplaribus, vndique doctissimis viris, qui tam magnum opus vrgerent, perficerentque Huius etiam sanctissimi viri summa diligentia, & industria singulari, in Regno Granatę sexaginta Maurorum millia, Mahumeticis fraudibus abiuratis, fidem nostram susceperunt.

Biblia Complutensia.

Gallorum Rex Mediolanensi tractu ingenti felicitate superato, cum Rege Catholico de diuidendo Neapolitano Regno secrata consilia inijt. Causa publica obtendebatur, Fridericum Neapolitanum Turcas contra Italiam sollicitasse. Missus cum exercitu Magnus dux Gonsalius Ferdinandus, qui suadentibus Venetis, Turcis bellum intulit, captis ex Veneta ditione quibusdam ciuitatibus insolentibus. Insulam Cephaloniam, nouo nomine, trucidato Turcarum præsidio, recepit, Venetisque restituit. Qui ob insignem victoriam Gonsalium ciuem suę reipublicæ renuntiarunt, qui honor Venetis in pretio magno est, & ambitiosus. Multo præterea auro, argento, & pretiosa veste donarunt. Munera suis Regibus in Hispaniam transmissa, Isabellæ Reginæ gratissima, ipse verò in Sicilia ad belli euentum substitit.

Gonsalij Ferdinandij victoria.

DE

DE BELLO NEAPOLITANO.

CAPVT XVII.

ANNO sequenti seculari 1500. die S. Apostolo Mathiæ dicato, natus est Carolus Philippi, & Ioannæ Ferdinandi filiæ filius, & decessit Michael Princeps, cum iam Isabella mater decesserat. Sic Philippo Ioannęque Hispanię Regnum confirmatum. Isabella Regina diem accipiens dixisse fertur. *Cecidit sors super Mathiam.* Bonum Hispania tunc omen accepit, nato Principe, cuius res gestę orbem terrarum implerent. Hoc anno Mauri, qui in Regno Granatę in antiqua religione perstabant, nostris sacris nomina dederunt. Relicta illis bona, quæcumque possederant, pertinacibus in Africam ablegatis.

1500. Caroli natiuitas

Isabella dictum.

Emanuel Rex Lusitanus Mariam alteram Catholicorum Regum filiam duxit, ex qua sequenti anno Isabellam suscepit futuram nati Caroli vxorem. Quo anno Philippus, Ioannaque Principes à Belgis in Hispaniam appulerunt. Toletique ritu solenni magna totius Regni lætitia, Regni hæredes renuntiati, statim remigrarunt. Rex Ferdinandus, Ludouicus Galliæ, Neapolitanum Regnum partiti, Friderico spoliato: causa quòd Turcas in Italiam sollicitasset (vt diximus.) Ferdinandus Calabriam, Apuliamque, cætera Ludouicus, icto fœdere, habuerunt, at nondiu concordibus animis. Rex Gallus queri Apuliæ, & Calabrię prouentus, & vectigalia longe præstare ijs, quæ sibi in diuisione contigerant, debere Ferdinandum Lucaniæ parte cedere, de cuius diuisione non satis constabat, vt sic damnum compensaretur. Ad ea Ferdinandus. Si diuisio superior displiceret, & permutare mallet, se habiturum gratias ingentes. Ingrata Gallo Ferdinandi respon-

sio, & à verbis ventum ad arma; Fridericus, rebus desperatis, ad Gallorum Regem se contulit: ab eoque triginta aureorum millia vitæ sustentandæ (leue amissi Regni solamen,) accepit. Accepit tamen, & priuatus ibi ad vitę finem vixit, tanquam deturbatus à Regno. Varia fortuna pugnatum his annis inter Hispanos, & Gallos; at Hispanorum gloria maior. Gonsalius Ferdinandius Magnus dux, multis prælijs ita Gallorum vires attriuit, vt vnus homo collapsas Hispanas res amissę gloriæ restituisse videretur.

Gonsalÿ Fernādÿ gesta.

Ad Chitinolam oppidum, non procul à loco antiqua Canensi clade nobili, commissa pugna Gallorum exercitum cecidit. Omnes fere duces qua cæsi, qua capti. Vexilla omnia, tormenta bellica, impedimenta, commeatus, & cætera alia, quibus bellum alitur, in potestatem venerunt. Fractis Gallis, omnia Hispanis prona fuere. Gratior victoria, quod tot ex Gallorum exercitu desideratis, ex nostris nouem tantum gregarij milites occubuissent. ¶ Secundum eam victoriam Dux Magnus Gonsalius totum Neapolitanum Regnum animo concepit. Vt suo Regi Regnum restitueret, quod prius Hispanis armis fuerat acquisitum. Galli reparatis viribus, & nouis copijs aucti, magna belli mole, pręteritas clades cōpensare. Caieta belli sedes erat, ciuitas opportuna trahendo bello. Dux Magnus eam expugnare totis viribus, totis etiam Galli defendere, & conseruare statuerunt. Omnes ab vtraque parte vires, & belli apparatus confluunt eodem, illi conseruandi, isti expugnandi animo pertinaci. Maior Magni ducis felicitas fuit. Gallorum exercitum ad amnem Lirim superat. Amissis bellicis tormentis, commeatus direptus. Galli noua strage accisi, re desperata, honestis conditionibus Caietam dediderunt. Vincebat Gonsalius hostes, non solum viribus, militarique disciplina, sed Regum liberalitatem animi magnitudine superabat. Captiuos gratis dimittere. Conditiones honestas accipere. Comitate, liberalitate certare, pro honore, quam pro

Gonsalÿ Ferdinādÿ victoria.

Altera Hispanorum victoria.

pro vtilitate pugnare. Rebelles animos non vi, sed patientia domare. Quæ hostibus magna, vilia sibi, & tam magno animo indigna parui pendere. Captiuos nobiles Gallorum cum liberaliter pro Caieta dimisisset, multorum animos offendit: cum vtilioribus conditionibus dimitti oportere, disputaretur, Ea vox ab illo audita magno duce digna. *Sulfureus puluis, & plumbea glãs pluris nobis constaret, & maiores expensas faceret, quam promissa vtilitas commodi attulisset. Vnus superatus hostis liberaliter dimissus plures, quàm occisus, nobis facit amicos. Occidere timidi animi est, ne noceat, cauet. Parcere magnanimi viri, vt quasi à parata materia semper illi laudis, & gloriæ crescat opinio.*

Gonsalij virtutes.

Ego existimo Magni ducis Gonsalij Ferdinandij perpetuam in bellis felicitatem, non tantum victorijs, quam animi magnitudine erga ipsos hostes, liberalitate, & comitate metiri debere. His enim virtutibus non solum milites proprij, alacres, promptique redduntur, sed alieni quoque trahuntur allecti, illisque è manibus extorquentur arma. *Semper tamen Magnis viris inuidia comes est.* Columnæ gens valida, clientellis, opibusque potens (quòd Magnus dux Bartholomeum Albianum pari potentia, cum Vrsinorum familia ad stabiliendas res Hispanas, in partes magnis propositis præmijs attraxisset,) irata, Regem Ferdinandum adire, acta Gonsalij accusare. Et ignoratur an tam magnũ nomen, quod rebus gestis acquisierat Dux Magnus, triumphus, quo Neapolim inuectus est, totius Italiæ consensus, & acclamatio, effussa quacumque iret admirabunda turba. Tanta denique fama, gloriaque Ferdinando Regi aut suspecta, aut formidolosa fuisset. Sic illius actiones non omnibus probabantur. Vt illa. Præmia maiora meritis concessa, meritis negata. Profusa sine modo pecunia. Exteri allecti, & præpositi nostris.

Inuidia & querela in Gonsalium.

Hęc & alia inuidis accusationis materia, capitaque

Addi-

Additum, prętereà. Quid vltra illi præter Regnum? Imò plusquam Regiam authoritatem sibi Gonsalium vsurpasse, dum Regis decreta, vel supprimit, vel parui pendet.

Gonsalij Ferdinādij defensio.

At si pro Magno duce declamitare susceptę breuitatis institutio non vetaret: Multis & rationibus,& exemplis ostendere potuissem,quam iniquè calumnijs Regum aures pateant, cum cuiusque magni viri, cui respublica commissa est,actionibus oblatratur. Habent duces magni suas tempori accommodatas rationes, quas è tuto disputatio garrula non assequitur. Præclare Romanorum erat in rebus dubijs consuetudo illa. *Videant Consules nequid respublica detrimenti capiat.* Ineptè, insulsèque consultores in vmbra, Magnis ducibus de ratione belli dant pręcepta: cum dux strenuus oblatas occasiones, non præcepta debeat obseruare. Hæc magnus Gonsalius diligenter seruare solebat,quæ malignitas,& malitia carpebat. Regum, Principumque decreta quî seruabit occasio, quando ratio belli, & reipublicæ vtilitas resistit?

Isabella Reginæ mors.

Moritur interea Isabella Regina quinquagenaria maior. Ex testamento Regni administratio penes Ferdinandum ad vigesimum Nepotis Caroli annum scripta. Inde nata dissidia inter eum, & Philippum generum.

Dux Magnus compositis Neapolitani Regni rebus in Hispaniam reuocatur. Ioannæ tanquam Reginæ, Philippo tanquam marito, Regi Ferdinando tanquam administratori Hispani sacramentum dixerunt. Reginæ Ioannę mens non cōstabat, quę ad tempus amentia quadam laborabat. Ferdinandus cum Rege Gallo facta pace Germanam sororem eiusdem Regis duxit vxorem ætate grauis, prolis desiderio.

Ferdinādi nuptiæ.

Eodem tempore Franciscus Ximenius Cardinalis Ferdinandum ad transferenda in Africam arma cohortatus, suis magna ex parte sumptibus, Portum magnum (Mazalquiuirum Arabes vocant) expugnauit. Reges

noui

noui à Belgis soluentes in Hispaniam appulsi, exceptique ea totius Regni lætitia, qua nulla maior, quæ quinque mensium spatio in summum luctum versa, immatura Philippi Regis morte, docuit exemplo, quàm vana, & caduca hæc. Mortuo Philippo in ipso ętatis flore, (viginti tantum erat annorum) & in Regni limine, ad Ferdinandum rerum summa deuoluta est. Anno 1506.

Philippi mors. 1506.

RELIQVÆ FERDINANDI actiones.

CAPVT XVIII.

EMANVEL Rex Lusitanus, eodem tempore annuis nauigationibus in Indiam orientalem, felix, celebrisque, Æthiopas, qui Congum, & Monicógum incolunt, ad fidem conuertit, missis ad tā insigne opus idoneis ministris, qui rudes populos Euangelica luce, præceptisque diuinis erudirent. Rex Catholicus à Philippo Rege diggressus coram grauissimis verbis castigato, quòd adulatoribus aures faciles daret, eorumque arte seductus soceri conspectum vitasset, datisque de Regno salutaribus pręceptis, ad inuisendum Neapolitanum Regnum nauigauerat, cum Philippum mors oppressit. Intempestiua mors erumpentes iam in Hispania seditiones extinxit. Præfecturæ, honoresque sine causa adempti multis, & alijs sine causa dati. Belgę in omnibus prælati Hispanis. Omnia vendi, nundinari. Militiæ, amotis fortissimis viris, promptissimisque, ignaui, inutilesque pręfecti. Belgæ lucra tantum captare, & vndique venari. In summa. Regnum apud eos officina quęstuaria erat. Sic à publicis querelis ad Ferdinandum respectare, Belgarum auaritiam, rapacitatem detestari. Et Paulatim magnarum seditionum

Belgica studia.

feditionum femina iactari. Sic perturbata respublica in Catholico Rege solatium quærebat.

Philippi morte statim Ferdinandus reuocatus. Soluit ille Neapoli, secumque Magnum ducem auexit. Quem Ludouicus Rex Galliæ, tam insignes in eo virtutes admiratus, insolito prosequutus honore, secum ad mensam communem assidere iussit, cum Ferdinandus Rex, & Ludouicus in itinere se inuicem salutantes, complectentesque, Regio se conuiuio mutuo exciperent. Proceribus reliquis adstantibus, Ducem Magnum inuitauit ad epulas; *Assideas ait, cum Regibusque cibum sumas, Reges vincere assuetus.* Sic virtus de inuidia coram triumphauit. ¶ Ad hæc tēpora Dux Valentinus è custodia elapsus, & à Rege Vascone receptus, & belli dux contra Comitem Lerinum, Magistrum equitum, quem Regni hostem iudicauerat, dictus: dum se temere hostibus ingerit cum paucis, occubuit. Extat illius sepulchro inscriptum hoc epicedion.

Magnus honos Magno duci à Rege Galliæ.

Valentini ducis obitus.

Aut nihil, aut Cæsar, vult dici Borgia, quidni?
Cum simul, & Cæsar, possit, & esse nihil.

Hoc animo vniuersum Christianum orbem turbauit. Gallias, Hispanias, Italiam bello implicuit. ¶ Petrus Nauarrus dux magni nominis in Africa bellum Mauris à Ferdinando illatum feliciter gerere. Duo illis erepta oppida, Saxum Velecium, & Gomera. Quæ omnia ad annum 1509. contigerunt. Quo Magnus ille vir Toletanus Præsul Franciscus Ximenius ob gesta præclara sæpius nominandus, proprijs sumptibus comparato exercitu in Africam ipse transmisit. Oranum oppidum Hispaniæ infestissimum, magis fusis ad Deum precibus, quàm armis expugnauit. Miracula in eadem expugnatione contigisse referuntur. Extant de hac expeditione commentaria à nostris elaborata, & præcipuè ab Aluaro Gometio Latino viro, eruditoque. Anno sequenti. Petrus Nauarrus Bugiam Mauris eripuit, eorumque exercitum.

1509.

Oranum captum.

exercitum fugauit. Qua victoria tantus Africæ terror est illatus, vt passim oppida Hispanis dederentur, quorum Algerius præcipua pars victoriæ, ciuitas sequenti tempore nostris cladibus nobilis. Felix expeditio, ni eam nobis inuidissent fata. Poterat eodem victoriarum cursu Africanum imperium in Hispaniæ potestatem venire, sub quo illa prius miseram seruitutem seruierat. Ferdinandus interea, Procerum Hispaniæ rebelles animos, partim promissis, partim seueritate, consilio dicti Cardinalis, quo multum vtebatur, domare. 1510. *Victoria de Africa*

Hoc tempore Alfonsus Alburquerquius Indiæ ab Emanuele Rege præfectus, Goam ciuitatem, nobilissimum Indorum emporium expugnauit: ibique Lusitani Regni fixit sedes. ¶ Rex Ferdinandus magna mole bellum Africanum repetere, semel hac expeditione infelix, culpa ducis. Cæsus est Garsias Toletus dux cum magna parte copiarum ad Insulam, nouo nomine, Geluem. Temere per salebrosa loca, siti ductabat confectum exercitum, cum Mauri compositis insidijs adoriuntur. Fęda strages ignominia ducis, & miles fame, sitique, quam hostium virtute superatus. *Goa à Lusitanis capta.*

Ad ea tempora, Cardinales quidam contra Iulium Pontificem conspirantes, facta secessione, generale concilium indixerunt. Pontifex eos, Principesque, qui pro eis starent, anathemate percussit. Ferdinandum Regem in auxilium accire: qui magnis copijs statim expeditionem adornauit: Legatosque ad Vasconum Regem misit, qua transeundum erat. Rogat ne suum iter impediret, quando cum illo pro Pontifice arma sociare noluisset. Vasco Rex ad ea superbè. Flagitium additum: legatos contra ius gentium violatos. Ferdinandus iniuriæ (vt par erat) impatiens, omnem belli apparatum in eum conuertere. Pontifex Vasconem, re cognita, anathemati subiectum Regno priuare, & Ferdinando addicere. Quod ille magna felicitate subegit, & expulso *Schisma Ecclesiæ.*

Vasconiũ Regnum Castellæ adiectũ.

Ioanne Lobreto in Galliam, vniuersam ditionem occupat, Castellæque contribuit. ¶ Hac via contra se Gallorum arma mouit, & Italia iterum bello repetita est. Commisso prælio ad Rauenam Hispani victi à Gallis. At ea Gallorum strage superati, vt Gallus Rex exclamauerit. *Eas precor victorias hostibus meis, qualem mihi hodie diui dedistis.* Maior profectò victoris, quam victi fuit clades, vt mox probauit euentus. Ea est decantatissima ad Rauenam pugna, nostrorum ducum temeritate pugnata. Hostium contemptus, & nostrorum discordia exitium attulit.

Hispani victi ad Rauenã.

Rex Ferdinandus Magnum ducem Gonsalium ad repetendam bello Italiam destinabat, cum vniuersa penè nobilitas, infinitique milites voluntarij, nomina dare, vt tanti ducis auspicijs militasse dicerentur. Hoc satis ad gloriam putabatur. Displicuit Ferdinando Regi sub vno duce tantus populorum consensus, & forte timuit. Bellum Vasconium, quod erat in procinctu causatus, expeditionem Italicam disturbare. Quod ægre Dux magnus tulit, questusque est, tam magnos ad bellum sumptus frustra factos, tantæ nobilitati illusum, tantas conceptas spes inanes concidisse, ad quas vniuersus Christianus orbis erat erectus. Ad ea Rex bona verba, vt erat simulandi peritissimus. Addita tam magno duci contumelia. Promissa illi abs Rege penitus euanuerunt. Promiserat certe, simul ac in Hispaniam appelleretur, D. Iacobi Magisterium. Negata etiam quædam ordinis præfectura, quam commendam vocant. In paucis tulit repulsam is, cui magna debebantur. *Multorum ea conditio Principum, cum soluendo non sunt, negare debita. Publicè simulatam inuidiam intus coquere, ne famæ noceat.*

Ferdinãdus in Magnũ ducem ingratus.

Habuit Magnus dux eodem tempore, in vtraque fortuna socium alterum magnum ducem in alio orbe, Alfonsum Alburquerquium Lusitanum. Qui fidem simul, & arma remotissimis Indorum finibus intulerat, illis

Mala-

Malacam nobilissimam ciuitatem eripuerat. Portum Magnum Ormucium in sinu Persico ceperat. Maris imperium Lusitanis armis obtinuerat. Ægyptiorum, Turcarumque classes superauerat. Persis, Turcis, Indis ingentem Lusitani nominis terrorem iniecerat. Et tandem vitæ innocentia, integritate, militari gloria clarissimus; sicut noster Magnus Gonsalius in Hispania, ita ille in orbe alieno inuidia, & maleuolentia contracto morbo perijt. Extant de his magnis ducibus commentaria, quibus facinora veteribus heroibus comparanda referuntur. Et faxit Deus vt his meis scriptis eorum sit sempiterna memoria.

Alfonsus Alburquerqui

Obitus Ludouici Frācisci successio.

Gallis victoribus in Italia à superiori victoria fractis omnia tanquam victis aduersa fuerunt. Hispani nouis supplementis aucti superioris cladis notam aliquo facinore delere conabantur, cum hæc memoria digna contigerunt. Mors Ludouici Regis Galliæ, & Francisci Vallesij successio Hispaniæ hostis perpetui, & accerrimi, qui statim magnis copijs in Italiā irruit, Mediolanum expugnauit, tantumque Hispanis terrorem incussit, vt de Regno Neapolitano timerent. Præcipue cum Magni ducis fuerit sequuta mors, quæ Gallos magno metu liberauit. Decreuerat Rex Ferdinandus Magno duci vincula inijcere, quòd cum quibusdam proceribus in Belgas transmittere cogitasset: vt apud Carolum nepotem, gratiam inueniret, quam apud Ferdinandū amiserat. Sed de hoc obiecto crimine non satis constat. Duos menses Ferdinandus Rex Magno duci superuixit. Mortuus est anno 1516. dum Hispalim maturaret, mense Ianuario. Inter superiores Hispaniæ Reges fama silet, si cum Ferdinando componātur. Diuinum ius cum disciplina ciuili ita temperauit, vt à re tam præclara Catholici Regis nomen, iam obliuioni traditum, posteris transmiserit. Ex vniuersis Regnis præter Lusitaniam, vnum corpus fecit, & vnum Regnum (Græci Monarchiam vocant.) Iustitiæ, & Regiæ dignitatis asser-

Gallorū victoria

Magni ducis mors.

Ferdinādi Regis obitus. 1516.

Laus, & virtutes

tor acerrimus. Nemo tamen sine crimine viuit. Accusatur erga magnos duces, Gonsalium Fernandium, Petrum Nauarrum, Garsiam Paredium, & alios ingratitudo, inuidia, parum syncera fides. Ex his Magnus dux melancholia extinctus est. Petrus Nauarrus ad Gallos defecit. Garsias Paredius Piraticam exercuit. ***Sic Reges Magni posteritati non cauent. Homines sunt, prauoque aliquando affectu tanguntur.*** Hæc macula tantum Regem aspersit.

Finis Libri Sexti.

M A-

MAGISTRI

ALFONSI SANCTII.

HISPANI,

DE

REBVS HISPANIÆ Anacephalæosis.

LIBER SEPTIMVS.

CAROLVS V. IMPERATOR.

CAPVT PRIMVM.

FERDINANDI Regis funere totius Regni veris lacrymis, Regioque apparatu procurato, Regni administrationem Franciscus Cardinalis præsul Toletanus, & Adrianus Caroli magister susceperunt; cum iam Rex à Belgis in Hispaniam nauigaret, Reginaque mater Ioanna, Regni

gni curis, aut impar, aut, inutilis mentis imbecillitate videretur. Appulit Hispaniæ Carolus anno sequenti.
1517. 1517 Itum illi obuiam à proceribus. Festa & læta omnia, tanquam nouis Regibus officia solita.

Frãcisci Cardinalis mors, & laus.

Roæ in itinere obijt Magnus Franciscus Cardinalis Toletanus præsul, de cuius sanctitate dictũ sæpius. Eius laus meo stylo vilescet. Oranum proprijs expugnauit sumptibus Complutensem Academiam extruxit, amplissimis reditibus ditauit, Collegijs, Cathedrisque, exornauit, priuilegijs ita muniuit, vt inter orbis scholas habeatur illustris, & præcipua. Complutensem Ecclesiam ab Alfonso Carrillo fundatam sic auxit, vt noua prorsus esse videretur. Infinita sunt, & admiratione digna, quę Magnus hic vir ad sempiternam memoriam reliquit. Qui plura desiderat, illustria commentaria Aluari Gometij adeat. Iacet Compluti in Collegio D. Illefonsi celeberrimo, & inter maiora Collegia magni nominis.

Carolus Imperator.

1519. Anno 1519. Carolus Hispaniæ Rex Imperator est renũtiatus mense Iunio. Quod adeò tulit ęgre Franciscus Galliæ Rex, (eam enim dignitatem ambierat) Carolum videlicèt sibi fuisse prælatũ, vt nunquam hostilem animũ aduersus Imperatorem, dum vixit, deposuerit. ¶ Cum ergo Carolus ad Imperium vocatus ab Hispania soluisset: Regnum ciuilibus bellis, repetitis Philippi patris a Belgis expilandæ prouinciæ moribus, arsit. Omnia Belgis venalia, ita eos auri, & argenti dulcedo transuerso egerat, vt in omnes Regni siue ciuiles, siue Ecclesiasticas dignitates, quasi publicatis nundinis insanirent. Et vna res Hispanorum animos exulcerauit, vt plurimi armis opus esse iudicauerint ad facinus vleiscendum. Exteri enim sic omnia Hispaniæ bona surripuerant hac via, vt spoliata prouincia ad arma concurrere necessarium putaretur. Commotis populis, seditiosisque hominibus, ex nobilitate Ioannes Padilla Toletanus, Antonius Acuñas Episcopus Zamorensis, Ioannes Brauus, Petrus Maldonatus adhæserunt, & sese duces

Frãcisci inimicitia in Carolum.

Bellum ciuile.

præ-

præbuere. Primo Reginam Ioannam secum habere, vt illius authoritate omnia geri diceretur. Regni curatores ad frænandam audaciam seditiosorum, & ad continendos in officio commotos populos, ne malum sese latius diffunderet, exercitum conscribere. Pugnatum biennio fortuna varia, & misera Hispania, conuersis armis in viscera, conflictata est, Regno in partes exemplo perniciosa diuulso. Tandem ad oppidum Villalarem totis concursum viribus. Victi seditiosi, capti duces, & læsæ maiestatis conuicti, commotæ seditionis pœnas capitibus luerunt. Hæc ad annum 1521. *Seditiosi victi.* 1521.

Non omisit recuperandæ Nauarræ occasionem Franciscus Galliæ Rex, Hispaniæ viribus distractis. Magnis copijs ergo Vascones inuadere, & incredibili celeritate Regnum occupare. Eodemque impetu arma Castellæ illata. Nostri accurrentes ad ciuitatem Lucrunium Castra Castris contulerunt. Victi Galli sex millia amiserunt. Castris exuti, exercitus impedimenta capta, eademque celeritate Vasconum Regnum amissum nostris cessit. *Rex Galliæ Nauarrã recuperat.*

Eodem anno Emanuel Rex Lusitanus decessit, rebus gestis inter Lusitanos Reges primus, successore Ioanne III. filio. Qui plura desiderat, Hispanum Ciceronem Hieronymum Osorium legat. Anno 1522. Hispaniæ motus Carolum Imperatorem, relicto Ferdinando fratre Imperij vicario, exciuerunt. Quo tempore Adrianus Caroli Magister breuem Pontificatum adijt. Qui Regibus Hispaniæ Episcopatuum designationem attribuit. Anno 1525. Leo decimus Pontifex cum Imperatore sociauit arma, quibus ab vniuersa Italia Galli pellerentur, hoc fœdere. *Reges Hispaniæ pro Neapolitano Regno, annuo censu, equum stratum Regio ornatu, & septem aureorum millia. Pro Siculo quindecim aureorum millia penditote.* Sic Galli ab Italia expulsi, & in ea Hispani confirmati, & Franciscus Sfortia Dux Mediolanensis factus. Eodem tempore Borbonius iratus Regi Galliæ ad Imperatorem defecit; cuius *Lusitani Regis mors.* 1522. *Adrian. Pötifex.* 1525. *Pacta inter Pontificem & Imperatorem.*

cum

cum exercitu in Gallias irruit, Massiliam vsque. Quibus Franciscus vehementer irritatus, vniuersis Regni viribus, Italiam repetiuit. Mediolano expugnato, terrorem armorum per Italiam circumtulit. Ad Papiam tandem castra mouit, quo duces Imperatoris conuenerant. Inter eos Ferdinandus Daualus Piscariæ Marchio, cuius in hoc bello præcipua laus. Antonius Leiua magni nominis dux egregiè ciuitatem defendit. Ibi totis viribus pugnatum. Nobilissima in orbe eo tempore pugna. Galli à Caroli ducibus ingenti strage superati, omne robur Galliæ amiserunt. Rex ipse Franciscus, dum optimi ducis, & strenui militis partes impleret, victus, & captus in Hispaniam abductus, rerum humanarum ludibrio, exemploque singulari. Sic Gallorum vires accisæ breuem rebus pacem concesserunt. His tamen conditionibus Rex Franciscus in Regnum dimissus ab Imperatore. *A Mediolano, Genua, Asti Rex Gallus abstineto. Belgi ad Galli tribunal ne prouocanto. Eleonoram viduam Emanuelis Imperatoris sororem Franciscus matrimonio ducito. Ducenta millia aureorum dos esto. Borboniø duci, nullo tempore, ad Carolum defecisse, fraus, aut probrum esto. Dum hæc rata obsides filium Franciscum natu maximum, Henricumque alterum dato.*

Hispanorum victoria ingens.

Conditiones, quibus remissus Franciscus.

Eodem tempore Pontifex iratus Imperatori est, quòd hæc Decreta Regni consensu sanxisset. *Ne exteris ad Hispanorum Ecclesiastica beneficia pateret aditus. Expeditas à Pontifice bullas Regius Senatus examinaret, ne vtilitati publicæ nocerent.* Ob ea cum Rege Galliæ, & Venetis arma coniuncta. Angliæ Rex ad fœdus inuitatus. Ferdinandus Piscariæ Marchio spe Regni Neapolitani sollicitatus. Sed eum præoccupauit mors, ne tanti viri fama hac nota respergeretur.

Decreta Imperatoris, quibus Pontifex irritatur

ROMA

ROMA AB HISPANIS CAPITVR.

CAPVT. II.

SIc iterum Italiam Pontificis ira nouo bello implicuit. Imperatoris exercitus superiori victoria insolens, Romam, & in ea ipsum Pontificem obsidere, nullo sacrosanctæ dignitatis respectu. Ad eas angustias ergo est redactus, vt fuga se militum insolentiæ, ne violaretur, subduxerit. Irrupere milites, & palatium sacrum expilare, frustra ducibus impium furorē retardare conantibus, auersantibusque. Borbonius dux Hispanorum audaciam cohibere non potuit, quo minus correptis armis in vrbem penetrarent, & cadente Borbonio, quasi furijs agitati, in Romanornm bona, rapinis, & incendijs grassarentur. Quę vt resciuit Imperator vehementer commotus, missis literis exercitum, ducesque grauissimis verbis increpuit, quòd tam immane flagitium commisissent. Principes etiam omnes admonuit. *Se inscio tantū scelus fuisse patratum, Pontificem ab se summa veneratione semper cultum. Militaris licentia, cui duces resistere non potuerunt, eam ignominiam fuisse. Militum errata nihil ad se pertinere.* Fecit Imperator quod Christianum Principem decuit, & crediderunt boni, mali non ita. *Iusta Imperatoris excusatio.*

Anno 1528. solenni more in Philippi Principis Matriti verba iuratum. Lutrechius Gallorum dux, magna belli mole Regnum Neapolitanum inuadere. Et erat Gallis certa spes victoriæ. Ingruentis verò pestilentis morbi in Gallorum multitudinem, & præcipuè in ipsum ducem, qui à nostris captus est, lues desęuit. Maior exercitus pars extincta est, inter captos Petrus Nauarrus eundem vitę, carcerisque finem habuit. Sic ex numerosissimo Gallorum exercitų pauci in patriam redierunt. 1528. *Alia Gallorum strages.*

Andreas Auria Genuensis dux post cladem ad Imperatorem *Andreas Auria.*

Yy

ratorem signa transtulit. Imperator filios Regis Galliæ, quos apud se habebat obsides, patri remisit, accepta pro libertate ingenti auri summa. Cum Pontifice in gratiam redire, quam, vt facilius iniret, propinquos Mediceos à contraria factione expulsos, Florentiæ restituit, principatum suis armis in posterum confirmauit, vt nouis beneficijs præteritæ sine culpa admissæ notæ maculam elueret. ¶ His ita compositis Imperator in Italiam traiecit, vt vltimam à Pontifice solenni more coronam acciperet. Inaugurationi Bononia decreta, quòd Roma superiori clade exulcerata infesta Cæsari erat. Igitur Imperator, semper Augustus, fælix, faustusque proclamatus in Germaniã maturauit, si forte præsẽs Lutheranæ hæresis deliria, quæ iam latius, quã vt rationibus, disputationibus, & alijs remedijs reprimi posset, serpserat, extinguere potuisset. At putrida membra ferro secanda erant, flamãque exuranda, vbi pietas, & Imperatoris benignitas nihil profuit. Sic Germaniam nobilissimam orbis prouinciã perniciosissima hæresis occupauit, Lutherana fraude seductam, & conscientiæ libertate pellectam. ¶ Alijs comitijs Ferdinandus Imperatoris frater Cæsar est dictus, imperijque successor. Nihil præterea memoria dignum ad annum 1532. quo Turcarum Imperator Solymanus Vngariam quatuorcentum millibus armatorum inuasit, tanto belli terrore, vt Christianus orbis ad euentum paueret attonitus. Proposuerat Barbarus expugnare Vienam. Qua capta vniuersa Vngaria in potestatem ventura erat, & Germaniæ superbus iam minitabatur. Eò Cęsar cum centum millibus armatorum pugnaturus, si copiam, quam iactabat, pugnandi faceret Solymanus, accurrit. Constiterunt in acie duo potentissimi orbis Imperatores, cum vtriusque Imperij admiratione. Barbaro tamen Panicus terror incussus. Obstupuit ad Christianorũ consensum. *Turci enim nostrorum discordia creuerunt.* Ergo repentè conclamatis vasis retro abire. Vt tamen simularet fugam, viginti millia equitũ cum Cassano prędatũ mittere,

Carolus vltimam coronam accipit.

Carolus Solymani fugat.

mittere, dum se in tuta loca reciperet. A nostris tamen omnes equites illi intercepti perierunt. Solymanus qua fugiebat, timore correptus, ne Imperator abeuntem persequeretur, extremaque agmina carperet, fluuiorum pontes diruere. Multis tandem amissis inglorius remigrauit. Contra Carolus, fugati Solymani gloria illustrior Italiam repetere. Et inde Hispanias.

DE FERDINANDO CORTESIO.

CAPVT III.

RETRO stilus ad occiduam plagam referatur, nouum videlicet orbem Geographis nondum exploratum, à Ferdinando Cortesio reseratum, à quo fides remotissimis, & prorsus barbaris hominibus illata. Hispanorum inde arma vniuersum per Antipodas orbem complexa protulerunt imperium. Sic orientem Lusitani, Castellani occidentem nobis aperuerunt, vt à solis ortu vsque ad occasum nomen Domini Christianis vocibus laudaretur. Extant de Ferdinando Cortesio commentaria, in quibus ea vera referuntur, quæ si non auorum nostrorum æuo gesta fuissent, fabulosa forsan ab antiquis tradita putaremus, Stupet enim in vno Cortesio Antiquitas fabulosa, & Heroum gesta, si cum eius gloria rerum gestarum componantur, silent. Non gloriæ, non auri, aut argenti certè cupido, sed superior vis Ferdinandum Cortesium impulit, vt cum quingentis, & quinquaginta Hispanis militibus, maius opus aggrederetur, quam quod Magnus Alexander totius Græciæ viribus succinctus olim suscepit. Ego existimo altissimo Dei consilio factum, vt administro Cortesio incognitus orbis Euangelicę luci ianuas aperiret, quas Germania diabolica fraude seducta claudebat, vt Ecclesiæ sanctæ, pro vna vix amissa prouincia, innumera Regna venirent.

Ab occidentis insulis, & occeano ad continentem arma promota nondum erant. Ferdinandus Cortesius proprijs expensis, mutuataque pecunia, quingentos, & quinquaginta socios, cum vndecim nauium classe, in Guaniganingum exponere: inde in Acuzamilum delatus;(prouinciæ sunt parum hucusque notę.) Indi naues,& barbatos homines admirati, territi diffugiunt. Quatuor comprehensæ fœminæ, quarum vna gentis dominam esse Indi, quos interpretes Cortesius habebat, indicarūt. Benigne,& liberaliter à Cortesio tractata maritum accersijt. Ille alios, & multi conueniunt, omnes tamen admirabundi,timidique.

Cortesij expeditio.

Cœpit Cortesius per eos, qui linguam nouerant, fidei rudimentis Barbariem prius instituere, quàm arma expedire, animos informare, quàm corpora: primum Euangelij prædicator, postea miles, & egregius dux. Mitem prius postea seuerum, magnanimumque se præbere, destinanerat. Crucem, Deique genitricis imaginem adorandam, proponere. Homines vetuit sacrificare. Idola deiecit, in quorum loco cruces erexit. Opportune res accidit memoria digna. In arboris excauatæ trunco in formam Cymbæ, (Canoas illi vocant,) quatuor Indi pharetris armati in speciem pugnantium appulerunt. Insiliunt quidam ex nostris districtis ensibus. Ex quatuor vnus processit,& Hispano sermone Hispanos compellans,iubet esse qnietos. Rogat an essent Christiani? Sumus, nostri responderunt, & Hispani, nostro illum sermone loquutum admirantes. Et ille corruens terram deosculatus, manibus deinde in cœlum expansis, gratias ait omnipotenti Deo,qui me tandem è tot periculis,& barbarorum manibus eripuit. Receptus homo, & ad Cortesium deductus, rogatus suam sic exposuit historiam.

Res mira.

Historia mira de quodam Hispano.

Hispanus ego sum. Patria Ezixa. Nomen Hieronymus Aquilarius. Nouem ab hinc annis iuxta Samaicam,facto naufragio, vndecim socij vi tēpestatis in prouinciam Maiam sumus eiecti; statim omnes compre-

hensi

henfi ad quendam Cacichum perducti, qui ftatim vnum è noftris, Valdiuiam nomine, facrificatum deuorauit. Quatuor deinde facrificatis, amicos, propinquofque inuitauit ad epulas, me, reliquofque feruauit in pofterum; è vinculis tamen euafimus, ad aliumque Cacichum peruenimus primo hoftem. Ille nos benigne habere. Socij mortui omnes, præter quendam Gonfalium Guerrerum, qui ducta vxore, opibus, & potentia inftar Cacichi eft. Noluit proficifci nobifcum, quòd perforatas nares more gentis haberet, erubefceretque. Hucufque ille. Qui Ferdinandum Cortefium ad Barbaram expeditionem plurimum iuuit: quòd gentis linguam morefque calleret. Illo interprete Acuzamilis Euangelium prædicatum, fufceptumque benigne. Idola deiecta, Crucis, & fanctarum imaginum cultus inductus, & hucufque pacifica expeditio.

Primum oppidũ à Cortefio expugnatum.

Soluentes inde oppidum Potonchanum expugnare, quòd pacem noluerit, rogantibus commeatum negauerit. Indi diffipati diffugiunt. Cacichum miffa cum donis legatione, vt veniret, hortantur. Renuit ille. Tribus deinde ducibus cum cohortibus exploratum miffis, Cortefius fubftitit. Ex illis vnum Indi, correptis armis, oppreffuri iam erant, ni duorum aliorum ope periculum euafiffet. Hæc armorum occafio. Cortefius copias eductas explicuit. Exiguus exercitus erat aduerfus infinitam multitudinẽ. Quingenti pedites, equites tredecim, pauca tormenta bellica. Quadraginta Indorum millia. Pugnatum diu, quòd noftri infinita illa multitudine obruerentur.

Auxiliũ cæleft.

Ignotus eques apparuit in ardore pugnæ, in confertos hoftes inuectus, qui quacumque ibat, ordines diffipare, obuiosquofque edita ftrage obterere. Hoc celefti auxilio Indorum multitudo profligata eft. Creditum D. Iacobum Hifpaniæ Patronum equitem illum fuiffe, Cortefius D. Petrum putare, cuius in illa pugna reflera fuit. E noftris aliquot Indi, quos ab infula Cuba Cortefius adduxerat, defiderati. Septuaginta Hifpani vulnerati:

victoria

Magna Cortesij victoria.

victoria per vicinas prouincias vulgata ingens barbaris terror illatus.

Victoribus cęlum, terra, mare quoque fauet. A Dynastis illis (Cacichos vocant) amicitia Cortesij quæsita, commeatus abunde suppeditatus, & auri copia oblata. Stupere Indi ad equites, & Hippocentauros putare. Sic fœdera cum illis facta, & quia tractus ille ad colonias non aptus, in vlteriora processum, & ad Mexicanum Regnum peruentum. Linguam Hieronymus Aquilarius ignorabat, & præclusa spes vlterius progrediendi, ni Deus ad se regiones illas aggregare decreuisset. Viginti mulieres dono Cortesio datę erant à Dynasta Potonchan. Harum vna linguæ regionis illius perita, Christiana facta, Hieronymo Aquilario vincta matrimonio est. Qua interprete Mexicani tractus gubernator Teudillus de Cortesio factus certior, accurrit. Sequebantur quatercentum homines egregie more gentis ornati, qui commeatum, aurumque attulere Cortesio. Qui gubernatorem humanissime complexus insigni serica veste donare, cæteros liberaliter tractare. Postmodum secreta se ad Regem Mexicanum à Carolo Hispanię Rege perferre, dixit, quæ nisi Rege coram exponere non fas. Hęc post prandium illi à Marina Aquilarij vxore suggesta, iussu Cortesij. Additum deinde. Se tam longinquam peregrinationem suscepisse, vt illam gentem à fœda superstitione Dęmonum, ad veram vnius Dei religionem, cultumque traduceret. Venisse iam tempus, quo Deus illarum gentium errores depellere, mentisque cæcitati lucem afferre voluerit.

Marina interpres

Ad hæc Teudillus se quamprimum Regem suum certiorem de his facturum. Legati missi à Teudillo, equites, naues, formam, habitumque Hispanorum linteis depictum attulerunt Regi. Intra dies octo cum Regijs donis reuersi hæc retulere mandata. Motezumam Regem Regum vehementer lętari à tam magno Rege honori haberi, salutarique: cui illa suo nomine dona perferrent. Cęterum colloquendi, aut conueniendi copiam

non

non posse concedi, vel ob aduersam valetudinem, vel ob rebelles crudelesque barbaros, qui tunc erant in armis. Ad quæ Cortesius. Se non reuersurum in Hispaniam, ni Rege salutato, suique Regis expositis mandatis. Nouerat interim Cortesius Motezumam Regem Mexicanum, tanquam cęteris potentiorem in eos tyrannidem exercere; multos præterea rebellasse. Opportunam occasionem magnarum rerum oblatam in orbe rudi secum reputare: & quanto cum paucioribus tanto maiorem gloriam in suam, Hispaniæque laudem redundaturam. Ad quam partem accessisset inter discordes animos magnum fore victoriæ momentum: & rerum incrementa (vt accidit) admiranda.

Rex Mexicanus ad se venire Cortesium penitus vetare. Terras ille contemplatus, diuitiasque ingentes, quas pro vilibus scrutis Indi facile prodigebant; aurum videlicet pro vitro: debellandas ingenti concepit animo. Et certe homini priuato, ni spiritus illi diuinus allapsus vires, & robur ingens ministrasset, tam supra hominem opus nunquam venisset in mentem. Igitur socijs ab vtilitate, gloria, fama, diuitijs, oratione ad ea composita, vehementer excitatis, Oppidum in ea regione condere, rempublicam cōstituere, publicoque instrumento testatum voluit condendi oppidi, aut ciuitatis instituendæ ritum, formamque hanc. *In nomine sanctissimæ* TRINITATIS *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Pro Carolo Rege Hispaniæ hoc* OPPIDVM *condo, cui prouincias istas debellandas subijcio. Meque eius Imperio cum aqua, & igne, & hoc nouo à me orbe reperto subiugando submitto, dedoque. Tu scriba publico instrumento de his omnibus fidem facito.* Deinde sese Senatui commisit. Qui statim iussit. Videat Cortesius ne quid respublica noua detrimenti capiat, & opus destinatum perficiat. Suscepit ille more solenni. Profectus inde in amplissimam ciuitatem Cempoallam Regem conuenit infensissimum Mexicano. Quo cum fœdus inijt barbaro gratissimum. Sic alij Reges ad idem fœdus

Vera-crux primum oppidum.

Ritus condendæ ciuitatis

fœdus attracti. ¶ Venerunt interea vectigalis exactores tributa petitum. Rex turbatus quid responderet, ignorare. Solatur Cortesius, animo præsenti iubet esse. Comprehendit ergo exactores, attonitis barbaris ad tam inauditam audaciam. Dimissis duobus ex his rogat pro libertate, vt Regem pacem, quàm bellum mallet, hortentur, suadeantque. Rex hostis reputans Motezumam facinus non passurum inultum, iniuriamque vlturum, aperte rebellat, diuersaque dimissis nuntijs omnes ad rebellionem incitare. Omnes Ferdinandum Cortesium orant, vt bellum tanquam summus dux administret, quod ille libentissime suscepit. Centum Indorum millia conuenerunt, idoneus cum Hispanis ad magnum bellum exercitus.

Redijt interea Cortesius ad oppidum Veramcrucem, cum legati Motezumæ venere, cum donis. Regem habere gratias illi, quòd vinctos dimiserit, curaretque reliquos soluere, quod verò ad rebellis Regis iniuriam attineat, in eius gratiam illi eam se remissurum. Quod ad colloquium, differret tantisper, curaturum se vt quamprimum omnia ex sententia componerentur. Omnia hæc rebellibus Regibus Cortesius renuntiat, metum Motezumæ interpretatur, promittitque illis integram libertatem, modo starent promissis: Tributa Moxicanos ab amicis Cortesij exigere non ausos barbari summam felicitatem existimantes, beneuolentiam, fidemque illi obligare. Interea ad oppidum Veramcrucē septuaginta Hispani, equites nouem appulsi summa Cortesium affecerunt lætitia. Missi inde à Cortesio in Hispaniam legati de rebus ab se gestis. Missæ vestes pretiosæ, aurum, argentum, & pars Regibus obuenire solita. Deinde ad Motezumam Cortesius profectionem adornare. Detestari omnes opus quod supra vires, & in eum coniurationem conflare. *Sed magna, arduaque res magnis periculis constant.* Cortesius affectis seditiosis militari supplicio coniurationem compescere. Aggressus præterea rarum, sed necessarium, præmeditatumque opus.

Motezuma met°.

opus. Naues omnes præter vnam fregit: vt sublata remigrandi spe, aut moriendum, aut vincendum esset. Tunc oratio ad populum habita, qua profectionem ad Motezumam suasit.

CORTESIVS MEXICANVM Regnum inuadit.

CAPVT. IV.

COMPARATIS ad profectionem rebus, Cortesius à fœderatis populis abunde commeatu adiutus, primis diebus ab hostilibus quoque ciuitatibus benigne exceptus, & liberaliter tractatus est, iubente Motezuma. Postmodum quibusdam ex equitibus exploratum præmissis sex Barbari parmis, ensibusque armati occurrunt, exploratores & ipsi: qui statim nostrorum conspectum fugere. Quos equites consequuti, hortatique vt quieti esse mallent, quam pugnare, aut resistere, noluerunt. Vnus ex Indis vno ictu (dictu mirandum) abscisis cuiusdam equi ceruicibus, equum, equitemque prostrauit. Hoc retuli, ne quis putet Indos illos imbelles. Assueti militiæ, multique viribus valentiores nostris erant, multi etiam equorum cursum velocitate æquabant. Defuit illis militaris peritia. Extimuerunt equos, & bellica tormenta, quibus passim prosternebantur. *Indi cuiusdam facinus.* *Indorum fortitudo.*

Ventum post triduum ad Ciuitatem Zacloatam, cuius Dynasta Cortesium benigne suscepit, & liberaliter habuit. Argumento lætitiæ quinquaginta homines sacrificati: Cortesius factum increpare, & interprete Marina fides illi exposita. Hic Cortesio mos in quancumque ciuitatẽ veniret, prius Apostolus, postmodum verò miles, & dux. Rogare deinde Cacichũ, esset ne Motazumæ

subditus? Cui Barbarus. Et quis est, ait, qui Motezumæ nō pareat? Et Cortesius. Quis qualisq; Motezuma? Túc Cacichus. Totius mūdi Motezuma dominus est. Triginta illi Reges potentissimi vectigales. Quorum quilibet, centum millibus armatorum illi subsidio esse possunt ad bella. Quinque hominū millia quotannis in regia sacrificantur. Regia ciuitate nec maior, nec sumptuosior, nec pulchrior vlla in orbe. Quod ad diuitias attinet, immēsę. Quibus auditis Cortesio videndi Motezumę cupido creuit. Inde diggressus Barbarorum exercitum obuium habuit centum quinquaginta millium hominum. Qui, vt in conspectum ventum, missis legatis, cum donis, gallinis, & commeatu Cortesium salutauit illudens. *Saturamini* (dixere barbari) *ne fama diuulget vos oppressos fame nostra multitudine paucos fuisse deuictos. Peregrinas dijs nostris has victimas saginamus.* Inde ventum ad pugnam. Saluti nostris fuit non omnes barbaros simul irruisse, quorum multitudine opprimi potuerunt. Ex omnibus primo viginti millia in pugnam educta, quibus superatis triginta millia successerunt, & sic per partes incredibili strage deuicti: è nostris cadente nullo, vulneratis paucis. Miraculo datum, & creditum, barbaros non aliter vinci potuisse. Barbari Hispanos supra mortales existimantes, missa legatione, his verbis cum donis placare curant. *Mittimus tanquam dijs placandis, aurum, & thus. Tanquam Iratis, seruos quos deuoretis. Si vero homines estis, en gallinæ.* Ad quæ Cortesius. Mortales sumus. Sed vos experientia docuit, quā vtilis, & necessaria vobis amicitia nostra. Quid Insanitis? iungite dextras. Et illi edocti, pænitentia ducti, datis dextris. Putauimus, aiunt, te Motezumæ amicum, cuius nos perpetui hostes sumus. Re cognita deinceps nos fidissimos experieris.

Motezumæ potētia.

Pugnādi mos Mexicanis.

Cortesius ingenti lætitia occasionem arripere, & inita amicitia, cum illis ad Motezumam potentior maturare. Habuit obuios Motezumæ legatos cum donis, gratulantes quòd hostes vicisset suos, se Regi Carolo

pro

pro beneficio vectigalem fore. Tributum quod mallet imperaret, qui per suos duces, tam egregie vincere consueuisset. Mexicum tamen ingredi nollet, orare. Interim tantæ victoriæ fama vulgata vicinarum gentium venere legati fędus, & amicitiam orantes, & contra Motezumã omnia pollicentes. Quibus Cortesius fretus in itinere varias euitauit insidias. Multa auri pondera missa à Motezuma, quibus iter Cortesij retardare conabatur. Passim barbari coniurati, submissique, interficiendi Cortesij occasionem captare. Qui neque periculis, neque promissis, neque donis flecti potuit, vt à suscepto proposito deterreretur: quòd vnum Motezumam finem operis destinasset, intus agente diuino numine. Tandem Mexicum tenuit. Incredibilia sunt quæ nostris in illa ciuitate contigerunt, lubet tamen pro suscepta breuitate necessaria dare.

Maiestas barbari Regis inaudita. Diuitię supra mortales, quæ Hispanorum auaritiam abunde superarent. Ciuitas, neque in Europa talis. Exceptus à Rege Cortesius benigne, & cũ amplissimis donis, repetito conuiuio, per aliquot dies recreatus. Vltimo conueniunt ambo, & vtrinque blanda verba. Et Rex. A maioribus accepimus, ait, nos aliunde huc venisse. Tantisper hic maneremus, dixit ille primus, donec reuerteretur, reipublicæ leges, & statuta daturus. Existimo vestrum Regem nostrum illum parentem, qui vos præceperit, vt illa, quæ ille alius promiserat, exequamini. Hæc & alia, & repetita colloquia. Interim Cortesium, omnesque nostros ingens timor inuadit, animo reputantes in quas inextricabiles difficultates sese lubentes immiserint. Et profecto facile Motezumæ omnes opprimere erat, negato commeatu, ruptisque pontibus, qua transeundum erat necesse, sublata spe remigrandi, ni Deus illi hanc mentem abstulisset. ¶ Creuit Cortesio timor ad cum rumore delato, hęc à Rege præmeditata, & à Dęmone suggesta, cum quo illi, cæterisque Indis frequens consultatio. Exhorruit Cortesius (vt par erat) aliquot-

Congressus Motezumæ & Cortesij.

Cortesij nostrorũque timor.

que diebus cogitabundus, & pallidus id consilij capit, quod, (quia sine exemplo,) posteritas admiretur. Socios iubet ad certam diem esse paratos, qua, magna simulatione, communicato consilio, Regem de more salutaturus accessit. Cũ quo solus, (iusserat socios foris attentos expectare) varia colloquia miscet. Vehementer deinde questus iniuriam, perfidiamque, quod in suum caput insidias parauisset, quod ius gentium violasset, quod Hispanos innocentes in ciuitate Regia tanquam ad Janienã inclusisset. Quapropter ô Rex (ait) mei Regis nomine, iubeo te in libera nostra custodia esse, & potestate, donec nostræ saluti, & incolumitati consulatur. Hispani te seruabunt fidelius, quam tui. Nihil de tua maiestate minuetur. Regnabis vt antea. Huic tantum audaciæ parcas, & inculpatę tutelæ, violatæ maiestatis crimen dones. Obstupuit Rex ad tam inopinatam audaciam, & inauditam cogitationem. Et quis talia in ciuitate Regia, in media barbarie, cum tam paucis Christianis ab infinita barbarorum multitudine obsessus, præclusa euadendi spe, meditari, aut cogitare potuisset?

Cortesij facinus inauditũ

Rex ad se reuersus, memor maiestatis respondit. Non is ego sum, qui teneri possim. Quamuis velim ego, mei non patientur iniuriam, vestrisque capitibus maiestatem sancient meam. Ad ea Cortesius. Imò Rex, tuos quietos esse iubeas oportet, edicasque: sponte non coactè apud me te velle manere significa; aliàs tuo capite nostræ neci litabis. His minis territus Rex ad Hispanorum custodiam transijt, exemplo inaudito. Barbari tumultuari, Rex iubere, nequid nouarent. Habitus Rex apud Cortesium vt in Regia. Omnia negotia expedire, ius dicere, venatum abire. Cætera vt antea tractare.

Motezuma Regnum deponit.

Didicerat à Diabolo Mexicanorum Regum seriem in Motezuma finiendam. Eapropter Regni conuentus indixit, omniumque procerum consensu, post longam orationem, qua suasit Mexicani Regni finem instare, iuxta vetera vaticinia, in Hispaniæ

Regis

Regis potestate se,suaque esse, lacrymis toto ore manantibus,dixit. Excussit proceribus, excussit Hispanis lacrymas. Regem paulo ante potentissimum,qui se Regem Regum, dominum totius mundi nominabat, à tanta maiestate ad priuatam vitam se sponte deiecisse, quadam superstitione commotum.

Ingens auri acerbus deinde pro tributo Carolo Regi allatus. Cortesius bono animo esse iubet, eum blande solatus. Sub Hispanię Rege fœliciùs multò quàm antea regnaturum, modo sacris Christanis institutus nomen religioni daret. Dederunt Indi non pauci, distulit Rex, & nostrorum negligentia contigit, vt ad eam felicitatem non perueniret. Cortesij tamen iussu vetitum, ne homines idolis interea sacrificarentur.

Motezumæ apparet diabolus.

Quod ægrè diabolus ferens, horribili forma Moeezumæ apparuit, & vehementer increpuit, quod tandiu Hispanos illos paucos tulisset, qui dijs consueta sacrificia vetarent. Mysteria gentis celebrare, idola deijcere, imagines, & cruces loco illorum constitui ne amplius pateretur, ni Deûm iram experiri maluisset.

His territo Motezumæ facti pęnitentia subijt. Non vt antea cum Cortesio familiariter versari, secreta contra eum consilia inire. centum armatorum Indorum millia esse ad omnes casus parata iubere. Quibus comparatis sic est Cortesium alloquutus. Obsecro domine, vt quam primum hinc abeas, nam vniuersum Regnum in te conspirat. Me grauiter incusat,quod tandiu vos tulerim, & de mea leuitate, Regnique abdicatione vehementer increpat. Dij ipsi mei irati vos auersati frequenter minitantur. In summa aut exeundum,aut moriendum.

Motezuma Cortesii discedere imperat.

Perculit Cortesium inopinatus casus, sed animo præsenti (vt in rebus arduis) simulatoque respondit. Placet ô Rex, quando ita iubes, abire; sed quando proficisci imperas. Tunc Rex miti responso lętus.

læsus. Non adeo importunus exactor sum, modo proficiscaris ad sedādos populorum tumultus, tu tibi diem, terminumque præscribe. Tempus quod fabricandis nauibus fuerit necessarium peto. Cui Rex. Vt voles, ait. Qui ad beneuolentię signum Cortesium, sociosque magnis onerauit donis.

Didacus Velazquius Cortesio inimicus

Interea Didacus Velasquius insulæ Cubæ præfectus Cortesij res gestas accipiens inuidia inflāmatus optima illius extirpandæ Idololatriæ, Religionisque propagandæ consilia, exemplo pessimo, disturbare conatus, Pamphilum Naruazium cum nongentis militibus, & equitibus centum mittere, qui comprehensum Cortesium, tanquam maiestatis reum, quòd propria, post habita Regia authoritate, tam magnam in orbe belli molem excitasset, ad se perduceret. Innotuit Cortesio dolus, & relictis ad Regis custodiam ducentis quinquaginta socijs, magno animo ad Pamphilum proficiscitur cum reliquis. Repente igitur, & nihil minus cogitantem eum opprimit, comprehensumque ad oppidum Veramcrucem mittit, & milites ad se traducit, quibus auctus Mexicum, tanquam ad summam belli, magna celeritate recurrit. Mexicani tamen interea rebellantes aperte, noctu, diuque nostros omni vexare iniuria non destiterant, vt Regem suum in libertatem assererent, Hispanosque ex dæmonum responso, dijs suis offerrent, victimas gratas. Superuenit Cortesius nouis copijs animosior, cum creuit Mexicanus tumultus, authore quodam Regis propinquo. Hispani à multitudine assiduè petiti vulnerari obsessi.

Hispanorum periculi, & Motezumæ nex.

Accidit interim vt tanta barbarorum aduersus nostros conspiraret multitudo, vt Cortesius inops consilij Motezumam iuberet, conscenso loco eminentiori, solito turbas imperio sedaret. Vix tamen sese furenti populo per fenestram ostendit, cum lapidum petitus imbre, per errorem, diffracto cerebro est interemptus, nulla populi commiseratione, quòd tantam moram indulsisset Hispanis. Eius nece Hispanorum animi con-

conciderunt, omni euadendi præclusa spe. Periculo Propinquus ille proclamatus Rex vehementer incubuit. Et quia multitudo erat infinita, nulla vllo tempore Hispanis requies dabatur. Ergo Cortesius abeundi consilium capit noctis conticinio conclamatis vasis.

Re cognita barbari primo mane vestigijs abeuntium inhærent, & extrema agminis carpunt. Iter impeditum erat, hostes vndique instare. Nostri sarcinas abijcere, & de tuenda salute tantùm cogitare. Bis centum millibus armatorum nostros fessos circumsteterant barbari. Hic animus Cortesio, consiliumque supra homines. Paucis pro tempore suos cohortatus, Patronum suum Apostolum Petrum inclamans, & ingeminans, citato equo, per medias acies irrumpens, ad Regis Mexicani signum peruenit, signiferum lancea transuerberatum interimit, vexillum terræ allidit. Quo cadente Indi statim diffugiunt, (mos illis cadente Regio vexillo non vltrà pugnare.) Ergo fœda fuga, barbarorumque sequuta strages, vnâ magni Ferdinandi Cortesij incredibili audaciâ parta salus, & Hispanorum insperata victoria. His pugnis è nostris quadringenti pedites, & quinquaginta equites desiderati. Aurum omne, & pretiosa quæque amissa. *Cortesij gesta inaudita.*

Ergo Cortesius è magno periculo ad amicos Indos euasit. Qui corpora curare iusserunt, & liberaliter tractarunt. Regni Mexicani interitu suasit amicis Indis, vt pro libertate sociarent arma. Centum milla ad Cortesium alacriter conuenerunt. Nauigia Cortesius adornare, quibus Mexicum à lacunis, à quibus erat circumsepta, faciliùs oppugnaret. Sic terrâ, aquâque summo conatu ciuitas tentata. Incredibilia videntur quæcumque in hac expugnatione nostri gesserunt, & quę ab vtraque parte edita in obsidione prolixa facinora. Per partes, vicatimque incredibili labore capta est. Auri, argentique præda ingens. Humana est tanto auro auiditas exatiata. Mirata est posteà Hispania tam immensam auri, argenti, pretiosæ vestis copiam. Immensus *Mexicũ capitur.*

mensus inde nostris terrarum tractus, immensæ quoque diuitiæ accessere. Cum illis luxuries, & auaritia creuit. Nouus orbis à magno Cortesio additus Ecclesiæ Dei. Hoc illi satis ad laudem. Marchionatus tamen Vallis titulus accessit regia liberalitate, pro rebus tam præclaris leue solamen, cùm ipsa præclara facta maiores titulos exornare potuerint. Mexicano Imperio Hispano adiecto, in altero orbe gloriosus, & facinoribus admirandus Cortesius Hispaniam repetijt. Consequentibus annis arma ad vlteriora promota Peruanum Imperium inuaserunt. Fratres Pizarri Cortesium imitantes in hoc bello duces grandia pericula susceperunt. Ex his Gonsalius, excitato ciuili bello, socios stimulante auaritia, immenso terrarum spatio fretus, prauo cõsilio desciuit. At dum putat priùs quàm Hispania rebellionem persensisset, opes suas posse confirmari, citiùs quàm tin uerat, industriâ, quàm armis oppressus inconsultę perfidiæ pœnas dedit. Non desunt qui excusent.

Pizarri Peruanū regnum inuadūt.

DE BATVECIS.

CAPVT V.

PROFECTÒ dum nostra fastidimus, aut negligimus, inhiamus alienis. Hispanis auri, & argenti fodinæ copiosiores, & ditior vena, quàm Indis. Attamen peregrinæ diuitiæ, delitiæque tantùm in pretio. Nauigationibus annuis orbem complexi ad inauditas nationes, barbarasque stupemus, cùm magis nos in patria peregrinos admirari debeamus. Iuuat ergo alienis peregrina nostra coniungere. ¶ Ex familia Ducis Albani fœmina, virque sese turpi consuetudine miscuerunt. Intumescente vtero scelus proditum. Ab ira Ducis amasijs quæsitæ latebræ. Sed vbi gentium tutus illis locus in Hispania præcipuè à viro tam potēti seueroque. Ingeniosa tamen necessitas est à metu profecta. Duodecim ferè Hispanica milliaria ab vrbe Salmantica

mantica in ditione prædicti Ducis est locus altissimis montium cacuminibus vndique septus, inaccessusque. Rupes, saxa, densaque sylua vicinis populis illuc penetrandi curiositatem abstulerunt. Visus is amasijs locus ad latebras opportunus, in illos ergo se montes abdunt, & insinuant; paulatimque, qua se monstrabat ascensus, arrepunt, & in fastigium euadunt. Ad cælum se peruenisse putabant, & fabulosos Gagantum montes superasse, metu faciente animos, vt tam inuia mortalibus loca penetrarent. Inde, tanquam in orbe altero, (adeò longe aberant) profundissimam vallem despiciunt, montibus illis vndique clausam.

Subijt illis admiratio loci, & ab admiratione nata curiositas videndi. Ergo se inuicem cohortantes, adiuuantesque, per auia illa, confragosaque se demittunt, & summo tandem labore ad ima perueniunt. Locus erat ab omni semotus humana consuetudine, omnium arborum siluestrium densa sylua amœnitate miranda. Sed ô res inaudita! Repertum ibi genus hominum nulli mortalium aut cognitum, aut auditum. Linguæ nostris nulla notitia. Religio, Dæmonis humana forma sæpius apparentis adoratio superstitiosa. Ad primum aspectum illos, homines humano cultu, ornatuque, corpore amicto; hos, nudos, & Indorum more ab omni hominum conuersatione alienos, admiratos quidam stupor, attonitosque defixerat. Nunquam illis venit in mentem esse homines alios ab se, aut alios terræ tractus. Vallis illa totus illis mundus erat montibus illis inclusa: cum neque humanam vocem, aut aliquid extraneum vnquam accepissent. Inde ergo egressi admiratione, & fama prodigiosæ gentis repertæ vicinos populos implent. Ad rei nouitatem (augente fama vires eundo) factus concursus: à Ducis familia homines armati conueniunt. Superatis montibus explorata vallis. Rogati qui, qualesque mortales? Nihil à barbara lingua perceptum, præter quasdam voces Gotticis temporibus similes, semper illis admiran-

tibus superuenientes homines, cum nullos præter ipsos putarent. Repertæ tamen cruces aliquot vetustate, carieque vix formam retinentes. Rogati, nihil se scire de crucibus illis, nutu, & vocibus inconditis responderunt. Inuenta prçterea quædam arma Gotticis quamsimillima, vetusta rubigine corrosa. Creditum, aut tempore, quo Gottorum, & aliarum nationum arma Romanum imperium inuaseruut, aut in Hispaniæ vastatione, metu sese ibi cum vxoribus homines inclusisse, accidisseque illis, quod orbi primo, culpa parentum filios veræ religionis oblitos ad superstitiosum dæmonum cultum conuersos. Carmelitani excalceati veri cultores eremi in eo secessu extructo monasterio mira vitç sanctitate florent; in quorum monumuntis reperi scriptum. Diabolum sæpius ibi homines delusisse, & sacrosancto Missæ sacrificio, exorcismisque ab Ecclesia deputatis, tanquam è suo Regno, inde expulsum. Accepi præterea à quodam ex ordine Franciscano, qui illuc ad instruendã illam gentem rudem penetrauerat, se quendam annosum conuenisse senem, qui rogatus, se gentemque Gottos esse responderit. Extant hodie ab illis hominibus nepotes in aliquot pagos distributi, qui sedes mutare, indeque exire noluerint, quanuis fidem, & quandam soli culturã admiserint, & iam pane vescantur, cum antea prisco more castaneis, quarum ibi copia, glandibus, & caprino lacte victitauerint. Hæc fando explorata mihi magis. Displicent hæc Ægidio Gonsalio Regio historiographo, qui vicinæ gentis authoritate motus inter fabulas computat. At Hispani certe, incuria laborant passim. Nos maiori nitimur testimonio ab incolis loci, à Carmelitanis monumentis, ab scrinijs Episcopi Caurienfis, ab hominibus aulç Ducis Albani, qui prope illa tempora vixerunt. Inter quos Lupus à Vega Carpius principem locum obtinet, vt in poetica facultate.

ALIÆ

ALIÆ CAROLI IMPERATORIS actiones.

CAPVT VI.

MVLEIVS Hazenus Tunetano Regno à fratre Muleio Roseto, Pyratæ Ariadeni Barbarusæ ope, iubente Solymano Turcarum Imperatore, pulsus, in Hispaniam hoc tempore, anno 1535. profectus, Imperatoris Caroli auxilium implorare, pacto annuo tributo, se, Regnumque precarium habiturum spondere. Imperator Barbari precibus flexus, comparata magna classe in Africam traijcit. Cum vt Hazeno Regnum restitueret, tum, vt pyratæ Ariadeni Christianis molestissimi frenaret audaciam, qui continuis latrocinijs Mediterranei ora infestare solebat. Primum Golettam oppidum à tyranno egregie munitum, incredibili labore expugnat. Itum inde Tunetum. Constiterat Ariadenus instructa acie extra oppidum, magno animo Imperatoris aduentum opperiens. Erat barbaro gloriosum, vt cum tam Magno Imperatore signa contulisse diceretur. Habebat in exercitu Turcarum octo millia, octoginta millia Maurorum. Vt ventum in conspectum Imperator moræ impatiens canere signa, & pugnæ tesseram dare. Pugnatum acriter cum accerrimo hoste, diuque. Ter victus pyrata restituit pertinaciter aciem, pugnamque. Vltimo magna strage superatus, fugam capessijt. Capta Tuneto, plusquam viginti Christianorum millia, ætatis omnis, & sexus barbari pyratæ spolia, Imperator victoriæ testes, per Italiam, Galliam, & Hispaniam sparsit, restitutoque Hazeno in Italiam abnauigauit.

1535. Muleius Caroli Auxiliũ implorat

Ariadeni cum Imperatore pugna.

Tunetũ capta.

Cæsar hæres Mediolani.

Decesserat Franciscus Sfortia Midiolanensis Dux, relicto Imperatore hærede, quam hæreditatem Impera-

toris nomine Antonius Leiua statim adijt, quâm etiam Galliæ Rex ab antiqua controuersia repetebat; qui magna sui, Christianique nominis ignominia contra Carolum arma Solymani sollicitabat. Hæc Imperator corã Pontifice grauiter accusans, Regem ad singulare certamen prouocare. Annitente verò Pontifice inter eos decennales induciæ factæ, cum Imperator perpetuam pacem maluisset, qua in communes hostes arma conuerteret, & certe comparata classe in Turcas ad promontorium Actiacum Hispani egregiè vicissent, si Andreas Auria pugare voluisset: quapropter non sine dedecore inde discessum, clamante magnis vocibus Ariadeno Turcicæ classis præfecto, & Auriæ timiditatem exprobrante. Deinde ad Belgicos motus componendos, quos noua imperata tributa excitarant, cum quatuor tantum comitibus tantus Princeps, magna celeritate, terrestri itinere per Galias confecto, maturare. Hoc in eo à quibusdam accusatur, ab alijs inuicto animo tribuitur, quod se Gallorum Regis, perpetui hostis, fidei crediderit. Sed quæ illi gloria Imperatorem cum quatuor comitibus inermem tenuisse, sub cuius potestate totius Regni viribus accinctus victus antea fuerat.

Andrea Auria timiditas, aut non sincera fides. 1540.

Belgis compositis Argelicam expeditionem, contra sententiam omnium adornare: hæc sola infelix: contra quem non homines, sed hyems, mare, cælumque oborta horrida tempestate pugnauit. Ingens è cœlo imber, sæua procella in mari classem omnem disiecit. Milites in litus expositos limo, & continua pluuia inutiles Mauri adorti, ni Imperatoris præsentia faceret animos, facile superassent. Germani non poterunt impetum sustinere. Quod animaduertens Cæsar nudato ense, in hostes irruit, & eia commilitones, ait, audacter vestrum Imperatorem sequimini. Erubuerunt illi, & per medios hostes irrumpunt. Sic impressione facta, Mauri repulsi, fugatique. Crescebat interim sæuior in mari tempestas, naues multæ submersæ, natantes equi generosi lacrymas excutiebant, hominum impotentiũ auxilium implorantes.

Argelica expeditio infelix.

res. Cortesius noui expugnator orbis, submersa, qua vehebatur, naui, adnatauit: missis duobus smaragdinis poculis immensi pretij. Fœda omnia, & miseranda facies erat. Omnis commeatus submersus famem augere. Equina caro ad Imperatoris mensam venit. Omnia inuicto animo tolerare. Hispanicarũ leucarũ spatio viginti, terrestri itinere, diuerso portui reliquias miseræ classis appulsas milites, sedata tantisper tempestate, conscendere, postremus ipse Imperator. Hæc ad annum 1541. *Naufragium.*

Sequuti Germaniæ motus â Lutheranis excitati, Imperatoris immenso labore, & pari celeritate felicitateque compressi. Nemo vnquam tantam belli molem, audacia tanta superauit adeo, vt ab illo nomen, titulumque Maximi sanciente Pontifice Maximo fuerit consequutus. Regem Galliæ qui magnis copijs ad Belgarum fines constiterat, facta pugnandi copia compellere in Regnum. Ducem quoque Cleuisium sub protestatem redigere. Saxoniæ Ducem, & Lantgrauium Lutheranorum præcipua capita, qui ad centum armatorum millia sub signis habebant, cum quadraginta millibus incredibili felicitate superare. Admiranda sunt, quæ de hac expeditione Germanica referuntur. Pauca ipse referam, quia plena extant commentaria. In fluminis Albis traiectu miracula contigerunt. Loca non inueniebantur vadosa, qua Cæsaris exercitus tuto transiret. & fluuius rapidus pluuialibus aquis auctus, pleno creuerat alueo. Hostes contrariam rippam occupauerant, & innumera multitudine insederant. Hispani milites decem (vix posteritas credet) nudos enses mordicus tenentes, sese in rapidum alueum immitunt, superant, & ad rates, quas hostes ad conuehenda necessaria in contrario littore religauerant, euadunt, retinacula rescindunt, remigantesque, iterum superato flumine, ad nostrum litus appellunt. Ad tam ingens facinus Imperator obstupuit, obstupuerunt & hostes, qui contra decem tantum Hispanos maiora, minoraque bellica tormenta displosa, cum nullum perimere potuissent, admirantes, Hispanos inuulnerabiles esse dixerunt. *1541. Victoria Cæsaris. Tertia victoria*

Ru-

Rusticus præterea quidam iratus Saxoniæ Duci fluminis vada monstrauit Imperatori, qui primus sese in aquas immisit citato equo. Transeunti Aquila è celo leniter aduolitans preire viæ, transitusque dux. Lupus è proxima silua pernici cursu in nostrum irruit exercitum, quem milites, hic est Saxoniæ Dux ingeminantes, ictibus discerpserunt. Hæc & alia memorabilem illam precessere victoriam Exercitum in vlteriori expositum litore Saxoniæ Dux, licet viribus, locoque superior expectare non ausus, conclamatis vasibus, fugit. Instititit fugientibus Imperator dolore podagre tam vehementer impeditus vt vix equo se continere posset. Peruenit tandem ad siluam, in qua CHRISTI CRVCIFIXI conspexit imaginem ab hæreticis crebris arcabutiorum ictibus transuerberatam. Ab equo igitur Imperator se demittens, prosternensque collacrymans ait. *Potes domine, si vis, tuas vlcisci iniurias, Deus vltionum: tuo tamen nomine ego, dummodo propitius adsis, vindicabo.* Hæc ait, & Albanum Ducem cum equitatu præmisit, qui extrema hostium agmina carperet, retardaretque, & ad pugnam compelleret, dum ipse cum robore copiarum superueniret. Factum, vt Imperator præcepit. Hostes trepidi ad præsentis Cæsaris nomen (ô quantum momentum in pugna præsentia Principis!) ordines deserere. Fœda fuga, & fugientium sequuta strages. Dux ipse Saxo in potestatem venit. Quem Imperatoris clementia, ne perfidię pœnas daret, eripuit. Idem postea Lantgrauio contigit. Quibus, & fęderatis ciuitatibus, ad subsidia belli pecunia tantum mulctatis, veniam deprecantibus, multo maiorem clementiam ostendit parcendo quam in vincendo felicitatem. Rex ipse Galliæ coram Pontifice fassus est, Imperatorem insuperabilem esse, quòd pro fide, proque religione pugnaret. O vtinam imitaretur ille, & non ita Regni vires in Christianos exhausisset.

Heretica vesania.

Imperatoris precatio, & victoria.

Regis Gallia dictū de Cæsare.

Irrupit Imperator propterea in Gallias magnis copijs, iratus Regi, cui secundos carceres minitabatur: quod

quod dum ipse Regni vires, opesque pro fide Catholica consumit, ille fines imperij totis Regni sui conatibus inuasisset, Turcasque Christianæ Religionis hostes acerrimos ad infestandam Italiam, cum maxima Gallici sanguinis acciuisset ignominia. Iam ergo victor Lutetiam vsque caput Regni penetrarat, cum ciues tumultuari, ciuitatem cateruatim deserere, & iam se captos putare. Tum multi Christiani Principes ad genua prouoluti, veniam, & honesta pro Galliæ Rege fœdera deprecari. Cuius clementia cum cæteris illius virtutibus præluceret, ira iusta flexa, precibus annuit, & itum in fœdera. *Imperator in Gallias irruit.*

Philippus interea Hispaniæ Princeps ex vxore Maria Lusitana filium Carolum suscepit, sed partus lætitiam turbauit matris interitus. Vocatus Philippus à patre in Belgas proficiscitur. Cui Italia, Gallia, Flandria, & Germania mirandos, antiquos, & fabulosos ludos exhibuit. Concilium Tridentinum intermissum eodem tempore reuocatum est confluenti ex orbe Christiano numero Patrum copioso, qui grauissimis sententijs hæreses Germanicas iugularunt. Omnia hæc ad annũ 1550. contigerunt. ¶ Inculpandi sunt Principes, cum hæreses insurgentes ferro non extindunt, quando communis patrum consensus, neque ratio vnquam aduersus pertinaciam valuit. *Concilium Tridentinum.*

Ingrauescente deinde Imperatoris morbo podagræ, quam ab assiduis bellis contraxerat, Rex Gallus inquietus Hispaniæ hostis diuersa in Imperatorem bella meditatus cum Turcis arma coniunxit. Nihil pensi habuit, quantam Christianissimo nomini, quo Galli Reges gloriantur, ignominiam attulisset. Certe præsentem Imperatorem timens, absentem, & ætate labente voluit prouocare. Pugnatum varia vbique fortuna ita, vt bellum magis gloriæ, quam imperij cupiditate, vel trahi, vel seri videretur. Anno deinde 1553. Ioannes Rex Lusitanus moritur, in ipsa nuptiarum lætitia; duxerat enim Ioannam Imperatoris filiam, quæ Sebastianum Principem *Ioannis Lusitani obitus. 1553.*

Philippus Rex Neapolitanus. cipem peperit. Quo anno Imperator Philippum filium Neapolitanum Regem, & Mediolanensem ducem dixit. Qui cum Anglorum Regina nuptias facere, vt Regnum hæretica fraude deceptum, ab vnitate catholica discissum ad Ecclesiam reuocaret.

Hoc anno bellum Senense confectum est, victis Gallis, & occisso Petro Strocio strenuo duce. Anno deinde

1555. 1555. Philippus Rex ab Anglia in Belgas traijciens ab Imperatore de manu Regna omnia, quæ habebat, accepit, præter Imperium, quod anno sequenti Ferdinando fratri contradidit. Vt qui vixerat inuictus hac via se ipsum vincendi modum inueniret, tantoque gloriosior esset triumphus, vt cum parem, de quo triumpharet, inuenire non posset, sic de se ipso triumphasse videretur, orbe mirante, raro exemplo, & forte immitabili.

Imperator Imperium Regnaque deponit.

1556. Eodem anno 1556. moritur Romæ vltima Iulij B. Ignatius Hispanus Societatis Iesu institutor, qui, etsi nihil aliud, cur sempiterna memoria dignus haberetur, fecisset, hoc ordine instituto, immortalitatē cōsequutus decessisset. Quo etiam Regina Ioanna Imperatoris mater, post annum viduitatis quinquagesimum (heu prolixæ viduitati) decessit. Eodem anno antequam sequenti deponeret Imperator Imperium, bellum inter eum, Pontificemque Maximum excitatum, sequenti extinctum est. Causa gens Columna à Pontifice pulsa, ditione occupata, & suis propinquis addicta. Vocati Galli duce Guissa, à Philippo dux Albanus bello præfectus est. Morbo, & deponentis Imperium Imperatoris fortuna, victi Galli magna clade patriam repetiuerunt. Dux Albanus, occupata Pontificia ditione, Romę ipsum obsidere. A ciuitatis tamē expugnatione, dignitatis reuerentia, lubens abstinuit. Quo anno Imperator inuictus, deposita Imperij sarcina sese in Hispaniam retulit, monasterioque inclusit. Quo mira in perferendis podagræ doloribus patientia, reliquum vitæ peregit. Princeps, cui nemo comparandus & animi magnitu-

Pontifex victus, Gallique

magnitudine, & bellica laude. Cuius domus, quasi ludus quidam patuit, atque officina bellandi, magnorum ducum seminarium. Viros doctos præcipuè coluit. Referam exemplum. Cum Compluti in sancta Ecclesia Magistrali diuinis officijs interesset, relicta sede maiestatis, in Choro cum Canonicis sedere voluit, nunquam se melius sedisse dictitans, quòd inter viros doctos sedisset. Hac duplici virtute, cur orbis dominus esse non potuit, cuius cardo literaria, bellicaque laude versatur? Mortuo anno 1558. omnes nationes iusta persoluerunt. Turcarum Imperator etiam Constantinopoli ritu gentis illi sacrificauit inferias, veneratus mortuum, quem viuum extimuit. Reliquit extra matrimonium Ioannem paternæ virtutis hæredem Philippo filio commendatum.

Honos Complutensi. Ecclesiæ ab Imperatore.

1558.

Imperator Turcarũ Cæsarem in morte honorat.

PHILIPPVS II. HISPANIÆ Rex.

CAPVT VII.

ANNO superiori Philippus Rex Catholicus in Belgarum confinijs Augustam Veremanduorum, vulgo Santquintin, obsidione premere, duce Filiberto Sabaudiæ. Ad eam cum Gallis totis viribus dimicatum. Penes Hispanos victoria stetit, tantâ Gallorum strage, in suo Regno, vt ad triginta millia eo prælio profligata fuerint. Multi è nobilitate, qua cæsi, qua capti. Dux ipse Maris præfectus Gasparus Colignius captus est, vtinam interfectus fuisset! Non ita contra religionem, patriam, fidemque Catholicam impias faces accendisset, Germanicas hæreses in Gallias armasset, patriamque intestino bello perdidisset. Victis Gallis ciuitas in potestatem venit, & tam præclara victoria Philippus

Philippi victoria.

initia Regni auspicatus territo Gallorum Rege, & ad honestas conditiones compulso quod paternam felicitatem suscitasse videretur. Ab hac victoria conceptum Regi votum ędificandi S. Laurentij templum in Escuriali, opus vere Regium, & admiratione dignum, inter orbis miracula computatum. Initia læta intempestiua vxoris Reginæ Mariæ mors turbauit, cum qua Catholica Religio in Anglia sepulta est. Pax deinde inter Hispaniæ, Gallięque Reges ita composita. *Philippus Isabellam Regis Galli filiam ducito. Margarita soror duci Sabaudiæ nubito, cui sua bello ablata restituuntor. Neque Hispanus Burgundiam, neque Gallus Neapolim, Mediolanumuè vindicato.* Philippus inde cum noua nupta Isabella Hispaniam repetijt.

Mariæ Reginæ mors.

Conditiones pacis.

1563. Anno 1563. Salarazius Algerij Regulus magna mole portum Mazalquibirum, & Oranum obsidere. Oranum Comes Alcaudetis egregie defendere; Frater Martinus Corduba Mazalquibirum, incredibili virtute, patientiaque: qui omnem barbarorum impetum fortissime sustinuit, & magna clade obsidionem soluere compulit. ¶ Anno deinde 1565. Philippus Rex, duce Garsia Toleto Melithā à Turcis durissima obsidione, & valida classe iam fere oppressam liberare. Multi eo bello, ex nobilissimo illo D. Ioannis Ordine, in quorum tutela insula est, desiderati. Nostrorum tamen virtute Turci, multis amissis, fugati soluerunt: quorum fuga Christianus orbis magno metu liberatus est.

Comitis Alcaudetis virt'.

1565. *Melitha liberata.*

Ad hęc tempora Petrus Melendus Hispanus, Floridæ præfectus Ioannem Ribaum Gallum, hęresi Luthera:a infectum, cum quingentis Gallis prouinciam occupantem cecidit, cum iam impietatem, qua transfuga fuerat imbutus, gentibus illis propinare cæpisset.

Petri Melendi victoria.

1568. Anno 1568. Dux Albanus, bello Belgico pręfectus incredibili felicitate Principem Aurantium superare. Nulla militum iactura sexaginta hominum millia deuincere, fugare, dissipare, castigatis quibusdam rebellionis suspectis, quorum capitibus Hispanicam sanxit maie-

Ducis Albani victoria.

maiestatem exemplo seuero. Supplicio illo gens irritata, magis, quam ad officium reuocata. *Debent Reges, si utiliter imperare voluerint, subditorum mores penitus habere perspectos. Nam sunt qui blanditijs alliciuntur, sunt qui clementia resipiscant, sunt qui minis corrigantur, sunt qui seueritate fraenentur.* At verò tam diffuso Hispaniæ Regno, toto terrarum orbe sparso, tot diuersarum gentium moribus distincto, quæ prudentia, præter diuinam, adesse poterit? Certe ab eo tempore Celandicę insulæ ad nostram ętatem libertatem continua rebellione tuentur, licet in asperiorem seruitutem inciderint, tributa que acerba, & intolerabiles expertę miserias. Et ô rebelles animi experiētia edocti resipiscite aliquando, quam grauius iugum subistis, à tempore quo Hispanum excussistis. Certe liberæ conscientię libido, cum diuinę legis habenas laxastis, in diabolicę fraudis, & seuissimę tyrannidis imperium concessistis, & ab Ecclesia Catholica auulsi specie tuendę libertatis cum Luthero, Caluino, & impurissimis alijs hereticis in inferno cruciari, quàm cum Petro, & Paulo, cæterisque beatis in æterna beatitate Regnare maluistis.

Regum officium præcipuũ

GRANATENSIS REBELLIO.

CAPVT VIII.

GENS Mahometica, quę tractu Granatensi fuerat relicta, & Ferdinandi Regis Catholici opera, & industria, palam impietate abiurata, sacra nostra susceperat, non veræ religionis amore, sed bonorum iacturę timore, non mentem, animumque purum, sed simultatam, fictamque religionis vmbram occultæ impietati obtendisse monstrauit. Rabies iam diu in nos concepta immaturo partu foras erupit. Causa, quòd Rex Catholicus, habitum, arma, linquamque deponere iussisset. Igitur rebellionis consilia

cum Imperatore Turcarum, & Africanis Regibus communicata. Auxilia promissa tardare. Octingenti Turci tantum appulerunt. Hoc auxilio freti morę impatientes, Regulo quodam Ferdinando Valoris cognomento, ritu gentis dicto, perniciosissimum bellum excitare. Biennio acriter pugnatum. Templa direpta, Sacerdotes crudeliter enecati, Christiani omnes promiscui sexus, exquisitis tormentis discerpti Martyrum numerum auxere. Marchio de Mondexar sępius eos vicit, sæpius tamen resumptis viribus res perditas reparatunt. Ad viginti nostrorum millia eo bello cecidisse proditur, si malum omne, antequam ad apertam rebellionem prodiret, computetur.

Crudelitas Maurica.

Cùm verò iusto exercitu opus esse Rex Philippus didicisset, fratrem Ioannem Austriacum bello præficere, qui in eo tyrocinia deponeret, & paternę felicitatis hęres rebelles Mauros ad deditionem compelleret. Fecit ille, vt spes erat, vicit, non tamen incruenta victoria. Pœna fuit bonorum, sediumque amissio, quarum timore rebelles animos induerant. Dispersis per Hispaniam, amplius coniurandi, coeundique adempta occasio est. In eo bello Ludouicus Quixada Ioannis pædagogus occubuit, vero Principis dolore tumulo mandatus, qui solus ab Imperatore, qui, qualisque Ioannes nouerat, cuius mater, præter eum, nemo hucusque rescinit. Tanta fuit sacratissimo Imperatori pudicitiæ cura! Hæc ad annum 1570.

Victoria nostrorũ.

1570.

DE BELLO NAVALI.

CAPVT VII.

TVRCARVM arma, Cypro expugnata, per Christianorum ora impune volitare, & eorum Regnis terrorem circumferre, & tandem victoria extremum exitium minitari insolentes. Pontifex Maxi-

Maximus re, nomineque verè Pius, & sanctus, Rex Catholicus, Venetorum respublica, quæ Turcis vicinior suæ ditionis Cyprum amiserat, arma sociare, vt superbis victoribus, si quomodo, resistere potuissent. Bis centum nauium Classis comparata, in ea equitum quatuor, peditum quinquaginta millia numerata. Pontificiæ classi Marcus Antonius Columna, Venetæ, Sebastianus Venerius, Hispanicę, & vniuersæ Ioannes Austriacus præerat. E Sicilia ergo, mense septembri, parati omnes aut mori, aut iniurias vlcisci, soluentes ad Echinadas peruenerunt. Ibi hostes Isthmum Corynthiacum, seu Naupactum, hodie Lepanto, multo maiori classe tenere nuntiatum. Ioanni, concilio militari habito, pugna decreta. ¶ Classis deinde hoc ordine disposita. Venetæ naues læuum tenuere cornu, Dextrum Andreas Auria, mediam aciem Ioannes procurabat. Aluarus Bazanus S. Crucis Marchio cum tringinta nauibus seorsum, separatusque à reliquis constitit, pugnam attente speculaturus, vt præsenti periculo aduolaret. Hostes more gentis ordine semicirculari aut lunato procedere. Nostri cum se prius sacra exomologesi expiassent, diuinaque communione refecissent, sacra numina, diuosque tutelares ingeminantes, data tessera irruerunt.

Nostrorū numer⁹.

Non est otium singula persequi. Ingens bellicorum instrumentorum fragor, armorum strepitus, cadentium gemitus. Fumus bombardarum, arcabutiorumque cæli conspectum ademit, & cum meridiano tempore pugnaretur, tanquam in caliginosa nocte pugnatum. Nullum in orbe nauale prælium fama vulgauit maius, nec atrocius. Mare cadaueribus sternebatur, quorum copioso sangiune rubescebat. Ioannes Princeps paucis suos cohortatus Prætoriam nauem, in qua Halibasanus hostilis classis dux pugnabat, inuadere. Accerrima pugna fuit, ad quam vtriusque exercitus robur accurrit: incredibilis vtriusque partis conatus! Tandem nostrorum virtute maior hostium

Memorabilis pugna.

tantus omnes occupauerat timor, vt parum abfuerit, quin ipse Imperator mortem sibi consisceret. Heu quanta recuperandæ Græciæ omissa occasio est! Capta procul dubio tunc fuisset Constantinopolis, si nostri tam magno terrori superuenissent. Sed Græciæ schismate ab vnitate Catholica diuulsæ peccata meruerunt, vt Deus hanc mentem Christianis abstulerit, & vt anno sequenti 1572. Pij. V. Pontificis immatura morte, & Venetorum culpa, qui cum superbo hoste pacisci, quam arridentem fortunam sequi maluerunt, Turcicum bellum refrixerit. 1572.

RELIQVÆ REGIS CATHOLICI actiones.

CAPVT IX.

Rex Philippus mortuæ Isabellæ Annam Maximiliani Imperatoris filiam superinduxit, quod extincto Carolo filio, sine mascula prole Regina decessisset. Suscepit Rex eodem anno filium Ferdinandum. Eius natiuitas cum nauali nuper victoria parta, Hispaniam summo gaudio affecit. At nouo Belgis ad belli sumptus imperato tributo, Hispaniæ res vehementer turbatę. Semperque nouarum rerum nouæ exactiones causę erunt. Irritata plebs ad arma concurrere. Olandicę insulæ desciscere aperte. *O quot, quãtaq; tributa, vnum imperatum tributum absumpsit!* Arãtius belli fax erecta, ad quam hæretici, perditique omnes conuenirent: & *facilius mali, quam boni coeunt.* E Gallia, Germania, Britannia venerunt illis auxilia. Dux Albanus magna prudentia bellum tractare. Cuius filius Fridericus Gallorum copias, quæ auxilio, magnis itineribus properabant, ingenti strage, capto duce, dissipauit. Pater Aurantium cum exercitu fugauit, & à finibus

finibus Belgarum iterum eiecit. Tandem post præclaras res gestas in patriam reuocatus, Ludouicum Requesenem D. Iacobi Promagistrum successorem accepit. Cuius moderatum, leneque imperium Belgas, & Batauos ad officium reuocare potuisset, ni semel exacerbati, aut potius Lutherana hæresi efferati, prauæque conscientiæ stimulis agitati, præcipites agerentur.

Goletha amissa. *Hispanorum facinus.* Quo tempore Hispanorum secessione, propter dilata stipendia, res in summo periculo constitutę sunt. Turci præterea, noua comparata classe, vt superioris cladis ignominiam delerent, in Africa Goletham oppidum prolixa obsidione fatigatum expugnate. Hispani rebelles propter stipendia militaria Antuerpiam incredibili audacia capiunt, diripiuntque. Quatuor Hispanorum millia aduersus infinitam multitudinem irruperunt. Abunde pręda ciuitas opulēta stipēdia suppleuit. Sic ad vexilla reuocati. Moritur interea Ludouicus Requesenes, & Ioannes Austriacus, Belgicis rebus destinatus à Rege, patris memoria inualescenti morbo mederi voluit, miti, lenique medicamine. *Ioannes in Flandria.* At contaminati, pertinacesque, simul ac cum libertate pestilentis perfidiæ venenum imbiberunt, ad insolentia postulata conuersi, cum imperio pudorem simul exuere. Redditi duriores, se ad obedientiam reuersuros promittunt, finguntque, dummodo Hispana militia molestissma ipsis è prouincia discederet, vt pacis, concordięque velamento Hispanorum imperium, tanto præsidio destitutum effrenes inuaderent. Annuit Ioannes postulatis iniquis, vt nullas imperij recusandi causas amplius prætenderent.

Philippi 3. natiuitas. *1578.* Hispani discedere iussi ab itinere reuocantur à Ioanne iam à coniuratis, perfidisque hominibus fere oppressio, ni se loci munitione defendisset. Reuersis Hispanis in prouinciam nouo conatu bellum reparatur. Anno 1578. Quo nascitur Philippus Princeps Hispaniæ postea Rex, quòd cæteris fratribus superuixerit. ¶ Quo anno Sebastianus Rex Lusitaniæ, ardore iuuenili, Africæ

Africę bellũ inferre. In quod, & religionis propagandę studiũ, & vehemens glorię cupido perpulit, licet Philippus Rex præcipitem Iuuenem, ab illa temeraria cogitatione, qua in manifestam perniciem ruebat, pro insita prudentia deducere conaretur. Adornata ergo ingenti classe, totius Regni viribus, cum auxiliaribus copijs, in Africam traiecit.

Sebastiani Regis temeritas, & obitus.

Causa belli quæsita, vt Muleius Rex pulsus, qui se Regi Lusitano crediderat, in Regnum restitueretur. Expositum in Africa exercitum, nulla militari disciplina, per sabulosa loca, siti, fameque confectum ducere in hostem, & collata signa, periculosissimo tempore, & iniquissimo loco. Non diu pugnatum. Cæsi dissipatique Lusitani siti, quam hostium virtute deuicti. Nulla eo tẽpore pugna nobilior, neque maiorem vnquam cladem passa est Lusitania. Tres eo prælio Reges occubuerunt, Sebastianus dum militis partes egregie implet, fortiter pugnans cecidit. Moluchus morbo sublatus, Muleius in transitu fluminis, vel aquarum vorticibus absorptus, vel occisus ab hostibus.

Tres Reges vna pugna necati.

Eodem anno Ioannes Austriacus qui studio pacis omnia Belgis concesserat, detecta coniuratione, reuocataque Hispana militia, victoria memorabili hostes fugare, viribus accisis. Octo millia hostium cæsa, è nostris octo tantum ceciderunt. Cæteri disiecti, & oppida plurima recepta. At dum bellum reparatur; & spes erat Ioannis auspicijs omnia postliminio restitui posse, heu Princeps magnæ spei, immatura morte, ętatis flore decessit. Vir omniũ indicio, qui, si vita illi diuturnior fuisset, parentis gloriam æquasset. Successit Alexander Farnesius, gerendo bello dux prudens, & militari disciplina clarus.

Ioannis Austriaci mors.

Alexander Farnesius.

Lusitaniam Henricus Cardinalis affectæ iam ætatis, morte Sebastiani suscepit patruus. Quo mortuo Rex Philippus, cui Regni ius præcipuum vt tunc disputabatur, armis Lusitaniam inuadere. Reliqui, qui Regni ius ad se pertinere contendebant, armis

Hẽricus Lusitanus Rex vltimus.

quoque occupare tentarunt. At Rex Philippus & iure potior, & armis potentior, & Regnum, & ius obtinuit, & sic vniuersa Hispania sub vno principe ad vnum corpus redijt.

Philippus Hispaniæ Rex. Reginæ mors.

Ardebant interea Belgi perniciosissimo bello. Principes ciuitates Antuerpia, Gandauum, Tornacũ, & aliæ in armis erãt. Moritur intereà Hispaniæ Regina, tribus liberis Ferdinando, Didaco, & Philippo relictis, ex quibus Philippus paulopost superstes regnauit. ¶ Eodem tempore Hispanus quidam nomine Xauregui, seu gloriæ, seu religionis amore, Principis Aurantij necem meditatus, ictu tormenti bellici displosi, belli facem pene extinxit. Comprehensus diris tormentis discerptus præclari facinoris testimonium reliquit. Eius exemplo postea Burgundio quidam felicior, insinuatus in familiam herum enecauit. Hac parte bellum extinctum. At exquisitissimis quoque tormẽtis dilaniatus, nullum eiulatum, aut sensum doloris edidit, sed psalmos, & hymnos decantans obijt, patientia singulari, & alacritate mira. Balthasar Gerardus nomen erat.

Balthasaris Gerardi facinus.

Antonius nothus interea à Rege Philippo fugatus, quòd se, tanquam Regi propinquior, Regem dixerat, Gallorum, Anglorumque armis fretus insulas, quas nomine patrio Terceras appellamus, occupare. Regnum Lusitaniæ repetere, & erat accersendis auxilijs locus opportunus, sed ab Aluaro Bazano S. Crucis Marchione memorabili, naualique pugna superatus, Regni spem amisit. Gallorum ingens strages. Philippus Strocius belli dux cum primoribus cecidit. Antonium fuga seruauit, qui Anglorum auxilijs iterum, sed frustra, fortunam tentauit. Hæc omnia ad annum 1582. Quo ego primam hanc lucem aspexi, vtinam meo, reique publicæ cõmodo. Quo etiam moritur B. Tiresia Carmelitani ordinis reformatrix, miraculis, & vitæ eximia sanctitate illustris. Sequenti anno Dux Albanus Ferdinãdus obijt, vir bello, paceque veteribus heroibus comparandus, vna tantum seueritatis nota plerisque non ita probatus.

Victi Galli, & Antonius fugatus.

Natiuitas authoris. 1582.

B. Tiresiæ obitus.

DE

DE RAYMVNDO LVLLO.

CAPVT X.

HIs annis Raymundi Lulli ſcripta in Hiſpania celebrari cepta. Fuit Raymundus ciuis Barcinonenſis, alijs Maioricẽſis: in aula Iacobi Regis Balearici ad honores Regiæ admiſſus: inſano cuiuſdam fœminæ pulcherrimæ dementatum amore ab illa reuocatum ad mentem proditur, oſtenſis nudis vberibus cancere fere depaſtis, admonitumque videret quam pulchritudinem deperiret, corporis, animęque perniciem. Sic Aulę, mundoque nuntio miſſo, in eremum ſeceſsit, diuinęque ſe contemplationi dedit. Affirmauit ipſe à Chriſto Domino in effigiẽ cruci ad fixi conformato, ſibi apparẽte, diſciplinas omnes accepiſſe. Floruit ad annũ 1270. Apud Bugiam in Africa, quòd contra Mahometicam ſuperſtitionem Chriſti fidem aſſereret, lapidibus appetitus occubuit. Corpus ad Balearicas tranſlatum clarum miraculis cultum volunt incolę. Forte errant ſi abſque Apoſtolica authoritate faciunt. Scripta cenſura Eccleſię damnata Gregorio XI. & Aymerico generali inquiſitore, & ab Archiepiſcopo Compoſtellano errores multi, hęreſes plurimę in eis repertę, quibus damnari meruerunt. His tamen annis aſſerta opera à Lulliſtis, & nouę cenſurę oblata. Qui antiquos errores in illis non reperiri probant, falsò impoſitos à maleuolis tunc, nunc vera dari exemplaria. Certe nos ingenio tardo, aut bardo, occultã, & inauditam illam diſciplinarum viam non aſſequimur; propterea meritò à iudicio abſtinemus, cum modo vetita, modo permiſſa reperiamus opera. Qui plura deſiderat adeat Abrahamum Bzouium Magni Baronij Annalium proſequutorem anno 1372.

Anno 1585. Alexander Farneſius Magna Hiſpana-

Alexandri Farnesij gesta

rum rerum felicitate Antuerpiam, Gandauum, & alia oppida recepit. Extant commentaria nostro idiomate de hoc bello, in quo Hispanorum gesta referuntur scitu digna, & lectu iucunda.

Classis Hispaniæ submersa.

Eodem tempore Philippus Rex, vt necem Mariæ Stuardæ Scotiæ Reginæ, quæ pro tuenda religione Catholica, iubente Isabella Regina impurissima, datis ceruicibus, fortiter occubuerat, vindicaret, ingentem comparare classem, quâ vi tempestatis in illo turbulento mari Anglico disiecta, prudentissimi Regis consilia dissipata. Ad annum 1590. nihil gestum memoria dignum, præter validissima auxilia, quibus Rex Philippus, duce Alexandro Farnesio, omissa, & pene amissa Belgica, Hispanorum auxilio destituta, Catholicos Gallos, & præcipuè Parisios, qui dira fame premebantur, fouit, & Henricum III. Regem obsidionem soluere compulit, cum intestinis bellis, ciuilibusque fluctibus arderet vniuersa Gallia. Sic Rex pius propria non dubitauit amittere, dum alienis commodis prospicit, quotiescumque extirpandæ, aut opprimendæ heresis sese ostendisset occasio. Accusent licet Philippum ij, quibus res humanæ curæ tantum: pro Rege nostro diuinæ perorabunt. Belgas pene amisit, dum Catholicis fauet, fateor, at religioni, pietatique consuluit. Diuina prætulit humanis.

Catholicos Gallos defendit Rex.

Motus Aragonij

Sequuntur Aragonij motus. Causa Antonius Perezius Regis secretarius è vinculis ad Aragonia iura elapsus. Vulgus cuius formidabiles esse solent vires, correptis armis, pro defendẽda sui iuris libertate, turbas concitare ingentes. At dum Antoniũ defendunt, carceresque refringũt, Enecum Mendocium Marchionem Almenarium populari tumultu trucidant, Regisque iram, seueritatemque prouocant. Ergo duce Alfonso Vargas, viro impigro, misso cum exercitu, sontes puniti, motus repressi, castigatique in posterum. Eorum Tribunus plebis (Iustitiam vocant) pęnas publico supplicio pro omnibus dedit.

Anno

Anno deinde 1596. Franciscus Dracus Anglus Pirata, qui sępius nouum orbem latrocinijs vexauerat, ab Hispanis victus morbo perijt. At Angli, incensa nostra classe, Gades crudeliter expilare. Nostrorum culpa tantum accidisse malum ferebatur. Albertum Belgarum Principem dixit Rex Imperatoris filium, propinquumque, & illi maiorem filiam Isabellam matrimonio locauit. Tandem anno 1598. Rex Philippus obijt, anno vitæ septuagesimo primo. Regni quadragesimo secundo, cum Hispani apud Belgas, & Gallos euentu fęlici pugnassent. Petrus Toletus, & Petrus Leiua Patras in Græcia diripuerunt, nundinarum tempore, quo Turcarum, & Iudæorum multitudo confluxerat. Pręda ingens, & strages multa. Classis spolijs onusta Italiā, Siciliamque repetiuit. ¶ Ferdinandus Tellus Ambianū in Gallia cæpit. Antea comes Fontanus Petrus Henricus in Belgis multa oppida qua expugnauit, qua recepit. Quibus Philippus vniuersæ Hispaniæ Rex, Indiarum Imperator, triumphator magnificus, cognomento PRVDENS, relicto Philippo filio hærede, decessit.

Franciscus Dracus moritur. 1596.

Mors Philippi Regis.

Patras à nostris direpta.

PHILIPPVS III. HISPANIÆ Rex.

CAPVT XI.

PROCVRATO Patris funere Rex Philippus, cognomento BONVS Regni gubernacula suscepit. Primo pactas cum Margarita Caroli Austriaci filia nuptias fecit, vniuersa Hispania, & Italia in festos ludos, & publicam effusæ lætitiam. Ferrariæ, quam tunc summus Pontifex hęreditatem cernebat, sponsalia Pontificijs cęremonijs, per procuratores celebrata. Valentię in Hispania reliqua est peracta solennitas. Inde Rex Barcinonem Albertum, & Isabellam

Isabellam Belgarum principes, qui nouam nuptam fuerant comitati, deduxit, qui inde in prouinciam soluerunt.

Hęc anno 1599. Quo dum ego Compluti primæ Philosophiæ redimenta deponerem, Garsias Loaysa

Garsias Loaysa. Toletanus Præsul immatura morte Complutenses in lu-

ctu reliquit: & in nostra sancta Ecclesia translatitio funere

Bernardus Sādoualius. ad sanctos martyres sepultus est Cui Bernardus Sandoualius successit, qui me nihil tale cogitantem anno 1612. Complutensem Portionarium elegit, quapropter ab eius

1605. inuitus laudibus abstineo, ne in mea causa patronus videar.

Autor operis Portionarius Complut. Anno deinde 1605 Valisoleti nascitur Philippus Princeps, & pax cum Anglo, insulisque Zelandicis composita.

Natiuitas Philippi 4.

Anno deinde 1610. celebris fuit ab vniuersa Hispania Maurica expulsio. Apud gentem perfidam, neque Regum beneficia valuerunt, neque clementia profuit, quominus in nostra capita coniuraret, & cum Turcis, & Africanis secreta de inuadenda Hispania consilia iniret.

1610. Accessit perfidię comes nostrę susceptæ religionis ab-

Maurica expulsio. iuratio, & occultæ Mahometicę superstitionis cęremoniæ. Quę omnia cum idoneis testibus comprobata fuissent, quanuis maiestatis damnati, miti sententia, tantum Hispania pulsi diuersas mundi partes implerunt. Ad nouies centena millia capitum expulsa memorię proditur. Sic gens ingrata post tot sæcula Africam repetiuit, & à Mauris spoliata, pænas excogitati facinoris persoluit.

Anno sequenti Margarita Regina vero totius Re-

1611. gni dolore decessit ex partu, fœmina pręcipuę sanctita-

Regina Margarita obitus tis, & religionis. Alfonsus filius anno sequenti sequutus in cęlum est matrem. Masculę prolis reliquit filios tres. Philippum, Carolum, Ferdinandum, Femineæ, duas. Anna natu maior Gallorum Regi, cuius etiam soror Isabella Principi nostro Philippo hæredi matrimonio vincta est. Sic pax inter Galliam Hispaniamque firmata.

Anno 1613. Hispaniæ Rex Ferdinando Mantuano Duci

Duci valida mittere auxilia contra Sabaudię Ducem, orto bello repetitoque iure, & controuersia de Monferratensi Marchionatu:& ob nouas dissensiones ortas de iure dotis pactæ viduæ sororis Ducis Sabaudiæ, vxoris Francisci Mantuani fratris præsentis Ducis,qui Cardinalitio pilo renuntiarat, & vxore ducta, ex Pontificia dispensatione, Hispanorum ope ad hodiernam diem ditione securè fruitur. Aucta est autoritas nuptijs cum sorore Ferdinandi II. Imperatoris. ¶ Anno 1614. Ludouicus Faxardius comparata valida classe Mamoram oppidum, in ea Africæ parte, quæ occidentem respicit, Hispanicis classibus molestissimum, piratisque opportunum expugnare, in loco portuoso ibidem erecta turri, validoque præsidio imposito, victor in Hispaniam rediijt. Sic mare illac nobis tutum ab hostium formidine, securumque nauigantibus redditum. Præda à gente vaga nulla. Sat erit si præsidiarij milites inter feroces, & barbaros populos conseruare possint parta: cum assiduè rapto viuere cogantur, & ad Hispania tarda præsidia sint, vt mihi milites ipsi retulerunt.

Nuptiæ Regum. 1613. 1614. Mamoræ expugnatio.

DVPLEX DE TVRCIS victoria.

CAPVT XII.

Ossvnáe. Dux Petrus Gironius Siciliç Prorex, inter Hispaniæ duces, militiæ quam domi felicior. Militari laude, Turcarum, Maurorũ, & aliorum Hispaniæ gloriæ inuidorum arma magna felicitate superare. Domi verò; heu casus humani! verone, an falso? administratæ reipublicæ laborauit inuidia, & indigno tam præclarè rebus gestis fine, quãuis Deo clementissimo grato, solicita æternæ vitæ cura, omni tam excellentissimo viro digno procurato-

que

que decessit in libera custodia. Anno præcedenti, octo tantum nauium classe, ad Africana litora Charchelium oppidum diripuit, mille Turcas cecidit, & præda satis diuite, victor in Siciliam rediit. Signa militaria, tormenta bellica simul abacta. Eadem classe duce Octauio Aragonio ad mare Ionium Turcarum decem naues deuicit, captis septem. Tres aliæ fuga elapsæ ingenti terrore Constantinopolim impleuerunt, ac si totius Hispaniæ vires Turcarum ceruicibus incubuissent. Quatuorcentum Turcæ cæsi, sexcenti capti, hoc prælio; mille ducenti Christiani libertatem consequuti. Sinanus Bassa inter primos cecidit, classis dux. Captus Mahomethus illius Hali filius, qui superiori nauali prælio à Ioãne Austriaco dux occubuit; è nostris sex desiderati. Et quod magis miremur, vidente, & gemente maiori Turcarum classe, quæ triginta naues in auxilium miserat. Idem Octauius octo hostiles naues, quas Mauri ab Hispania pulsi comparauerant, superauit, pugna nouem horarum spatio pertinacissime sustentata.

Octauius Aragonius dux victor.

Lezcanus prætera dux impiger nauem Mauricam fortissimam cepit. Quibus mare Christianis redditum est tutum, & Turcarum Imperator vehementer commotus adeò, vt facta cum Rege Persarum pace, totis viribus de inuadenda Sicilia cogitauerit. Ergo classe octoginta nauium Melitham primo tentare. Sed à militibus D. Ioannis repulsus litora Africana legere, & Tuneto commeatu, præsidioque instructo, remigrare, nullo operæpretio facto.

Lezcanus dux victor.

Præmissus à Filiberto maris præfecto Didacus Pimentelius cum duabus nauibus, vt Turcicæ classis exploraret consilia, duas hostiles cepit, tercentum Turcis captis, occisis aliis, quatercentum Christianis liberatis, & vniuersa Turcica classe delusa in Siciliam rediit.

Prodigiosa Hispanorum victoria

Anno 1615 Incredibilem Hispani sunt consequuti victoriam, quæ Othomani Imperii superbiam fregit. Imperator ergo Turcarum superioris cladis ignominia com-

commotus, centum nauium classem Zaphero Bassæ impigro, fortique duci his verbis tradidit. Acceperas clades hac vindicato classe. Et maiori illato, quàm quod accepimus, damno, victricia nostra circunferto arma. Sic nostram stabilias oportet maiestatem, aliàs tuo capite eam sanciam. Soluit ille, aut vincere, aut mori certus. Ossunę Dux Turcarum consilia prudenter coniectare, & melius multò Turcas in suo Regno inuadere, quam inuadentes expectare. Francisco Riberæ ciui Toletano fortissimo viro classem octo nauium, grauissimis verbis cohortatus, tradit. Mille tantum erant Hispani, sexcenti cætera turba. Quid ergo tam pauci aduersus Ottomani vires validissimas? Sed audi portentum, quod vix posteritas credet.

Ventum ad mare, quod Cyprum insulam alluit. Cypri gubernator primus de nostra conspecta classe Zapherum admonet, & numerum nauium exponit. Qui statim cum quinquaginta octo nauibus in nostram tanquam ad prædam certam, contempta nostrorum paucitate, nauigare. *Et sæpe hostium contemptus exitium attulit.*) Ergo gentis more ordine lunato nostram obsidere Turcæ, & Cornua, ne nostræ naues elaberentur, explicare, & ad prędam (vt diximus) irruere. Excipiunt impetum nostri, & primas naues, edita magna strage repellunt. Instant Turcæ in rabiem acti, quòd tam pauci fortissimis Turcis resistere potuissent. Et erant in Turcica classe octo Genizarorum millia, flos militaris disciplinæ. Resistunt nostri, & vrgent. Fit atrox pugna toto integro die, quam nox diremit victoria dubia. Franciscus Ribera ea nocte prętoria naui duplici funali sequentis diei pugnæ signum proponere. Mirantur Turcæ ad nouum certamen prouocari ab ijs, quos fractis viribus fugisse putabant. Non patitur suscepti operis breuitas singula recensere, Hispanorum incredibilem constantiam, & fortitudinem explicare. Triduo constanter pugnatum. Hispanos glorię cupido, Turcas pudor accendere. Vltimo Die Zapherus Bassa Turcarum

Atrox pugna.

dux, dum vltimum conatum ostentat, cum optimo quoque cadit. Cadentium Turcarum eiulatus miseri nostris faciebant animos. Sequenti nocte Turcas jrebus perditis, ac deploratis terror panicus inuasit, cum animaduerterent nostros, ad quarti diei pugnam accensis funalibus, alacres. Ergo amissis vigintiquinque

Ingens nostrorũ victoria.

nauibus, quatuor submersis, reliquis ad pugnam ineptis, amissis termille ducentis Turcis, sublatis anchoris fugerunt. E nostris tres, & quadraginta, è nautis viginti octo desiderati. Nulla victoria in orbe nobilior, nec maius iustitium Constantinopoli vnquam indictum, nec fortitudinis ostentatio maior. Franciscus Ribera, dum it, reditque, nõ pauca Turcarum actuaria nauigia capere. Ergo diuite prędа onustus, sed maiori gloria illu-

1617. strior Panormũ more triumphãtis appulsus ab Ossunę

1620. Duce publicè laudatus, & magnificè exceptus est. Quem

Philippi mors. postea Rex D. Iacobi cruce insigniuit. ¶ Anno 1617. Protractum bellum inter Hispanos, & Sabaudiæ Du-

1621. cem, sequentibusque: quo Vercellarum vrbs cruenta satis victoria à nostris expugnatá est. Postea tamen pace composita restituta. Anno 1620. Vallistelina, qua transitus in Germaniam Ræthis, siue Grisonibus vnita, auxilio Ducis Feriæ Mediolanensis gubernatoris, in Hispanorum potestatem venit, Catholicis ibi in hęreticos rebellantibus. At paulo post à nostro Rege restituta, & cautum Catholicis, Principibus Christianis enixe id curantibus.

Anno deinde 1621. Philippus Rex moritur anno ętatis 42. Regni vigesimo secundo. Morum suauitate, studio Religionis, & castimoniæ laude clarus. Nullam præter vxorem attigisse fama est. Cæterum morti proximus vehementer exhorruit. Sed cur? *Videant Reges, an fuisse Reges pœna grauis in morte: præcipuè si Regnum tanquam suum, non vt populum Dei, rationem reddituri, administrauerint.* Hoc illi solatium singulare quòd nullius mortiferi peccati conscius obijsset. Filios vocauit, quibus postrema monita dedit, coramque casti-

caſtigatos, & admonitos quàm vana hęc, dimiſit. Luxit Hiſpania ſui Regis florentem ætatem, cum ad Regni gubernacula maturior meliora promiſiſſet, intempeſtiuę mortis falce demeſſam.

PHILIPPVS IV. HISPANIÆ Rex.

CAPVT XIII.

A PATRIS funere Philippus filius hoc nomine Quartus Regnum ſuſcepit, adoleſcens magni ſpiritus, & feruentioris ingenij, quàm pater. Initia læta fuerunt, victorijs illuſtrata. Primum effuſa liberalitas paterna ad rationes reuocata, correctaque. Ablegati à Regia patris familiares, admiſſi alij, & mutata omnia. Rodericus Calderonius prętoriæ Cohortis dux, capite plexus exemplum poſteris fuit, ne priuatus quiſpiam diuitijs inſoleſcat, & plus ęquo apud Reges ſibi prçſumat. *Roderic• Calderonius punitus.*

Vna è duabus nauibus Luſitanis ab vniuerſa Claſſe hoſtili petita, triduo pugnauit egregiè. Septem contrarias ſubmerſit, & ni reliquę, cum vi non poſſent, ad artes ſe conuertiſſent, euaſiſſet illęſa. Hoſtes eminùs igneos globos in eam conijcere, quorum vnus, vbi omnis erat ſulfuratus puluis repoſitus, cecidit, momentoque concepta flamma combuſta, lamentabiles diuitię perierunt. *Vnius nauis pugna.* Sed paulopoſt ad Gaditauum fretum hoſtes in Friderici Toleto claſſem incidentes combuſtę nauis abundè pęnas ſoluerunt, omnes aut captę, aut ſubmerſę. Pari fęlicitate in orbe nouo cum duobus piratis, Anglo altero, altero Gallo, pugnatum. Quinque naues captę, omnes ad vnum gladio perempti. *Claſsis hoſtilis ſubmerſa.* Altera Friderici Toleto ad fretum Gaditanum pugna celebris fuit. Nouem nauibus aduerſus viginti quinque Zelandicas dimicanit, ſuperauitque, quamuis non incruenta victoria. *Friderici Toleto victoria.*

Ddd 2 His

His victorijs Rex Philippus noui Regni firmabat opes in Hispania, cum alijs in Germania, duce Gonsalio Corduba gloriam gentis augebat. Ab Imperatore, duce Babariæ Principe, & Comite Tillensi à Germania: à Belgis duce Gonsalio Corduba pro Rege Phipo, sociatis armis aduersus rebelles euentu fœlici pugnatum. Hostes fracti, Palatini vires accisæ, omnis Palatinatus in Austriacæ domus potestatem venit, superato Daniç Rege, & Anglorum auxilijs deuictis. Sed hæc omnia paulopost, cum cætera ad annum 1622. contigerint. Quo tempore multa Hispanorum nomina in sanctorum numerum à summo Pontifice sunt relata. Teresiæ Virginis, Ignatij, Francisci Xauerij, qui duo prima fundamenta Religiosæ gentis Iesuitç fuerunt. Isidori Matritensis agricolæ vitæ sanctitate, & miraculis clari. Sic à propagata religione arma promota.

1622. Hispani sanctorũ numero adscripti

Ioannes Manricus Orano in Africano littore præfectus delecta manu suorum hostiles agros inuadere. Captiuorum corpora non pauca, pecorum, armentorumque diuitem abigere prædam: cum Mahometicç sectæ Morabiti (sic Religiosi superstitionis illius eremitæ appellãtur) vniuersam gentem tractus illius, euulgara peccatorum venia, (Guazah vocãt) pro ijs, qui in bello fortiter occubuissent, tanquam iubente suo Propheta, promissa certa victoria, concitarunt ad arma, vt expugnata Orano iniurias vlciscerentur. Triginta peditum millia, equitum quatuordecim, sine militari disciplina, conuenerunt. Armorum, & commeatus nulla cura erat, tanquam ad certam victoriam aduolauerant tumultuario delectu: sic iusserant vani homines illi, promiseran que. Quod Ioannes Manricus animaduertens, inconditæ multitudini suorum opposuit paucitatem. Primo tormentis bellicis Maurorum multi prostrati, reliquusque turbatus exercitus. Pugnatum diebus aliquot, Morabitis pertinaciam suadentibus. Rex Cidus Taxar, & primores gentis cadunt. Fœda seductç multitudinis fuit strages reliqui terga vertere.

Ioannis Manrici victoria.

Illustrior

Illustrior Gonsalij Corduba victoria de Mansfeldio, & Herbelstadio in finibus Hannoniæ, vbi rebelles Hæretici cum nostris acriter pugnare. Eo prælio nostri octingentos, hostes quingentos supra sex millia amiserunt, cum omni commeatu & bellicis tormentis. Mancus Herbelstadius fugit, & fugit quoque Mansfeldius. Illi fortissimum quemque, nos Franciscum Ibarram virum militari gloria celebrem amisimus.

Gonsalij Corduba victoria. Fräcisci Ibarra. nex.

1623.

Anno sequenti, Carolus Anglorum Princeps à patre Iacobo Rege in Hispaniam directus, à Rege nostro solenni, regioque apparatu exceptus nuptias Mariæ Philippi Regis sororis ambire. Disparitas religionis pacta, conuentaque dissipauit. Certe Princeps Regia, Hispanicaque liberalitate, & magnificentia remissus in patriam est. Nostro bono contigit, vt nuptiæ illæ nullæ fuissent, vt felicioribus auspicijs, ab Austriaca propriaque domo, inclyti Ferdinandi Imperatoris proles peteretur tam magno matrimonio.

Carolus Anglorũ Princeps Nuptiæ Mariæ Principis.

HISPANORVM ARMA FELICITER volitant.

CAPVT XIV.

BLASIVS Tellus Menesius Lusitanus, nobilitate pariter, & militari gloria illustris, Mazagano præfectus, Mauros Olãdicis fraudibus impulsos, magno numero ad opprimendos Lusitanos confluentes, ingenti felicitate superauit. Cum quatercentum octoginta militibus, oratione prudenti confirmatis, ab oppido egressus, pugna quinque horarum incredibili strage, & meraculosa victoria vicit, vno tantum è nostris cadente, & viginti vulneratis.

Lusitanorum victoria.

Non aliter apud Sinas ab eisdem din icatum. Quindecim naues Olandicæ Macaonem Lusitanorum frequẽtissimũ emporium appulsæ, præsidium ibi deleturæ, & nouo

Sinas

Sinas fœdere allectura, nouoque commercio pellecturę, à sexaginta Lusitanis, quibus adiuncti serui egregiam operam nauarunt, repulsę, septingentis amissis abnauigare coguntur.

Maris prefectus Ribera de Mauris ab Hispania expulsis, quibus Turci multi, & ab Argerio Mauri non pauci se miscuerant, nobilem victoriam tulit, submersis nauibus tribus, & vna magna oneraria capta, multis libertate donatis, diuite preda. Sequentibus annis hęc memoria digna. Breda nobile Belgarum oppidum, alendæ hereticæ prauitati, sustentandæque rebellioni opportunum, quòd ab ea parte Antuerpia, & aliæ Belgicæ nobiles ciuitates hostilia pati solerent, totis viribus obsessum, biennio, duce Spinula, magnis sumptibus expugnatum. At cum nuper Bolduchum ipsis opportunam amisissemus, damnum, licèt non ęque, compensatum est. Olandicis prætere a rebus his annis Hispanorum arma molestissima fuere. Terra à nostris, & Imperatore quidquid cis, vltraque Rhenum in potestatem redactum, Comite Palatino spoliato tota ditione, quòd contra Imperatorem, Regia vsurpata autoritate, Imperium rebellione turbasset. Mari bellica nauigia, & piscatoria, quorum illis ad victum præcipuus vsus, quæ capta, quæ submersa, & piscatio dissipata. Sequuta inde insulis annonæ caritas, & belli detestatio, quòd tot malis se implicuerint, vna rebellionis culpa. Et profectò si non prauo, perniciosoque consilio, ab Hispano Rege, Catholicaque religione desciuissent, insulæ omnes illæ beatè, felicissimèque Regnarent. Vna tantum à vero domino impudens, pertinaxque defectio malorum omnium illis erit seminarium. Experiuntur, sed non resipiscunt.

Ribera victoria.

Breda capitur.

Eadem fortuna apud Brasiliam pugnatum. Angli, Olandi, Gallique piratę, comparata classe, portum in ea occidentali plaga, expugnato oppido, tenuerunt, munieruntque. Conuecta eo necessaria, socij alij exciti, Annonę, commeatus, naues validæ accersitæ. Quibus instructi infestum nostris nauigantibus mare reddere, indeque

indeque tanquam ab ſpecula, claſſes noſtras ab orbe nouo anniuerſarijs diuitijs onuſtas explorare, & qua ſe dabat occaſio, tanquam ad prędam conuolare. Creſcebat in dies malum confluentibus multis, quod non contemnendum experiebamur quotidie, & occurrendum citius, antequam latius ſeſe hoſtilis audacia diffunderet, iudicatum. Ergo duce Friderico Toleto, alijſque tam à Caſtella, quam Luſitania fortiſſimis, nobiliſſimiſque viris, claſſis adornatur. Hoſtes id ſubodorati, pretioſa quęque in loca munitiſſima contulerant, & ad tuenda bello parta, cum nulla euadendi ſpes eſſet, niſi ferro via quæreretur, noſtros expectare. Appulſi noſtri terra, marique hoſtes inuadere. Atrox fuit pugna, quod cum ijs res agebatur, quibus nulla ſalutis ſpes erat. Vtrinque cadunt non pauci. Hoſtes ad dolos conuerſi claſſem noſtram incendere tentant. Miſſa in eam nauigia hominibus vacua, ſed ea arte directa, vt ſimul ac noſtris nauibus ſe miſcuiſſent, occulta, igneaque materia flammas conciperent, quibus noſtra claſſis arderet. Dolos præſenſerunt noſtri, & ars arte deluſa. Nauigijs illis dant locum appropinquare prohibentes, quæ ſuo ſe concepto igne comburi cernentes, bellicaque tormenta exponentes terreſtrem pugnam aggrediuntur. Hoſtes reſiſtere primo. Hoc tamen illis exitio fuit, quòd diuerſarum gentium colluuione conſtarent. Igitur ne extrema pati cogerentur. Inter paucos primum, deinde in circulis de deditione ſermonem ſerere. Ducem conueniunt. Tuendæ, conſeruandęque munitionis in orbe alieno exaggerant difficultatem, honeſtas conditiones, quam extrema pati mallet, orant. Reclamat ille, & proditionem conqueritur. Interim noſtri vrgent. Tandem hoſtes viribus fracti, his conditionibus, oppidum, portumque dedunt. *Hiſpani nos incolumes abire permittunto; ad nauigationem neceſſaria præbento.* Admiſere Hiſpani conditiones, his impoſitis. *Hoſtes arma, commeatus, tormenta bellica maiora, minoraque, equos, iumenta, puluerem, aurum, argentum, & quidquid bello,*

Braſilia recuperata.

Hoſtilis ars deluſa. Noſtrorũ victoria.

reſtituũt

rapinæue fuerit ablatum, tradunto. Corpora tantum vna veste, enseque contenta sunto. Necessarijs nauibus, & commeatu, vt promisimus abnauiganto. Sic recuperata Brasilia hostes inglorij patriam repetiuerunt. Hæc

1624. ad annum 1624. In Italia his annis cum Gallis fortuna varia pugnatum, & cum Sabaudiæ Duce vix pax composita, homine bellaci, inquieto ingenio, vafroque. Gerebat tamen bellum cum Rege Hispaniæ amico, & propinquo, & ad pacem prono: quod subodorati duces bellum trahere, quam absoluere malebant: & vt ipsi milites mihi retulerunt, non syncera fide. Forte in mandatis habuit, quisquis ille fuit, (nec enim licèt euulgare nomen) ne ducem profligaret; nam certe capere potuit. At consilia Regum, ducumque quis explorata habeat?

Mariæ Principis Cum Ferdinando nuptiæ

1629. 1630. *Moneta mutatio.* 1632.

Anno deinde 1629. nascitur Princeps Hispaniæ Carolus, cui Deus auitas virtutes superare concedat. Mariæ Principis sororis Regis nuptiæ anno 1630. cum Ferdinando Imperatoris filio Vngariæ Rege, peractæ. Anno superiori Rex æreæ monetæ valorem, quem pater auxerat, minuit. Illum ad augendum præsens vtilitas, hunc ad minuendum damnum inde sequutum impulit. Pro Aureo, Argenteoque æreum seculum nobis attulit mutatio illa monetæ. Et certe pretia vltra dignitatem metalli reipublicæ sẽper perniciosa fuisse cõstat. Anno deinde 1632. à nostris apud Belgas malè pugnatum. Immo male non pugnatum. Vidente, & gemente nostro exercitu, discordia ducum, (aut quia Deus nostris mentem abstulerat, & rebellibus audaciam addiderat,) Traiectum ad Mosam, prolixa obsidione fessam amisimus. Hostes incruenta victoria, quòd nostri quodã stupore defixi pugnare noluerunt, elati felicitate

1633. hoc anno 1633. ad euertendum in Belgis Hispanorũ imperiũ animũ adiecere, deserta magna ex parte Hispana militia propter stipendia militaria. Sed auertet Deus tam grande malum, & profectò speramus Hispaniam aduersus hæreticam impudentiam lacertos moturam, deumque

deumque suam non deserturum causam, quando pro illa sanguinem, diuitiasque immensas, & vitam ipsam prodigimus. Faue, faue, Deus omnipotens. *Ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Imple facies eorum ignominia, vt quærant nomen tuum.*

SERIES IN HISPANIA GOTTORVM Regum.

Anno à Christo.

369 TEMPORE Valentis Imperatoris Athanaricus Romanum Imperium inuasit. Ex fœdere Misiam tenuit. Pactum Arianismus fuit. Regnauit annos 13.

382 Alaricus. Romam cepit, vastata Italia. Regnauit 28. annos.

411 Athaulphus Placidiam Imperatoris Honorij sororem habuit vxorem. Qua annitente vir ex fœdere ad Pyrinæos vltra, citroque cum gente consedit. Regnauit 6. annos

416 Segericus ab eisdem Gottis electus, & occisus intra eumdem annum, quod pacis studiosus genti bellaci fuerit inuisus, & succesit Vualia, qui cæteras in Hispania nationes inuasit. Regnau annos 3.

419 Theodoredus Vualiæ propinquus Regnauit 32. annos. In pugna occubuit Attilana.

451 Turismudus Regnauit an. 1. à fratribus occisus.

452 Teudericus frater regnauit annos 15. à fratre Eurico occisus.

467 Euricus regnauit annos 17. Gallias magna ex parte subegit.

483 Alaricus filius Regn. an. 23. A Clodoueo in Gallia occisus. Filiam Theodorici Regis Italiæ duxit.

510 Gesaleicus filius nothus regnauit 6. annos.

Anno à Christo.

531 Theudus regnauit 17. annos, quo tempore anno 541. Romani Consules defierunt.

548 Theudiselus frater Totilæ regnauit ann. 1. & fere menses sex, à suis occisus.

549 Agila regnauit annos 5. Infelix à suis occisus.

554 Athanagildus regnauit 14. annos.

567 Liuua regnauit annos simul cum fratre 5.

568 Leouigildus regnauit annos 18. duxit Theodosiam Seueriani ducis, ex qua Hermenegildũ, quem propter fidem occidit, &

586 Recaredum, qui Arianismum cum gente abiurauit in 3. Concilio Toletano regnauit ann. 15.

601 Liuua regnauit annos 2.

603 Vuectericus Liuuæ parricida regnauit annos 6.

610 Gundemarus regnauit ann. 1. menses 10.

612 Sisebutus regnauit ann. 8. & sex menses. Iudæos expulit suadente Heraclio Imperatore.

621 Recardus 2. filius regnauit 3. menses. Suinthila regnauit annos 10. expulsus à suis.

631 Sisenandus regnauit annos fere 4. Conciliũ Toletanũ 4. celebratur. Præsidente S. Isidoro.

635 Chintila regnauit an. 3. varia concil. celebrata.

640 Thulga regnauit annos 2.

641 Flau. Chinthasuinthus regnauit annos fere 7.

648 Recesuinthus regnauit 23. annos.

672 Vuamba regnauit annos 8. menses 10.

680 Eruigius regnauit annos 7.

687 Egica gener Eruigij regnauit ann. 15 cum filio.

701 Vuitiza Rex pessimus regnauit annos 10.

711 Rodericus vltimus Gottorum Hispaniam perdidit. Regnauit annos 10.

SERIES REGVM OVETENSIVM

Gegionis, & Legionis.

716 PElagius nepos Chintasuinthi Fauilæ Cãtabriæ ducis. Primus assertor libertatis, regnauit annos

Anno à Christo.

annos 20. expugnauit Legionem.

736 Fauila Filius Pelagij in venatione occisus ab vrso, regnauit annos 2.

738 Alfonsus 1. cognomento Catholicus duxit Ormisindam Pelagij, regnauit annos 18.

757 Froella Alfonsi fil. ex Menina filia Ducis Eudonis Aquitaniæ sorore Aznarij primi Aragoniæ Comitis suscepit Alfonsum, & Ximenam Bernardi Carpensis matrem, regnauit ann. 11.

768 Aurelius regnauit an. 6. & semestre, sine prole.

774 Silo Adosindam filiam Alfonsi 1. habuit cum Regno 9. annos. Alfonsum Froilæ Regem dixit.

783 Mauregathus nothus Alfonsi, Maurica ope, infami tributo pacto centum adolescentularum, Regnum occupauit 5. annos & semestre.

788 Veremundus Diaconus siue Bimarani, siue Froilæ fratris Alfonsi fil. ex Numilona Ramirum suscepit. Regno restituto Alfonso cognomento Casto regnauit annos 3 & semestre.

791 Alfonsus 2. Castus, sine prole, regnauit feliciter annos 52. Quo tempore S. Iacobi Apostoli corpus inuentum.

844 Ramirus 1. filius Veremundi regnauit annos 7. Clauisiana pugna clarus, ex Vrraca, seu Paterna suscepit Ordonium, & Garsiam.

850 Ordonius 1. regnauit annos 11. Vel. 17. Vxor Munia.

862 Alfonsus 3 cognomento Magnus regnauit annos 48 Templum D. Iacobo lapideũ ædificauit, vxor à Gallia Ximena siue Amilina.

910 Garsia 1. regnauit 3. annos: vxor filia Nunij Fernandi Comitis Castellæ, & successit frater Ordonius 2. vxor Munina Eluira, deinde Sanctia filia Eneci Garsiæ Regis Nauarræ, regnauit 10. annos. occidit Comites Castellæ.

923 Froila 2. regnauit an. 1. tyrannicè: vxor Munia.

Anno à Christo.

924 Alfonsus 4 filius Ordonij 2. cognomento Monachus fratri Ramiro Regnum reliquit, & regnauit annos 6. & semestre, monachum induit. Vxor Vraca Semena Hord. Sanctij Abarcæ.

931 Ramirus 2. regnauit annos 19. filiam Sanctij Abarcę Therasiam habuit.

950 Hordonius 3. fil. Ram. 2. Regnauit 5. annos vxor Eluira.

955 Sanctius 1. Crassus frater Hordonij 12. an.

967 Ramirus 3. regnauit annos 15. Normanos vicit: vxor Vrraca sine prole.

982 Veremundus 2. Podagricus fil. Hord. 3. regn. annos 17. prima vxor Velasquita ex qua suscepit Christinam, à qua Comites Carrionis, secunda Eluira, ex qua

999 Alfonsus 5. regnauit an. 29. occisus in obsidione Visei. vxor Eluira Melendi Gonsalij.

1028 Veremundus 3. regnauit annos 10. occisus à fratre Ferdinando Castellæ Rege: vxor Therasia Sanctij Garsiæ Comitis Castellæ.

1038 Ferdinandus Magnus 1. Castellæ Rex filius Sanctij Maioris Nauarrę Regis cum Sãctia sorore Veremundi 3. regnauit annos 27.

1066 Sãctius Fortis ad Zamorã occisus, cui Alfonsus 6. frater successit, qui reg. 43 expugnauit Toletũ.

1109 Vrraca filia Alfonsi 6. regnauit 17. annos.

1126 Alfonsus 7. filius Vrracę; & Raymundi Ducis Burgundię regnauit annos 35. diuisit inter filios Regna. Quorum Sanctius Castellæ cognomento Desideratus regnauit annos 1. vxor Berengaria filia Arnaldi Barcinonensis.

1157 Ferdinandus Legionis frater Sanctij regnauit annos 31.

1188 Alfonsus 9. Legionis regnauit annos 43. vxor Berengaria Alfonsi filia.

1231 Ferdinandus 2. Castellę, & Legionis cognomento

to Sanctus Cordubam, Hispalim, & alia Mauris eripuit. regnauit annos 35.

COMITES, ET REGES *Castellæ.*

862 Tempore Alfonsi Casti Primus Castellę comes fuit Rodericus, cuius filius Didacus Porcellos tempore Alfonsi Magni.

Sullabella filia Porcellos vxor Nunij Belchidis Germani genuit Nunium Rasuram, & Gonsalium Bustium patrem septem fratrum de Lara. Quo tempore nobiles Castellæ comites fuere, Fernandius Anzules, Almōdarus Albus, & alij. Præcipuus inter eos Nunius Fernandius, cuius filia maior Garsiæ 1. Regi Legionensi copulata est. Sequuta est nex comitum Castellæ ab Hordonio 2. & inde Castellani ab Regibus desciuerunt, Nunio Rasura, & Laino Caluo electis.

923 Gonsalius Nunius Rasuræ filius Ximenam Comitis Nunij Fernandij ab Rege necati filiam duxit.

Fernandus Gonsalius Comes rerum gestarum gloria illustris.

968 Garsia Fernandius 38.ann.

1006 Sanctius Garsia matrem veneno, quod ei à venatione redeunti pararat, sustulit. 22.

1028 Garsia à filijs Comitis Vigilæ occisus in apparatu nuptiali. Soror Comitis Eluira Sanctio Maiori Nauarræ matrimonio iuncta successit: cuius filius Ferdinandus primus Castellæ Rex. Huius filius Sanctius ad Zamoram occisus.

1066 Alfonsus Sextus Castellæ, & Legionis, Ferdinandi filius regn.

1109 Vrraca filia Alfonsi.

Alfonsus

Anno à Christo.

1126 Alfonsus 7. Vrracæ filius 35. annos.
Sanctius desideratus 2. regnauit 1. ann.

1157 Alfonsus 8. filius regn. 56. Concham expugnauit, & insignem ad Nauas pugnã pugnauit.

1214 Henricus 1. Palantię ictu lapidis occisus regnauit ann. 2.

1217 Ferdinandus 2. Sanctus vel 3. Legionis, & Castellę regnauit annos 35.

1252 Alfonsus 10. cognomento sapiens. Quo vulgari lingua cęptum agi in iudicijs, cum antea Latina vterentur Hispani, regnauit annos 32. vxor Violantes Iacobi Aragonij filia.

1284 Sanctius 3. cognomento Fortis regnauit annos 11. vxor Maria Alfonsi Molinę Reguli fratris Ferdinandi Sancti.

1295 Ferdinandus 4. Sanctij fil. regnauit annos 17. Ad tribunal Dei vocatus à Carauaxalis, vxor Cõstantia Dionysij Portugal.

1312 Alfonsus 11. victor ad fluuium Salsum, regnauit 38. vxor Maria Alfonsi 4. Portugal.

1350 Petrus crudelis regnauit annos 20, occisus à fratre notho Henrico.

1369 Henricus 2, regnauit annos 10. ex Ioanna filia Ioannis Emanuelis Villenę Reguli nepotis Ferdinandi de la Cerda Principem suscepit

1389 Ioannem 1. victum à Lusitanis ad Aliubarrotam regnauit annos 11. Compluti casu equi obijt, vxor Eleonora Petri 4. Aragoniæ.

1390 Henricus 3. Infirmus seu Valetudinarius dictus regnauit 16. annos vxor Catarina Lecestrię.

1407 Ioannes 2. regnauit 48. an. celebris nece Aluari: 1. vxor Maria Ferdinandi Arag. ex qua Henricũ 4. 2. Isabella Ioannis Portug ex qua Isabellam.

1454 Henricus 4. regn. 20. ann. turbida rep. bellis ciuil.

1475 Ferdinandus 5. & Isabella soror Henrici Reges Catholici Regnarunt feliciter 30. annos expugnata

gnata Granata.
1505 Philippus 1. cum Ioanna Ferdinandi filia 2. annos, quæ illi peperit
Carolum 5. Imperatorem optimum, maximum, qui regn 40. an. vxor Isabella Emanuelis Lusit.
1556 Philippus 2. cognomento Prudens regnauit 48 annos.
1598 Philippus 3. cognomento Bonus regnauit ann. 22. expulit Mauros ab Hispania.
1621 Philippus 4. regnat hodie. Diuque regnet felix, vxor Isabella Borbonia.

REGES LVSITANI.

1086 HEnricus Lotharingius ab Alfonso filiam Therasiam notham cum Lusitaniæ parte titulo Comitis accepit.
1112 Alfonsus 1. Henrici filius Rex à militibus salutatus regnauit 46. annos.
1185 Sanctius 1. regnauit 26. annos vxor Alfonsa Alfonsi 2. Aragonij.
1212 Alfonsus 2. regnauit annos 11. vxor Vrraca Alfonsi 8. Castellæ.
1223 Sanctius 2. regnauit ann. 23. Regno spoliatus à fratre: vxor Mencia Lupi Hari Viscaiæ reguli.
1246 Alfonsus frater occupauit Regnum, regnauit 33. annos.
1279 Dionysius regnauit 45. annos: vxor Elisabetha filia Petri 3. Aragonij Regis, nuper in sanctorum numerum relata.
1325 Alfonsus 4. Fortis regnauit 32. annos
1357 Petrus regnauit 9. annos.
1367 Ferdinandus regnauit 16. annos. Rapuit Laurentio Acuna vxorem Eleonoram Menesiam, nuptiasque cum illa celebrauit.
1383 Ioannes 1. Electus regnauit annos 48. Hic ad

Aliu-

Aliubarrotam vicit Regem Castellę.

1433 Duarte regnauit annos 5.

1438 Alfonsus 5. regnauit annos 42.

1481 Ioannes 2. regnauit annos 14.

1495 Emanuel Nepos Duarte inter Lusitanos Reges rebus Indicis clarus, regnauit annos 26.

1521 Ioannes 3. regnauit annos 35.

1557 Sebastianus nepos regnauit annos 21.

1578 Henricus Cardinalis regnauit annos 1. Hic est vltimus, recidit Regnum in Castellę Reges

---

REGES NAVARRAE.

758 CHristiani ab Hispanię vastatione, qui se ad Pyrizos receperunt, Regem Garsiam Ximenium Regulum Amescuę, & Abarzubę dixerunt, qui Suprarbem expugnauit, & Reges Suprarbis, & Ripagursæ dicti inde Nauarræ Reges.

Garsias Enecus Regnauit 44 annos.

802 Fortunius Garsias 13. annos.

813 Sanctius Garsias 38. annos.

815 Ximenus Garsias.

853 Enecus Arista expugnauit Pampilonem: obijt anno 888.

888 Garsias Enecus 17.

905 Sanctius Abarca 21. à Comite Fernando Gonsalio occisus in bello. Hic Aragoniæ Comitatum Regno adiecit tanquam hæres, & Reges Nauarrę, & Aragonię nominati cæpti, ad Ramirum 1.

926 Garsias Sanctius 40.

966 Sanctius Garsias 27.

993 Garsias Sanctius Trepidus 7.

1000 Sanctius cognomento Senior, qui omnia fere Regna Hispaniæ possedit, regnauit annos 35.

1035 Garsia regnauit 18, occisus à fratre Castellæ Rege Ferdinando.

1053 Sanj-

Anno à Christo.

1053 Sanctius 23. annos.
1076 Sanctius Aragonius 18.
1134 Garsias nepos Sanctij senioris regn. 16. ann.
1150 Sanctius 7. regnauit annos.
1194 Sanctius 8. cognomento Fortis regn. 40. relicto Theobaldo è sorore filio, Cāpaniç Comite, & successore: qui ex Margarita filia Comitis Fuxensis suscepit Theobaldum.
1234 Theobaldus 1. Reg. 19.
1270 Henricus frater Theobaldi regnauit an. 4.
1274 Ioanna soror cum Philippo Pulchro Gallo regnauit 39.
1313 Ludouicus Hutinus regnauit annos 2.
1315 Philippus Longus frater Hutini 6.
1321 Carolus Pulcher 6. annos
1328 Ioanna filia Ludouici Hutini Regn. cum Philippo viro. 16.
1343 Carolus 2. regnauit 44. annos
1387 Carolus 3. regnauit 38.
1425 Blanca regnauit 16. annos cum Martino Siciliç, & Ferdinando Aragonio.
1441 Ioannes Blancæ maritus Ioannam habuit filiam Friderici Castellæ Almirantis in secundo matrim. Quç Ferdinandum Catholicum peperit. 37.
1479 Eleonora 1. anno
1482 Franciscus Phæbus 4.
Catarina soror cum Ioanne Gallo. Regnum à Ferdinando 5. occupatum in Castellam recidit.

COMITES ET REGES ARAGONII.

AZnar Eudonis Ducis Aquitaniç filius regnante Garsia Eneco ad eam Aragoniæ partem transmisit, quam Aragonius fluuius alluit, à quo & nomen. Expugnatis ibi aliquot oppidis, à Rege Nauarræ titulo Comitis obtento, Comitatui Aragoniæ fundamē-

Fff ta

ta iecit, Regibus Nauarrę vectigalis, tam ipse, quã successores qui sequuntur. Aznar 2. Galindus, Ximenus Aznar. Ximenus Garsias. Garsias Aznar. Comitatus Aragonius recidit ad Nauarræos in Sanctio Abarca ad Ramirum 1.

1035 Ramirus 1. filius Sanctij maioris. Primus Aragoniæ Rex moritur in obsidione Cęsaragustana anno 1067.

1067 Sanctius 1. in obsidione Oscę. regnauit an. 27.

1094 Petrus 1. filius Sanctij Oscam expugnauit, regn. annos 8.

1102 Alfonsus frater Petri regnauit annos 32. pugnauit 29. aperto marte cum Mauris.

1134 Ramirus monachus filius Sanctij regnauit annos 3. relicto Regno filiæ Petronillæ, quę nupsit

1137 Raymundo Comiti Barcinonensi, qui regnauit annos 29. Alfonso 7. Castellæ vectigalis.

1162 Alfonsus 2. regn. 34. ab Alfonso 7. Castellæ in Chonchæ expugnatione à tributo liberatus.

1196 Petrus 2. regnauit annos 17. Occisus in Gallia pro Albigensibus pugnans.

1213 Iacobus 1. cognomento Pugnator, aut Bellator, Valentiam, & Balleares Regno adiecit regnauit annos 63.

1276 Petrus 3. Regnum breue.

1285 Alfonsus 3. sine prole regnauit annos 6.

1611 Iacobus 2. frater Alfonsi regnauit annos 36. Regni Ballearici titulum à Pontifice accepit.

1327 Alfonsus 4. regnauit annos 9.

1339 Petrus 4. Ceremoniosus regnauit annos 51. Ablatis Ballearibus.

1387 Ioannes 1. regnauit annos 8.

1395 Martinus frater Ioannis regnauit annos 1. Siciliam adiecit Regno.

1410 Ferdinandus 1. regnauit annos 6.

1416 Alfonsus 5 regnauit 41. tannos.

1457 Ioan-

Anno à Christo

1457 Ioannes 2. frater Alfonsi regn. an. 22. suscepit ex Ioanna Friderici Castellæ Almirantis filia

1479 Ferdinandum Catholicum, qui omnia Regna præter Lusitaniam coniunxit.

COMITES BARCINONÆ.

LVdouicus Pius Imperator expugnatam Barcinonem Bernardo nobili Gallo tradit, qui mortuus est anno 839.

839 Vuifredus 1 Comes ab eodem Ludouico suffectus occisus in Gallia anno 858.

858 Vuifredus 2. Villosus sibi, successoribusque à Carolo Crasso Barcinonem obtinuit: obijt an. 914.

914 Miron obijt anno 929. & Seniofredus frater Comes Vrgelitanus pro filijs paruulis Mironis aliquot annos

950 Seniofredus sine liberis.

967 Borelus Comes Vrgelitanus Barcinonẽ per vim occupauit, spoliatis filijs Mironis: obijt an. 993.

Raymundus obijt annos 1017.

1035 Berengarius anno 1035.

Raymundus 2. cognomento Senex obijt anno 1077. egregius bellator.

1077 Raymundus 3. Caput stupę obijt anno 1082. à fratre Berengario occisus.

1131 Raymundus Arnaldus 4. obijt anno 1131.

Raymundus 5. vxorem habuit Petronillam

1172 Ramiri 2. Aragoniæ filiam, & Barcinon inde cessit Regibus Aragoniæ 1172.

REGES BALEARICI.

1276 IAcobus 1. Regna inter filios diuisit: & Iacobum filium Regem Balearicum dixit, ann. 1276.

1302 Iacobus Monachum induit, & regnauit Sanctius

Anno à Christo

&ius frater, anno 1302.

1325 Iacobus 3. patruo Sanctio successit: à Petro 4.
1349 Aragonio spoliatus obijt anno 1349.

REGES SICVLI.

1261 Manfredus nothus Friderici 2. Imper. occiso fratre Conrado, & Conradino filio victo, occupata Sicilia, filiam Constantiam Petro 3. Aragonio dedit, cui Sicilia cessit anno 1285.
1285 Iacobus 2 qui in Sicilia erat, in Aragoniam remigrans fratri Friderico Siciliam commisit: quem Siculi dixere Regem.
1295 Fridericus obijt anno 1337.
1337 Petrus, anno 1342.
1342 Ludouicus, anno 1355.
1355 Fridericus 2. Simplex frater obijt anno 1376.
1376 Martinus reliquit Regnum Martino patri Ara-
1409 gonio. 1409.
1410 Martinus 2. pater Siciliā Aragoniæ iūxit, 1410.

NEAPOLITANI REGES.

Alfonsum 5. Aragoniæ Regem Ioanna 2. Neapolitana Regē, hæredemq; dixit, quo iure Al-
1458 fonsus Ferdinandum nothum fil. hæredē instituit.
1494 Ferdinandus 1. obijt anno 1494.
1495 Alfonsus filius 2. 1495.
1496 Ferdinandus 2. sine prole.
Fridericus patruus successit, à Ferdinando Catholico, & Ludouico 12. Galliæ spoliatus.

FINIS OPERIS.